DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN IV LIBROS SENTENTIARUM


(Liber IV, Dist. 24-50 — Indices)

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCXIII





D. PETRI LOMBARDI EPISCOPI PARISIENSIS

LIBER QUARTUS

SENTENTIARUM

DE SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS, SACRAMENTALIBUS SIGNIS, RESURRECTIONIS ET JUDICII EXTREMI CONDITIONE, DIVERSISQUE POST MORTEM ANIMARUM RECEPTACULIS.

DISTINCTIO XXIV

A. *De sacramento Ordinis.*

NUNC ad considerationem sacræ Ordinationis accedamus. Septem sunt spiritualium officiorum gradus sive ordines, sicut ex sanctorum Patrum dictis aperte traditur, et capitis nostri, scilicet Jesu Christi, exemplo monstratur, qui omnium officia in semetipso exhibuit, et corpori suo quod est Ecclesia, eosdem ordines observandos reliquit. Septem autem sunt propter septiformem gratiam Sancti Spiritus : cujus qui non sunt participes, ad gradus ecclesiasticos indigne accedunt. Illi vero in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritus Sancti, quum ad ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur.

Hugo, de Sacram. lib. II, p. III, c. 5.

B. *Quales assumendi sunt ad clerum.*

Tales autem ad ministerium spirituale eligendi sunt clerici, qui digne possint dominica sacramenta tractare. Melius est enim Domini sacerdoti paucos habere ministros qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles qui ordinatori grave onus inducant. Tales enim decet esse ministros Christi, qui septiformis gratia Spiritus Sancti sint decori : ex quorum doctrina et conversationis forma, eadem

Decret. p. I, dist. 23, c. 4.

gratia in alios transfundatur, ne cœlestes margaritas spiritualium verborum officiorumque divinorum sordidæ vitæ pedibus conculcent. In sacramento ergo septiformis Spiritus, septem sunt gradus ecclesiastici, scilicet : ostiarii, lectores, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi, sacerdotes. Omnes tamen clerici vocantur, id est sortiti.
Hugo, de Sacram. lib. II, p. III, c. 1. Corona enim signaculum est quo signantur in partem sortis ministerii divini. Corona regale decus significat : quia servire Deo, regnare est. Unde ministri Ecclesiæ
I *Petr.* II, 9. reges esse debent, ut et se et alios regant; quibus Petrus ait : Vos estis genus electum, regale sacerdotium, etc. Summitas capitis desuper nudatur, ut eorum
II *Cor.* III, 18. mens ad Dominum libera monstretur, quæ revelata facie gloriam Dei contempletur. Summitas enim capitis est eminentia mentis; denudatio capitis est revelatio
Hugo, op. cit. c. 2. mentis. Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tondentur etiam capilli usque ad revelationem sensuum, scilicet oculorum et aurium, ut vitia in corde et opere pullulantia doceantur præcidenda, ne ad audiendum et intelligendum verbum Dei præpediatur mens, pro quo servato reddetur in excelsis corona.
Ibid. c. 3. *Num.* VI, 18. Tonsuræ autem ecclesiasticæ usus a Nazaræis exortus videtur, qui prius crine servato, deinde ob vitæ continentiam caput radebant, et capillos in igne sacrificii ponebant. Hinc usus inolevit, ut qui divinis cultibus mancipantur, quasi Nazaræi,
Ezech. V, 1. id est sancti, crine posito inveniantur, sicut ad Ezechielem dicitur : Fili hominis, sume gladium acutum, et duc super caput tuum et barbam. In Actibus etiam Apo-
Act. XVIII, 18; XXI, 24. stolorum Priscillam et Aquilam hoc fecisse legimus; Paulus quoque et alii quidam discipuli Christi hoc fecerunt. Recte ergo in quibuslibet gradibus constituti, clerici
Isid. Etym. lib. VII, c. 12, n. 1. vocantur. Quorum nomina et rationes nominum Isidorus exponens, ait : Cleros et clericos hinc appellatos esse credimus, quia Matthias electus est sorte, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Κλῆρος enim Græce, Latine sors vel hereditas dicitur. Ideo ergo dicti sunt clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Deum partem habent. Generaliter vero clerici nuncupati sunt omnes qui in Ecclesia Dei serviunt, quorum gradus et nomina hæc sunt : ostiarius, lector, etc., ut supra.

C. *De ostiariis.*

Ibid. n. 32. I *Par.* XXIII, 5. Hugo, op. cit. c. 6. Ostiarii iidem et janitores sunt, qui in veteri Testamento electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immundus. Dicti autem sunt ostiarii, eo quod præsint ostiis templi. Ipsi enim tenentes clavem, omnia intus et extra custodiunt; atque inter bonos et malos habentes judicium, dignos recipiunt, indignos respuunt. Unde et eis, quum ordinantur, claves ecclesiæ dantur ab episcopo, et dicitur eis : Sic agite, tanquam rationem Deo reddituri pro rebus quæ clavibus istis
Joann. II, 15. recluduntur. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto, vendentes et ementes ejecit de templo. Ipse enim se ostiarium signi-
Ibid. X, 9. ficans, dicit : Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.

D. *De lectoribus.*

Secundus est gradus lectorum. Lectores a legendo, sicut psalmistæ a psalmis canendis vocati sunt. Illi enim prædicant populis quid sequantur; isti cantant, ut excitent ad compunctionem animos audientium : licet quidam lectores ita miserabiliter pronuntient, ut quosdam ad luctum et lamentationem compellant. Iidem etiam pronuntiatores vocantur, qui porro annuntiant* : quia tam erit clara eorum vox, ut etiam longe positorum aures adimpleat. Ad lectorem autem pertinet, lectiones pronuntiare, et ea quæ Prophetæ vaticinaverunt, populis prædicare, ut jam ex officio in ecclesia legat prophetias et lectiones. Unde et ei, vidente populo, traditur ab episcopo codex divinarum lectionum, et dicitur : Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleveris officium, partem cum his qui bene verbum Dei ministraverunt. Qui ad hunc gradum provehitur, litterarum scientia debet esse instructus, ut sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Attendat quid indicative, quid interrogative sit legendum, ubi sit in oratione facienda distinctio. Hæc enim male servata, intellectum turbant, et alios ad risum provocant. Auribus et cordi consulere debet vox lectoris. Hoc officium implevit Christus, quum in medio seniorum librum Isaiæ aperiens, distincte ad intelligendum legit : Spiritus Domini super me, etc. Ex quo lectoribus datur intelligi, quia gratia spirituali clarere debent qui aliis verbum Dei annuntiant. Hic ordo formam et initium a Prophetis accepisse videtur, quibus dicitur : Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.

Isid. Etym. lib. VII, c. 12, n. 24. — Hugo, de Sacram. lib. II, p. III, c. 7. — * apte nuntiant — Decret. p. I, dist. 25, c. 1. — *Luc.* IV, 17, 18. — *Is.* LVIII, 1.

E. *De exorcistis.*

Tertius est ordo exorcistarum. Exorcistæ autem ex Græco in Latinum, adjurantes vel increpantes vocantur. Invocant enim super catechumenos et super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini, adjurantes per eum, ut egrediatur ab eis. Ad exorcistam pertinet, exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos et catechumenos in exorcizando imponere. Debet autem habere spiritum mundum, qui spiritibus immundis imperat, et malignum expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno, ne medicina quam alii facit, sibi non prosit, et dicatur ei : Medice, cura te ipsum. Hi quum ordinantur, accipiunt de manu episcopi librum exorcismorum, et dicitur eis : Accipite et habetote potestatem imponendi manus super energumenos vel catechumenos. — Hoc officio usus est Dominus, quando saliva sua tetigit aures et linguam surdi et muti, dicens, Ephphetha, quod est, adaperire : per hoc docens nos spiritualiter debere aperire aures præcordiorum hominum ad intelligendum, et ora ad confitendum, ut pulso dæmone, Spiritus Sanctus vas suum recipiat. Hoc etiam officio usus est Christus, quum dæmoniacos multos sanavit. Hic ordo a Salomone videtur descendisse, qui quemdam modum

Isid. op. cit. n. 31. — Hugo, op. cit. c. 8. — Decret. ubi supra. — *Luc.* IV, 23. — *Marc.* VII, 33, 34. — *Matth.* VIII, 16; *Luc.* VIII, 33.

[Decret. p. I, dist. 21, proœm.] exorcizandi invenit, quo dæmones adjurati ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati, exorcistæ vocati sunt. De quibus Christus in Evangelio [Matth. XII, 27.] : Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri, scilicet exorcistæ, in quo ejiciunt ?

F. *De acolythis.*

[Isid. Etym. lib. VII, c. 12, n. 29.] Quarto loco succedunt acolythi. Ἀκόλουθοι vero Græce, Latine ceroferarii dicuntur, a deportandis cereis, quando legendum est evangelium vel sacrificium offerendum. [Hugo, de Sacram. lib. II, p. III, c. 9.] Tunc enim accenduntur luminaria, et deportantur ab eis : non ad effugandas aeris tenebras, quum sol eo tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur de qua legitur [Joann. I, 9.] : Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. [Decret. p. I, dist. 25, c. I.] Ad acolythum etiam pertinet præparatio luminarium in sacrario ; ipse cereum portat, ipse urceolum cum vino et aqua suggesta pro Eucharistia subdiaconis præparat. Hi quum ordinantur, quum edocti fuerint ab episcopo qualiter in officio suo agere debeant, ab archidiacono accipiunt candelabrum cum cereo et urceolum vacuum. Hoc officium Dominus se habere testatur dicens [Joann. VIII, 12.] : Ego sum lux mundi ; qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Hujus officii formam illi gerebant in veteri Testamento, qui lucernas candelabri componebant et accendebant igne cœlesti, ad illuminandas tenebras aquilonares.

G. *De subdiaconis.*

[Isid. op. cit. n. 23.] Quintus est ordo subdiaconorum. Græce ὑποδιάκονοι vocantur, quos nos subdiaconos dicimus [Hugo, op. cit. c. 10.] : qui ideo sic appellantur, quia subjacent præceptis et officiis levitarum. Oblationes enim in templo a fidelibus suscipiunt, et levitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos Nathinæi vocabantur, id est, in humilitate [Decret. ubi supra.] Domino servientes. Ad subdiaconum pertinet, calicem et patenam ad altare Christi deferre et levitis tradere, eisque ministrare ; urceolum quoque et aquamanile et manutergium tenere ; episcopo et presbyteris et levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere. His lex continentiæ imponitur, quia altari appropinquantes, vasa corporis et sanguinis Christi portant. Unde illud implere debent [Is. LII, 11.] : Mundamini, qui fertis vasa Domini. Ad hos etiam pertinet, tantum de oblationibus ponere in altari quantum sufficere possit populo, necnon corporales * et pallas et substratoria lavare. Hi quum ordinantur, accipiunt de manu episcopi patenam et calicem vacuum, ab archidiacono vero urceolum cum aquamanili, et manutergium. Hoc officio usus est Dominus [Joann. XIII, 4, 5.], quando linteo se præcinxit, et mittens aquam in pelvim, pedes discipulorum lavit et linteo tersit.

* corporalia

H. *De diaconis.*

Diaconorum ordo sextum tenet locum, propter senarii perfectionem. Hic ordo Hugo, de
in veteri Testamento a tribu Levi nomen accepit vel traxit : dicuntur enim et Sacram. lib. II, p. III, c. 11.
levitæ. Præcepit quippe Dominus Moysi, ut post ordinationem Aaron et filiorum *Num.* III, 6,
ejus, prorsus tribus Levi ad divini cultus ministeria ordinaretur et consecraretur 10; IV, 5; VIII, 24.
Domino, et serviret pro Israel coram Aaron et filiis ejus in tabernaculo, ipsique
gestarent arcam et tabernaculum et omnia vasa ejus, et in circuitu tabernaculi ex-
cubarent, et in transportando tabernaculo ipsi deponerent rursumque componerent.
A viginti quinque annis et supra jussi sunt servire in tabernaculo : quam regulam
in novo Testamento sancti Patres constituerunt, quia hæc ætas ad ferenda onera est Isid. Etym.
robusta. Levitæ ergo ex nomine auctoris vocati sunt : de Levi enim Levitæ exorti lib. VII, c. 12, n. 22.
sunt, a quibus in templo mystici sacramenti mysteria explebantur. Hi Græce διάκο-
νοι, Latine ministri dicuntur : quia sicut in sacerdote consecratio, ita et in diacono Decret. p.
ministerii dispensatio habetur. Ad diaconum pertinet, adsistere sacerdotibus, et mi- I, dist. 25, c. 1.
nistrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, scilicet in Baptismo, in
chrismate, in patena et calice, oblationes quoque inferre et disponere in altari;
componere etiam mensam Domini et vestire, crucem ferre, et prædicare evangelium
et epistolam populo * : nam sicut lectoribus vetus Testamentum, ita diaconis novum * ad populum
prædicare præceptum est. Ad ipsum etiam pertinet officium precum, et recitatio
catechumenorum nominum. Ipse præmonet aures habere ad Dominum, ipse donat
pacem, et ipse annuntiat. Quod autem huic ordini a Moyse statutum est, hoc etiam
in novo Testamento repræsentatur, quum diacono super lævum humerum stola
ponitur, et casula in diebus jejunii complicatur : quia quidquid laboris et sustinen-
tiæ in hac vita toleratur, quasi in læva portatur, donec in dextera, id est in æterni-
tate, requies habeatur. Hic ordo ab Apostolis celebratus est, quando (ut legitur in
Actibus Apostolorum) septem viros plenos Spiritu Sancto ad hoc officium elege- *Act.* VI, 3. 6.
runt, et oratione præmissa manus eis imposuerunt. Unde et consuetudo inolevit, ut
in omni matrice Ecclesia, septem diacones circa Christi aram quasi septem columnæ
adsistant. Hi sunt septem angeli tuba canentes in Apocalypsi. Qui quales esse de- *Apoc.* VIII,
beant, Apostolus docet, Timotheo scribens. Hi quum ordinantur, solus episcopus 2; I *Tim.* III,
eis manus imponit, quia ad ministerium applicantur. Ponit eis orarium, id est 8-13.
stolam, super lævum humerum, ut per hoc intelligant se accepisse jugum Domini *Matth.* XI,
suave, quo ad sinistram pertinentia divino timori subjiciant. Accipiunt et textum 30.
Evangelii, ut intelligant se esse præcones Evangelii Christi. Hi autem antequam
ordinentur, probentur, ut docet Apostolus; et sic ministrent, nullum crimen ha- I *Tim.* III,
bentes. Hoc officio usus est Christus, quando post Cœnam sacramentum carnis et 10. *Matth.*
sanguinis discipulis dispensavit; et quando Apostolos dormientes ad orationem ex- XXVI, 26.
citavit, dicens : Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. *Ibid.* 41.

I. *De presbyteris.*

[Isid. Etym. lib. VII c. 12, n. 21.] Septimus est ordo presbyterorum. Πρεσβύτερος Græce, senior interpretatur Latine. Non modo pro ætate vel decrepita senectute, sed propter honorem et dignitatem [Hugo. de Sacram. lib. II, p. III, c. 12.] quam acceperunt, presbyteri nominantur, qui morum prudentia et maturitate conversationis præcellere debent in populo. Unde scriptum est : [*Sap.* IV, 8, 9.] Senectus venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata; cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Ideo autem etiam presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacrum dant : qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent sicut episcopi, quia ipsi nec chrismate frontem signant, nec Paracletum [*Act.* VIII, 14, 15, 17.] dant, quod solis deberi episcopis lectio Actuum Apostolorum demonstrat. Unde et apud veteres iidem episcopi et presbyteri fuerunt : quia illud est nomen dignitatis, [Isid. op. cit. n. 17.] non ætatis. Sacerdos nomen habet compositum ex Græco et Latino, quod est sacrum dans sive sacer dux. Sicut enim rex a regendo, ita sacerdos a sacrando dictus est : [Id. n. 16.] consecrat enim corpus et sanctificat. Antistes vero sacerdos dictus est ab eo quod [Decret. p. I, dist. 25, c. 1.] ante stat : primus enim est in ordine Ecclesiæ. Ad presbyterum autem pertinet, Sacramentum corporis et sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere, et dona Dei benedicere. Qui quum ordinatur, inunguntur ei manus, ut intelligat se accepisse gratiam consecrandi, et caritatis opera debere extendere ad omnes. Accipit et stolam, quæ utrumque tenet latus : quia debet esse munitus armis justitiæ contra adversa et prospera. Accipit etiam calicem cum vino, et patenam cum hostiis, ut [*Num.* V, 8.] per hoc sciat se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi. — Hic ordo a filiis Aaron sumpsit initium. Summos enim pontifices et minores sacerdotes [*Exod.* XXIX.] instituit Deus per Moysen, qui ex præcepto Dei, Aaron in summum pontificem, [Decret. p. I, dist. 21, procem.] filios vero ejus in minores unxit sacerdotes. Christus quoque duodecim elegit discipulos prius, quos et Apostolos vocavit, quorum vicem gerunt in Ecclesia majores [*Luc.* VI, 13. *Ibid.* X, 1.] pontifices ; deinde alios septuaginta et duos discipulos designavit, quorum vicem in Ecclesia tenent minores presbyteri. Unus autem inter Apostolos princeps exstitit Petrus, cujus vicarius et successor est Pontifex summus, unde dicitur apostolicus, qui et Papa vocatur, scilicet pater patrum. Qualis autem eligi debeat presbyter, [I *Tim.* III, 2-7.] Apostolus scribens Timotheo ostendit, ubi nomine episcopi presbyterum significa- [*Hebr.* X, 12.] vit. Hoc autem officio usus est Christus, quum se ipsum in ara crucis obtulit, idem sacerdos et hostia, et quando post Cœnam panem et vinum in corpus suum et sanguinem commutavit.

Ecce de septem Ecclesiæ gradibus breviter elocuti, quid ad quemquam pertineat insinuavimus. Quumque omnes spirituales sint et sacri, excellenter tamen canones duos tantum sacros ordines appellari censent, diaconatus scilicet et presbyteratus : quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, et de his solis præceptum Apo- [Decret. ubi supra.] stoli habemus. Apostoli enim in singulis civitatibus episcopos et presbyteros ordinaverunt ; levitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit

B. Stephanus. Subdiaconos vero et acolythos, procedente tempore, Ecclesia sibi constituit.

K. *Quid sit quod hic dicitur ordo.*

Si autem quæritur, quid sit quod hic vocatur ordo; sane dici potest, signaculum quoddam esse, id est sacrum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato et officium. Character ergo spiritualis, ubi fit promotio spiritualis potestatis, ordo vel gradus vocatur. Et dicuntur hi ordines sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est gratia, confertur, quam figurant ea quæ ibi geruntur.

L. *De nominibus dignitatis vel officii.*

Sunt et alia quædam, non ordinum, sed dignitatum vel officiorum nomina. Dignitatis simul et officii nomen est episcopus. Episcopatus autem vocabulum inde dictum est, quod ille qui episcopus efficitur, superintendat, curam scilicet subditorum gerens. Σκοπεῖν enim Græce, Latine intendere dicitur. Ἐπίσκοποι autem Græce, Latine speculatores interpretantur : nam speculator est præpositus in Ecclesia dictus, eo quod speculetur atque perspiciat populorum infra se positorum mores et vitam. Pontifex est princeps sacerdotum, quasi via sequentium. Ipse et summus sacerdos nuncupatur : ipse enim levitas et sacerdotes efficit, ipse omnes ecclesiasticos ordines disponit.

Isid. Etym. lib. VII, c. 12, n. 11. — Ibidem.

M. *De quadripartito ordine episcoporum.*

Ordo autem episcoporum quadripartitus est, scilicet, in patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis et episcopis. Πατριάρχης Græce, summus patrum interpretatur : quia primum, id est apostolicum, tenet locum, ut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus; sed omnium summus est Romanus. Archiepiscopus, princeps episcoporum : ἀρχὸς enim Græce, Latine princeps dicitur. Metropolitæ autem a mensura civitatum dicuntur : singulis enim provinciis præeminent. Quorum auctoritati et doctrinæ ceteri sacerdotes subjecti sunt : sollicitudo enim totius provinciæ ipsis commissa est. Omnes autem superius designati ordines, episcopi nuncupantur. — Nota quod archiepiscoporum nomine primates superius significasse videtur; et metropolitanorum, quos nunc archiepiscopos dicimus. Horum autem discretio a gentilibus introducta videtur, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant. Sacerdotes enim gentilium flamines dicebantur. Qui habebant in capite pileum, in quo erat brevis virga, desuper habens aliquid lanæ : quod quum per æstum ferre non possent, filum tantum in capite ligare cœperunt (nudis enim capitibus eis incedere nefas erat) : unde et a filo quo utebantur, flamines dicti sunt, quasi filamines. Sed festis diebus, filo deposito, pileum imponebant pro

Isid. op. cit. n. 4. — Id. n. 5. — Id. n. 6. — Id. n. 7. — Id. n. 8. — Decret. p. I, dist. 21, prœm. — Isid. op. cit. n. 18. — Id. n. 19.

Isid. Etym. lib VII, c. 12, n. 15. sacerdotii eminentia. Vates a vi mentis appellati sunt : cujus significatio multiplex est ; modo enim sacerdotem, modo prophetam, modo poetam significat. Cantor vero Id. n. 26. vocatur qui vocem modulatur in cantu. Hujus sunt duo genera, præcentor, et Id. n. 27. succentor : præcentor, qui vocem præmittit in cantu ; succentor, qui subsequenter Id. n. 28. canendo respondet. Concentor autem dicitur qui consonat ; qui autem non consonat nec concinit, concentor non erit.

Hugo, de Sacram. lib. II, p. III, c. 12. His breviter tractatis, admonendi sunt Christi ministri, quatenus, sicut excellunt ordinis dignitate, ita præcellant vitæ sanctitate : ut plebs eis commissa eorumque disciplinis edocta, gratanter eis obediat, et eorum imitatione de die in diem proficiat, a quibus divina sacramenta percipiunt, et Missarum solennia audiunt. Missa autem dicitur, vel quia missa est hostia, cujus commemoratio fit in illo officio : unde dicitur, Ite, missa est, id est, sequimini hostiam quæ missa est, ad cœlestia, tendentes post eam ; vel quia missus cœlestis venit ad consecrandum dominicum corpus, per quem ad altare cœleste defertur hostia. Unde et dicitur : Missa est.

SUMMA

DISTINCTIONIS VICESIMÆ QUARTÆ

HUCUSQUE tractavit Magister de sacramentis ad quamcumque determinatam personam spectantibus : quæ sacramenta sunt quinque, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Unctio ; jam tractat de duobus residuis, quæ ad totius ecclesiasticæ communitatis utilitatem, necessitatem, conservationem, profe- B ctum ac regimen pertinent. Quorum primum est Ordo, per quem fit propagatio spiritualis ; secundum vero Matrimonium, quo fit propagatio et conservatio naturalis et corporalis, tamen in ordine ad spiritualem ac beatificum finem. In hac ergo distinctione agit Magister de Ordinis sacramento, et de septem speciebus seu gradibus ejus, et quare sint septem, et quomodo Christus actus eorum exercuit, præsignavit, constituit. Deinde declarat quibus ornamentis, id est virtutibus, donis et C perfectionibus, debeant decorari ad hos ordines promovendi, sive in eis constituti. Consequenter tractat per septem capitula de septem istis ordinibus eorumque actibus, proprietatibus et officiis ; deinde de A quibusdam dignitatibus et eminentibus officiis, jurisdictionibus et auctoritatibus ecclesiasticorum, præsertim de quadripartito ordine episcoporum.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **An Ordo sit sacramentum evangelicæ legis.**

Videtur quod non. Primo, quoniam ordo B ad triumphantem spectat Ecclesiam, in qua novem sunt ordines : non ergo ad Ecclesiam spectat militantem. — Secundo, ordo est quædam relatio ; relatio autem est minimæ entitatis : ergo et modicæ dignitatis, non ergo sacramentum Ecclesiæ, quod constat esse dignitatis præcipuæ. — Tertio, in civili regimine est etiam ordo, qui tamen non ponitur sacramentum : ergo nec ordo iste. — Quarto, sacramentum est materiale elementum, ut dictum est sæpe ; ordo autem est quid spi- tom XXIV, C rituale in anima, puta signaculum, ut p. 40C, 41C, etc. patebit.

In oppositum est auctoritas totius Ecclesiæ, et quod per sacrum Ordinem efficitur homo aptus, dignus ac potens alia sacramenta peragere, dispensare, tractare.

Circa hæc loquitur sanctus Doctor, primo declarans, quod in Ecclesia militante decentissimum sit, ordinem esse : Deus, inquit, creaturas producere voluit ad similitudinem sui, secundum quod decuit ut sint perfectæ, et in eis cognoscatur excellentia Creatoris. Ideo, ut in suis operibus repræsentetur ipse non solum secundum quod est in se, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem præfigit, ac modum hunc indidit, quod ultima perficiuntur per media, et media per prima, ut S. Dionysius docet. (De Cœlest. hier. c. iv.) Idcirco, ut ista pulchritudo non deesset Ecclesiæ, statuit ordinem in eadem, ut unus aliis influat, sacra tradat, sicque Deo assimiletur, ac suo modo ministerialiter cooperetur. Nec hoc repugnat veræ ac salubri libertati gratiæ ac virtutum. Et quamvis unus sit isto modo superior altero, nihilo minus potest se inferiorem reputare merito. Ordo quoque aliter consideratur et est, in ecclesiastica et angelica hierarchia, sicut patebit.

Secundo, exponit Ordinis definitionem quam tradit Magister, dicendo : Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato. Hæc, inquit, definitio convenit Ordini secundum quod est Ecclesiæ sacramentum : ideo ponit signum exterius ibi, Signaculum quoddam; et aliud, quod est quasi effectus interior. Signaculum namque non ponitur hic pro interiori charactere, sed pro eo quod exterius geritur, quod est signum potestatis interioris et causa. Nec ista definitio Baptismati convenit : nam quamvis in Baptismo detur quædam potentia recipiendi alia sacramenta, ratione cujus characterem imprimit; (Cf. t. XXIV, p. 173 B.) non tamen est hoc principalis ejus effectus, sed interior ablutio. Ordo autem principaliter potestatem importat : ideo character seu signaculum ponitur in definitione Ordinis, non Baptismi. Potentia quoque recipiendi alia sacramenta, passiva est potius quam activa; Ordo autem est potestas activa dandi ac influendi. Nomen etiam ordinis dupliciter sumitur. Primo, pro relatione, quæ est ha- A bitudo inter superiorem ac inferiorem, et est in utroque extremo : nec ita hic sumitur. Secundo, pro gradu seu potestate præeminentiæ, qui ordinem primo modo acceptum constituit. Quumque ratio ordinis ut est relatio, primo inveniatur ubi aliquod superius altero occurrit; ideo gradus hic eminens per spiritualem potestatem, dicitur Ordo.

Insuper Ordo iste est sacramentum. Sacramentum namque, juxta præhabita, non aliud est quam sanctificatio quædam ho- (Cf. t. XXIV, p. 40 D.) B mini exhibita cum signo sensibili. Quum ergo in Ordinis susceptione, consecratio homini exhibeatur per visibilia signa, constat quod Ordo sit sacramentum. Et ita quamvis in nomine suo non exprimat materiale elementum, non tamen sine illo confertur : unde nec in angelis ordo est sacramentum, quoniam eis non confertur cum sensibili signo. Verumtamen non omnis benedictio seu consecratio quæ homini sensibiliter exhibetur, est sacramentum, quum et monachi atque abbates benedi- C cantur, et reges ungantur : illæ autem benedictiones, consecrationes, unctiones, sacramenta non sunt, quia non ordinantur ad divinorum dispensationem sacramentorum, quemadmodum consecratio Ordinis hujus.

Quæritur quoque, an apta sit forma sacramenti hujus, quum dicitur : Accipe, etc. Dicendum, quod sacramentum hoc principaliter consistit in tradita potestate. Potestas vero a potestate traducitur seu derivatur sicut simile a simili; atque per D usum seu actum suum cognoscitur, quia potentiæ notificantur per actus. Hinc in forma Ordinis sacramentalis, usus ejus designatur per actum qui imperatur; traductio vero potestatis, per modum imperativum. Alia demum sacramenta non ordinantur principaliter ad effectus similes potestati qua conferuntur, sicut hoc sacramentum : idcirco in ipso est communicatio quædam univoca. Unde in aliis sacramentis exprimitur aliquid ex parte divinæ virtutis, cui assimilatur sacramenti

effectus, non autem in hoc sacramento. A Quamvis enim in episcopo, qui est hujus sacramenti minister, non sit auctoritas respectu collationis sacramenti istius; aliquam tamen habet auctoritatem respectu potestatis ordinis quæ confertur per ipsum, in quantum a sua potestate instrumentaliter derivatur.

Præterea de materia sacramenti sciendum, quod materia in sacramentis foris exhibita, designat, virtutem in sacramentis agentem, omnino ab extrinseco advenire. Quumque proprius hujus effectus, qui B est character, non percipiatur ex aliqua operatione accedentis ad sacramentum, sicut in Pœnitentia, sed prorsus ab extra adveniat; convenit ei habere materiam aliter quam aliis sacramentis. Quod enim in aliis sacramentis confertur, in ipso sacramento confertur a solo Deo; spiritualis autem potestas, quæ in hoc sacramento traditur, derivatur etiam a ministro qui confert sacramentum, sicut potestas imperfecta a perfecta. Ideo efficacia aliorum sacramentorum principaliter consistit in C materia, quæ virtutem divinam continet atque significat ex sanctificatione per ministrum * adhibita; efficacia vero hujus sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat. Materia vero adhibetur magis ad determinandum potestatem quæ traditur particulariter ab habente eam complete, quam ad causandum potestatem : quod patet ex hoc quod materia competit usui potestatis. — Hæc Thomas in Scripto.

* ministerium

In quibus quædam obscura contineri D videntur. Primo, quod ait : In aliis sacramentis, id quod confertur in eis seu in ipso sacramento, a solo est Deo; spiritualis autem potestas, quæ in isto sacramento confertur, etiam derivatur a ministro sacramentum conferente. Cui dicto objici potest, quod tam ex isto Doctore quam ex aliis toties est inductum, quod sacramenta novæ legis efficiunt quod designant, ita quod in ipsis est vis supernaturalis causalis, instrumentaliter cooperativa ipsius

Cf. dist. I, q. 4.

sacramentalis effectus. Unde sicut in aliis sacramentis, sacramentalis effectus, virtus seu gratia, a solo Deo est principaliter et sicut a causa principali effectiva, atque a sacramento seu ministro instrumentaliter, dispositive et cooperative ex participatione potestatis divinæ; ita in isto, in quo virtus sacramentalis seu character non concurrit ad productionem potestatis ordinati plus seu aliter quam in ceteris sacramentis. — Secundo, quod ait : Efficacia aliorum sacramentorum principaliter consistit in materia. Cujus contrarium apparet ex eo quod frequenter præhabitum est, efficaciam ac virtutem sacramentorum potissime consistere in formis eorum, ita quod forma sacramenti se habet per modum agentis, materia instar passivi. — Tertio, quod dicit : Efficacia hujus sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat. Cui verbo objicitur, quod apud dispensatorem non residet efficacia ista nisi instrumentaliter, imperfecte, et secundum esse diminutum pertenue; in Deo autem principaliter, auctoritative, perfecte. Hæc scholastice et inquisitive, non reprehensive tanguntur contra tantum Doctorem.

Cf. t. XXIV, p. 51 C, etc.

Qui etiam in Summa contra gentiles, libro asserit quarto : Manifestum est quod in sacramentis aliis confertur gratia sub signis visibilium rerum. Omnis autem actio debet esse proportionata agenti. Oportet ergo quod aliorum sacramentorum dispensatio fiat per visibiles homines spiritualem virtutem habentes. Non enim dispensatio sacramentorum competit angelis, sed hominibus visibili carne indutis, juxta illud Apostoli ad Hebræos : Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum. Hujus quoque ratio aliunde accipitur. Nam sacramentorum virtus ac institutio a Christo habet initium, qui corporis et sanguinis sui sacramentum dedit in Cœna, et frequentandum instituit. Quumque corporalem atque visibilem corporis sui præsentiam fuerit Ecclesiæ subtracturus, oportuit

cap. 74.

Hebr. v, 1.

ut alios institueret ministros, qui fidelibus A sacramentum hoc dispensarent. Hinc discipulis consecrationem corporis et san-
Luc. xxii, 19. guinis sui commisit, dicens : Hoc facite in meam commemorationem. Minister autem se habet ad dominum suum sicut instrumentum ad principale agens ; instrumentum quoque oportet esse principali proportionatum agenti : hinc Christi ministros oportet ei esse conformes. Christus quoque propria potestate et auctoritate operatus est nostram salutem, in quantum Deus et homo : quatenus secundum B id quod homo est, pro nostra redemptione pateretur; et in quantum Deus, passioni suæ salvandi efficaciam omnimodam largiretur. Oportet ergo ministros Christi homines esse, et aliquid divinitatis ejus participare per aliquam spiritualem potestatem : quemadmodum instrumentum aliquid participat de virtute principalis agentis. Sic item data est ista potestas primis Christi discipulis, ut per eos derivaretur ad posteros, quum data sit eis in ædificationem et conservationem Eccle- C siæ usque ad finem : quod sub sensibilibus signis fieri expedit propter rationes
Cf. dist. i, q. 1. frequenter præhabitas. — Hæc idem ibi : ubi de his plenius loquitur. Concordant Petrus et Richardus.

Porro Bonaventura : Necessarius, inquit, est ordo in Ecclesia propter duo, videlicet propter pulchritudinem et rectitudinem. Quum enim in Ecclesia tanta sit fidelium multitudo, nisi adesset ordo, inesset confusio. Hinc omnis sapiens eo ipso quod sapiens, pulchritudinis est amator, nec pro- D ducit sine ordine multa. In multitudine quoque sunt multi qui gubernatione informationeque indigent. Gubernare vero et informare spectat ad superiores, qui nisi habeant inferiores ac subditos, dici non possunt superiores. — Denique, Ordo sacramentum est evangelicæ legis. Quemadmodum enim signum interdum ponitur pro signato, et econverso ; ita figura pro veritate seu re figurata : quæ tamen diversa sunt, et nihilo minus unum dicitur esse in alio, sicut rota in rota. *Ezech.* i, 16. Sic et lex nova et sacrificium ejus differunt a lege antiqua ac sacrificio ejus. Sacrificium namque Eucharistiæ proprium est novæ legi, tamen figura ejus præcessit in veteri. Similiter ordo seu ordinata potestas, ut hic sumitur, est legi evangelicæ proprium sacramentum ; habuit tamen figuram in lege, et sacerdotium legis fuit figura sacerdotii Christi. Verum ista et illa multum distant in dignitate.

Amplius, sacramentum Ordinis unum est. Multas tamen habet partes, quæ non plurificant sacramentum, quoniam non sunt partes totaliter subjectivæ; recipiunt tamen prædicationem totius, quia habent quodammodo naturam partium subjectivarum : unde partes potestativæ vocantur. Quæ maxime competunt ordini. Primo, quoniam ordo dicitur ordinata potestas, quæ ex ordinatione multorum ad unum efficitur perfecta; et quodlibet horum participat rationem potestatis, quamvis non perfecte. Secundo, quoniam ordo concernit distinctionem in partibus, sicut et numerus. Hinc sicut partes numeri quodam modo habent naturam partium integralium, in hoc quod simul sumptæ constituunt numerum ; et etiam quodam modo naturam partium subjectivarum, in hoc quod præter ipsam unitatem quælibet pars numeri est numerus : sic omnes ordinum gradus unum reddunt sacramentum perfectum, et tamen quilibet gradus ordo vocatur. — Hæc Bonaventura. Quibus concordat Albertus.

Insuper, circa litteram addit Bonaventura : Differentia est inter novum et vetus Testamentum, in comparatione sacerdotii atque regni. Vetus quippe Testamentum adhuc fuit carnale, carnaliterque viventium. Ideo potestas regalis et sæcularis exstitit major ac principalior sacerdotali. Unde signanter dicebatur in lege regnum *Exod.* xix, 6. sacerdotale, quia sacerdotium pendebat ex regno : ita quod sacerdotium fuit adjacens regno. In novo autem Testamento, videlicet prima Petri secundo, contrarium di-

I Petr. II, 9. citur : Vos autem genus electum, regale A sacerdotium. Nam principalius nunc est sacerdotium quam regnum, et potestas spiritualis quam temporalis. Sic etenim competit statui gratiæ. Hæc idem.

Porro alii plures communiter dicunt, quod Ordo est unum sacramentum eo dist. XVII, q. 2. modo quo dictum est de Pœnitentia et dist. VIII, q. 1. Eucharistia, utpote non unitate indivisibilitatis, ut punctus; nec continuitatis, ut linea; sed perfectionis seu reductionis ad unum, quod est unum aggregative.

His concordat Durandus, additque : Ordo B tripliciter sumitur. Primo, pro relatione, ut quum asserit Augustinus : Ordo est parium dispariumque sua loca cuique tribuens dispositio. Secundo, pro gradu seu Cf. p. 9 A'. ordinata potestate, ut dictum est. Tertio, pro eo quod exterius sensibiliter agitur circa ordinatum : sicut alicui traditur calix cum pane et vino sub præscripta forma verborum, ut constituatur in gradu sacerdotii super populum; et hoc magis proprie dicitur ordinatio quam Ordo. Sic Cf. p. 9 C. tamen sumit Magister, dicendo : Ordo est C signaculum quoddam, etc. Hæc Durandus.

QUÆSTIO II

AMplius quæritur, **Utrum clericis et in sacris ordinibus constitutis competat coronam habere.**

Videtur quod non, quia ridiculum videtur sic radi, et ad derisionem inductum, ut in Itinerario S. Clementis narratur. — D Rursus, quoniam superstitiosum et idololatriæ germen esse apparet. Unde per Jer. IX, 26. Jeremiam Dominus comminatur : Visitabo super eos qui attonsi sunt in comam.

Ad hoc Thomas respondet : Eis qui ad divina ministeria applicantur, competit rasura ac tonsura in modum coronæ, ratione figuræ, quia corona est signum regni, ac perfectionis, quum sit circularis. Qui autem ministeriis applicantur divinis, adipiscuntur regiam dignitatem, atque perfecti virtutibus esse debent. Competit quoque eis ratione subtractionis capillorum ex parte superiori per rasuram, ad designandum quod mens eorum a contemplatione retardari non debet occupationibus terrenorum; et ex parte inferiori, quoniam sensus eorum temporalibus non debent rebus involvi. Talem autem incisuram perfidi ad cultum dæmonum faciebant, ideo comminabatur eis Altissimus. Hujus demum coronæ figura in Nazaræis præcessit : nam ea quæ fiebant in veteri Testamento, imperfecte repræsentant ea quæ novi Testamenti sunt. Hinc pertinentia ad ministros novi Testamenti, non solum per Levitarum significantur officia, sed et per omnes illos qui aliquam perfectionem profitebantur. Nazaræi autem quamdam perfectionem profitebantur, in depositione comæ suæ designantes temporalium rerum contemptum, quamvis non in modum coronæ deponerent, sed totam comam, quoniam nondum erat tempus sacerdotii regii ac perfecti. Similiter conversi tondentur propter temporalium renuntiationem, non tamen raduntur, quia non mancipantur divinis totaliter, sed exterioribus partim.

Quæritur quoque, an corona sit ordo. Respondendum, quod ministri Ecclesiæ separantur a populo ut plenius vacent divinis : in quibus quædam per determinatas personas sunt exercenda, ad quod datur specialis potestas ordinis; quædam vero communiter fiunt a generali ministrorum collegio, ut dicere laudes divinas, ad quod non exigitur aliqua ordinis potestas, sed solum deputatio quædam ad tale officium, quod fit per coronam : ideo non est ordo, sed præambulum quoddam ad Ordinem. Nec in ea character imprimitur. Deputatio etiam illa per episcopum fieri debet, per quem vestes ac vasa et cetera quæ divino applicantur cultui, benedicuntur.

Item quæritur, an clerici et tonsuram accipientes, teneantur temporalibus renuntiare. Apparet quod imo, quia ministri Ecclesiæ debent esse perfectiores ministris

Synagogæ, qui temporalia non habebant A ut ceteri; sed Deus et sacrificia ejus fu- *Num.* xviii, 20, 21; *Deut.* xviii, 1, 2. erunt eorum hereditas, ut in Levitico et Deuteronomio legitur. In Decreto quoque ex sanctorum Patrum eloquio allegatur : Bona clericorum veniant in communi. Item S. Hieronymus contestatur : Deus esse eorum hereditas dedignatur, qui cum populo possident aliquid. — Et dicendum, quod ex hoc quod quis coronam accipit clericalem, non renuntiat patrimonio suo, nec aliis temporalibus rebus : quoniam terrenorum possessio non contrariatur directe B cultui Dei, ad quem clerici deputantur, sed immoderata illorum dilectio et sollicitudo : quia affectus in crimine est, non res. Illorum ergo possessio Deus esse non vult, qui terrenis inhærent finaliter et avare. In veteri quoque Testamento sacerdotes ac Levitæ habebant urbes ad habitandum, oblationes atque primitias, sacrificia et hostias, quibus sufficienter fuit eis provisum. Si vero clerici, præsertim ad ordines sacros promoti, sint indigentes ac pauperes, episcopus qui eos promovit, ipsis pro- C videre tenetur, non alias. — Hæc Thomas.

Qui etiam ait, quod ex quo sacerdotes et Levitæ erant per singulas tribus dispergendi, non poterant inter eas hereditatem accipere. Quibus verbis objici potest, quod etiam inter ipsas tribus ubi fuerunt dis- *Num.* xxxv, 3. persi, habebant certas urbes, in quibus habebant fixas mansiones, et suburbana ad alendum pecora sua in pascuis, et pari modo potuissent habere et agros : idcirco factum est hoc, ut liberius Deo vacarent, et tanto plus essent intenti in divinis, D quanto minus occupabantur circa terrena sollicitanda. Denique, non solum de Levitis, sed item de Simeonitis Jacob patriar- *Gen.* xlix, 7. cha prædixerat : Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel. Nihilo minus Simeonitæ habebant sortem atque funiculum inter ceteras tribus. Sed et de tribu *Josue* xviii, 11. Benjamin in Josue fertur, quod in medio filiorum Judæ partem seu possessionem suam sortita sit. Hinc illud creditur factum etiam mystica ratione, ad præfigurandum ministros evangelicæ legis, qui ex Patrum sanctione aut religiosa professione renuntiant proprietati et omni facultati terrenæ atque carnali prosapiæ. Unde et in Deuteronomio Moyses de Levitis locutus est : Qui dixerunt patri suo, Nescio vos; *Deut.* xxxiii, 9. et his qui genuerunt eos, Ignoro illos; hi custodierunt eloquium tuum, Domine.

Circa hæc scribit Petrus : In omni transitu a statu in statum, convenienter interponitur aliqua dispositio media. Hinc in transitu a statu laicorum ad statum ministrorum Dei, convenienter interponitur tonsura prima : per quam qui tonsurantur, a statu laicorum separantur, atque ad statum ministrorum Ecclesiæ præparantur. Quumque a laicorum statu separentur, convenienter in signum hujus, capilli eorum deponuntur; et quia in ministros Dei (cui servire, regnare est) eliguntur, congruenter in illis aliqui capilli in modum coronæ dimittuntur. Denique tonsura in corpore fit, character vero animæ imprimitur : idcirco ad esse Ordinis tonsura non præexigitur, sed ad bene esse. Est ergo dispositio congruitatis, non necessitatis. — Insuper clericorum aliqui profitentur vitam communem, et his non licet proprium habere; quidam non, et his licet habere in usu, non in affectu. Nam ea quæ habent, divino cultui debent subjicere; non autem tenentur ea omnino abjicere. — Hoc iterum sciendum, quod clericus aut est promotus ad ordines sacros, aut non. Si sic : aut habet aliunde unde sufficienter vivere possit, et sic Ecclesia non tenetur ei providere, quia non indiget; aut non habet, et tunc Ecclesia ei tenetur, quoniam ipse obligatus exstat Ecclesiæ, nec valet ad sæculi actus redire. Hæc Petrus.

Richardus demum istis concordans, sciscitatur utrum clerici non beneficiati, nec in sacris constituti, teneantur portare tonsuram. Respondet : Clerici tales aut publice exercent actus clericali statui repugnantes, aut non. Si sic, tunc quamvis peccent talia opera exercendo, non tamen

peccant tonsuram hujusmodi non portando : imo eam portando magis peccarent. Et tales si tertio moniti ab eo ad quem pertinet, contempserint se emendare, privilegio clericali privantur, *extra* de Sententia excommunicationis, Contingit : quia ut dicitur ibi, privilegium meretur amittere qui permissa seu concessa sibi potestate abutitur, ac frustra legis auxilium invocat qui committit in legem. Si vero non exercent actus repugnantes beneficio clericali, sed tanquam clerici privilegio clericali utuntur, peccant non faciendo radi tonsuram loco et tempore opportuno, atque ad eam portandam compelli possunt ac debent, et ita intelligenda sunt jura. Clerici etenim scandalum in Ecclesia generantes, ad correctionem cogendi sunt, et ex consequenti ad portandum tonsuram, nisi forte tale commiserint facinus pro quo clericali privilegio merito sint privandi.

Insuper quærit, utrum clerici uxorati, non tamen bigami, teneantur tonsuram portare. Dicendum, quod clerici tales aut utuntur privilegio clericali, aut non. Si sic, portare tenentur. Si non, aut hoc est ut devitent ecclesiasticum judicium, quod propter delictum suum verentur, putantes facilius evadere in curia laicali; aut non propter delictum quo ecclesiasticum formident judicium, sed quoniam volunt se penitus ad actus laicales transferre, ut si velint milites fieri, aut alia sæcularia negotia exercere. Primo modo, compelli possunt ac debent, ut ferant tonsuram, ecclesiasticumque subeant judicium ; secundo modo, credo quod compelli non debeant portare tonsuram. Et per istam distinctionem concordari possunt jura diversimode sonantia.

Iterum investigat, utrum bigami teneantur non portare tonsuram. Respondet : Clerici bigami aut sunt religiosi, aut sæculares. Si sæculares, tenentur eam non portare. Idem dicunt nonnulli, si sint religiosi : quia constitutio prohibens generaliter lata est. Unde sicut videmus, quod constitutio torneamenta prohibens, omnes A ligat quacumque intentione torneamenta exerceant, et quantumcumque sobrie, quia prohibitio generaliter loquitur, quamvis propter abutentes sit facta; sic in proposito dicunt. Verumtamen, credo quod liceat bigamis religiosis tonsuram portare, quam ante bigamiam receperunt, præsertim ante editionem prohibitionis prætactæ. — Hæc Richardus.

Concordat Albertus, et addit : Exteriora in tonsura fiunt propter interiora. Interius autem correspondens coronæ seu tonsuræ, B est elevatio mentis ad Deum, non character. Et ipsa corona non est quid penitus corporale, sed est corporale ad spirituale ordinatum; et illud spirituale est partim conjunctum, videlicet elevatio mentis ad Deum; partimque subsequens, utpote Ordo ad quem disponit. — Amplius, dubium non est quin clerici jus habeant in sua hereditate patrimoniali. Aliter vero videtur in feudis quibusdam : quædam enim sunt ad annuum pretium cum homagio alicui exhibita, et quædam pro stipendiis militiæ C debitis. Videtur ergo quod patrimonium possunt habere. Atque feudalia scio quod in multis terris habent, et pretium exhibent, pretioque precibusve inducunt alium aliquem sibi in temporalibus æquivalentem, qui loco eorum facit homagium. Illa vero feudalia, quæ sunt quasi pro stipendiis militum, videtur mihi quod sine injuria domini feudi habere non valeant. Religiosi autem propria nequaquam possunt habere. Hæc Albertus.

Denique ad probationem hujus ultimi D verbi, allegat Richardus illud, *extra* de Statu monachorum, Quum ad monasterium : Prohibemus districte in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat. Nec æstimet abbas, quod super hoc possit dispensare, quoniam abdicatio proprietatis, quemadmodum custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, quod contra eam nec summus Pontifex possit professis licentiam indulgere.

De his omnibus Bonaventura scribit egregie, et pene omnia jam dicta in ejus Scripto diffuse habentur. — Quærit quoque, utrum clerici qui de bonis Ecclesiæ sustentantur, utpote habentes beneficium præbendale, teneantur ad horas canonicas. Respondet : Quidam obligantur Ecclesiæ, quia Ecclesia obligatur eis, ut qui beneficia recipiunt Ecclesiæ. In quibusdam est econverso : quia Ecclesia ipsis obligatur, quoniam ipsi primo per sacrorum ordinum susceptionem obligantur Ecclesiæ. Unde apparet secundum jus commune, quod clerici in sacris ordinibus constituti, ad horas tenentur canonicas ex officio ; infra vero sacros ordines, tenentur ad eas beneficiati ex beneficio ; constituti vero in sacris ordinibus et beneficiati, tenentur ad ipsas ex utroque. Et hoc dictat jus canonicum, et concordat divinum. Hæc Bonaventura.

QUÆSTIO III

DEinde quæritur, Utrum in hoc sacramento imprimuntur gratia et character ; de connexionibus quoque et modis characterum ordinum.

Et apparet quod non confert gratiam, quia non datur digne nisi gratiam jam habenti. In eodem autem non est nisi gratia una gratum faciens. — Item, ut dictum

Cf. t. XXIV, p. 174 D. est, character est indelebilis; sed aliqui ordinati degradantur, in quibus videtur character deleri. — Rursus, per dona gratiæ gratum facientis conformatur homo Christo sublimiter, magisque eminenter quam per dona gratiæ gratis datæ. Ergo ultra dona illa non requiritur ullus character.

Deut. XXXII, 4. Ad hæc Thomas respondet : Quum Dei perfecta sint opera, cuicumque divinitus datur potentia aliqua, dantur etiam ea per quæ congrue exsequi possit ea ad quæ or-

A dinatur. Quemadmodum autem gratia gratum faciens necessaria est ad hoc quod homo sacramenta digne recipiat, ita quoque ad hoc quod homo sacramenta digne dispenset. Hinc in sacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem, gratia gratum faciens datur. — Dicitur autem sacramentum hoc contra ignorantiam dari : non quod detur contra ignorantiam suscipientis, sed plebis, a qua habet ignorantiam expellere per hoc quod per Ordinem præ-

B ficitur plebi. Hinc ad idoneam ordinum exsecutionem non sufficit qualiscumque bonitas vitæ, sed requiritur bonitas excellens : quatenus sicut illi qui ordinem suscipiunt, constituuntur super plebem ordinis gradu, ita et superiores sint meritis sanctitatis. Hinc in ordinis susceptione confertur majus gratiæ munus, per quod ordinati reddantur ad majora idonei et condigni.

Præterea de impressione characteris fuit hic triplex opinio. Una, quod solum in

C ordine sacerdotali character imprimitur. Sed hoc non videtur, quoniam actum diaconi nullus potest exercere nisi diaconus : quo patet quod habet aliquam spiritualem ac specialem in sacramentorum dispensationibus potestatem. Ideo alia opinio est, quod in sacris ordinibus character imprimitur, non in minoribus. Quod etiam nihil est, quia per quemlibet ordinem ponitur homo super plebem in aliquo gradu potestatis, ordinatæ ad dispensationem sacramentorum. Quumque character sit signum

D ab aliis distinctivum, oportet quod imprimatur character in quolibet ordine : cujus signum est, quod perpetuo manent, et nunquam reiterantur. Et hæc est opinio tertia, quæ communior veriorque putatur. Unde quantumcumque quis quemcumque ordinem habens, ad laicatum se transferat, semper manet in eo character. Quod et inde ostenditur, quia si ad clericatum postea revertatur, non denuo ordinatur quantum ad ordinem quem semel accepit. — Denique, quilibet ordo habet actum

aliquem circa sacramentum, vel ordinatum ad sacramenti dispensationem: quemadmodum ostiarii habent admittere homines ad sacramenti inspectionem.

Amplius, si quæratur, an character Ordinis præsupponat in suscipiente characterem Baptismi, characteremque Confirmationis; dicendum, quod per characterem baptismalem fit homo aliorum susceptivus sacramentorum: ideo carens illo, nullius sacramenti alterius capax est, præsertim quum juxta præhabita, Baptismus sit janua sacramentorum. Hinc si quis se fingat aut probabiliter putet esse baptizatum, quum baptizatus non sit, et ordinetur; non recipit ordinem vere, nec potest conficere, nec quemquam absolvere: idcirco secundum canones baptizandus est, et denuo ordinandus. Alias si in episcopum promoveatur, illi quos ordinat, non suscipiunt ordinem. Attamen pie credi potest, quod quantum ad ultimos sacramentorum effectus, summus Sacerdos suppleret defectus, nec permitteret hæc ita jacere *, quod Ecclesiæ posset periculum imminere.

* latere

Verumtamen ad susceptionem ordinis non prærequiritur de necessitate character aut sacramentum Confirmationis, sed solum de congruitate, secundum quod ad aliquid agendum vel recipiendum requiritur id sine quo non potest convenienter agi aut recipi. — Conformiter respondendum, si quæratur, an character unius ordinis de necessitate præsupponat characterem alterius ordinis, præsertim inferioris. Unde si quis accipiat ordinem superiorem, prætermisso inferiore, non reordinatur, sed confertur sibi quod defuit, secundum canonum instituta. Hinc in primitiva Ecclesia quidam ordinabantur presbyteri, qui nondum acceperant ordines inferiores; nihilo minus poterant omnia quæ inferiorum sunt ordinum, quia potestas inferior in superiore continetur, sicut ducatus in regno. Postmodum vero ordinavit Ecclesia, ne ad superiores se ingerat ordines, qui in minoribus humiliter non servivit. Hinc quoque ordinati per saltum,

A non reordinantur; sed juxta canones, quod omissum de præcedentibus ordinibus fuit, suppletur et confertur. — Si autem objiciatur, quod ordines sunt quidam gradus subordinati, in quibus non potest quis pervenire ad gradus superiores, nisi ascendat per inferiores; respondendum, quod ordines isti non sunt gradus in eadem actione aut uno motu concurrentes, ut oporteat ad ultimum pervenire per primum: imo sunt gradus constituti in rebus diversis, sicut est gradus inter leonem

B et hominem ac angelum. Nec oportet quod qui angelus est, prius fuerit leo, deinde homo, ac postmodum angelus. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Albertus: Mihi (dicens) non videtur dubium esse, quin ordo iste characterem imprimat (ordo, inquam, ostiarii: quanto magis ordines sacri?) Causa enim seu ratio irreiterationis sacramenti non est nisi duplex: prima, quia causa non redit, sicut originale non redit post Baptismum; secunda, quia immobile ali-

Cf. t. XXIV, p. 161 B.

C quid manet in suscipiente sacramentum. Prima autem causa non iterandi sacramentum Ordinis, non est hic: defectus enim et peccatum contra quod datur, sæpe reiteratur. Ergo secunda causa hic locum habet, quod scilicet aliqua potestas indelebilis imprimitur, quæ character vocatur. — Sed objici potest, quod in hierarchia angelica, angelis animarum nostrarum custodibus non imprimitur character, qui tamen sunt superiores ostiariis seu custodibus in ecclesiastica hierarchia: ergo nec

D istis. Respondendum, quod de signis angelorum nobis incertum est; tamen de gradibus angelorum hoc nobis est certum, quod quantum ad gradum dignitatis unus super alium manet perpetuo, quamvis forsan evacuabuntur quantum ad actum atque officium, quando erit Deus omnia in omnibus post diem judicii. Hinc puto falsum esse, quod angeli non sunt distincti inter se signaculis naturæ et gratiæ ac gloriæ, secundum quod eorum officia sunt diversa, superiora et inferiora. — Præter-

I Cor. xv, 28.

ea quæritur, quum character creatus consignet, (A) et aliquo modo conformet trinitatem creatam increatæ, quomodo character iste hoc faciat. Respondetur, quod conformat ostiarium ei qui non dormit neque dormitat custodiendo Israelem. (*Ps.* cxx, 4.) Et sicut Christus in templo ostendit quemdam divinum fulgorem, quo territi cesserunt et exierunt de templo qui illud profanaverunt; sic quædam divina virtus deterrendi immunda a sancto loco, datur ostiariis, ex qua virtute pellere possunt immunda ab ædibus consecratis. Et hic est actus eorum, (B) ratione ordinis hujus; nec hoc possunt qui ordinem istum non acceperunt neque hanc potestatem. — Hæc Albertus. Qui in prædictis jam verbis videtur sentire, angelos specifice esse distinctos, quod super secundum videtur negasse, ut ibi narratum est. (*Cf.* t. XXI, p. 221 C.)

In his Petrus et Richardus concordant. Additque Petrus, characteres septem ordinum essentialiter et specie esse distinctos, sicut et ordines ipsos. Richardus quoque, quod in collatione cujuslibet ordinis, gratia (C) gratum faciens ordinato confertur, si digne recipit ordinem. Quemadmodum enim natura non solum dat suo effectui id quod necessarium est ad exsecutionem sui naturalis effectus, sed etiam illud quod requiritur ad exsecutionem idoneam; sic Deus dando ordinum potestatem, simul largitur gratiarum charismata per quæ digne ac meritorie exsecutionibus mancipentur. Hæc Richardus. — Eadem Argentinensis, qui et communem doctorum doctrinam communiter sequitur, et eadem (D) scribit quæ alii. Scripta quoque domini Bonaventuræ de his, continentur in introductis ex Thoma et aliis.

Porro Durandus : Quum (inquit) character sit potestas per quam homo potest exercere et exsequi operationes divinas, hinc sicut aliquid dupliciter habet rationem potestatis, ita et characteris. Simpliciter namque vocatur potestas, per quam possumus in operationem in quam ante non poteramus. Potestas vero secundum quid dicitur, per quam aliquid licite possumus quod et alias poteramus, sed non licite. Sic et character simpliciter vocatur, potestas qua possumus quod non potuimus ante. Secundum quid vero dicitur character, potestas per quam possumus quod et ante potuimus, quamvis non licite. Character ergo primo modo acceptus, in solo imprimitur sacerdotio; sumptus autem secundo modo, imprimitur in aliis ordinibus. Nam aliquis potest evangelium legere, ac cetera obsequia sacerdoti exhibere, quamvis non sit diaconus ordinatus, quamvis non possit id licite (et ita de ordinibus inferioribus aliis); non autem potest quis vere conficere corpus et sanguinem Salvatoris, nisi sit ordinatus sacerdos. — Nec est instantia nisi de exorcista, qui videtur in sua ordinatione accipere potestatem ad spiritualem effectum, puta ad impediendum dæmonis potestatem. Sed hoc secundum Cyprianum non cogit, quia secundum ipsum nil facit, sed tantum significat id quod postea in Baptismo efficitur. Ait namque : Scias diaboli nequitiam permanere usque ad aquam salutarem, in Baptismo autem nequitiam omnem amittere. Et ita secundum ipsum exorcista non habet super dæmonem potestatem. Sed quia contrarium tenetur communiter, ideo potest concedi, quod in ordinatione exorcistæ character imprimitur. Hæc Durandus.

In quibus insinuat, quod nec in aliis ordinibus minoribus, imo nec diaconatu nec subdiaconatu, imprimatur verus et proprie dictus character : quod ex dictis et dicendis censetur erroneum. Imo tam vere ac verus imprimitur in eis character, quam vere sunt ordines, et quam ratio ordinis convenit eis. Et sicut ex Alberto jam claruit, sicut proprius ostiarii actus non est tantum corporaliter ostium aperire, et quosdam ad ingressum admittere, quosdam arcere, sed potestative hoc agere, sicut expressum est; ita actus diaconi non est qualitercumque evangelium legere et alia quædam peragere, sed ex tradita sibi potestate peragere illa, ut statim dicetur.

Denique eadem potestate potest quis aliquid simpliciter et licenter seu de facto et de jure : quemadmodum sacerdos exsistens in caritate, vere et licite celebrat sacerdotali potestate, atque eadem potestate celebrat illicite et contra jus, quando scienter in mortali exsistens vitio celebrat.

QUÆSTIO IV

Consequenter, nunc sciscitandum, **Utrum in suscipientibus ordinem requirantur virtuositas vitæ atque scientia totius sacræ Scripturæ.**

Videtur quod non : quia quum homo ignoret an vere sit virtuosus et in caritate exsistens, grandi se periculo committeret, qui ad ordines procederet. — Item videmus frequenter, quod simplices sacerdotes devotius conversantur quam eminenter litterati. Propter quod dixit Salvator : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Salomon quoque loquens de Deo : Cum simplicibus, ait, sermocinatio ejus.

Matth. XI, 25.

Prov. III, 32.

Ad hæc Doctor sanctus respondet : Sicut B. Dionysius tertio Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo loquitur, Quemadmodum subtiliores ac clariores essentiæ, influxu solarium radiorum impletæ, lumen in eas superveniens* ac descendens aliis corporibus communicant, influunt, ac infundunt ; sic in omni actu obsequioque divino non est audendum aliis fieri ducem, nisi quis secundum omnem habitum suum factus sit deiformissimus, id est Deo simillimus. Quumque homo in quolibet ordine constituatur dux aliis in rebus divinis, in quolibet ordine tanquam præsumptuosus peccat mortaliter qui cum conscientia peccati mortalis ad eum accedit. Hinc sanctitas vitæ ad cujuslibet ordinis acceptionem et usum seu executionem requiritur de necessitate præcepti, non de necessitate sa-

Cf. t. XV, p. 461 D.

* in eis supereminens

A cramenti. Unde si malus ordinetur, vere suscipit ordinem. Hinc rursus divinus Dionysius in epistola ad Demophilum scribit : Talis, utpote non illuminatus, audax videtur, sacerdotalibus manum apponens ; et non veretur neque verecundatur divina præter dignitatem attrectans et exsequens, et quasi putans Deum nescire quæ ipse in se cognovit ; et decipere æstimat Deum, quem falso nomine patrem appellat ; et audet ipsius immundas infamias (non enim dicam orationes) super divina signa chri-

Cf. t. XVI, p. 543 B.

B stiformiter enuntiare. Ergo hujusmodi ordinatus, præsertim sacerdos, qui ordinem suum indigne exsequitur, est quasi blasphemus, et vocatur deceptor, sicque valde mortaliter peccat. Ideo quoque in Levitico Dominus dixit ad Moysen : Homo de semine Aaron qui habuerit maculam, non offeret panes coram Domino, nec accedet ad ministerium ejus. Quanto magis habens maculam culpæ mortalis, non debet Christi sacramenta conficere nec tractare. Nam et sanctus ait Hieronymus : Non solum epi-

Lev. XXI, 21.

C scopi et presbyteri atque diaconi providere magnopere debent, ut cunctum populum cui præsunt, sermone et conversatione præcedant, verum etiam inferiores gradus, et omnes qui oraculo Dei deserviunt, quoniam vehementer Dei Ecclesiam destruit, laicos esse meliores quam clericos. Denique, sicut quædam sunt medicinæ corporales quæ exigunt in accipiente robur naturæ, alias cum vitæ periculo assumuntur ; aliæ vero dari possunt debilibus : ita in spiritualibus quædam sunt sacramenta

D ad peccati remedium ordinata, et talia sunt peccatoribus exhibenda, ut Pœnitentia et Baptismus ; alia vero quæ gratiæ conferunt eminentiam, requirunt hominem gratia confortatum.

Præterea in quolibet hominis actu ad hoc quod sit ordinatus, oportet quod adsit directio rationis. Idcirco ad hoc quod homo actum ordinis idonee exsequatur, oportet quod tantam scientiam habeat, quod per eam sufficienter dirigi possit in executione et actibus ordinis sui. Ideo etiam

tanta scientia requiritur in eo qui est ad A ordinem aliquem promovendus. Nec oportet quod universaliter in tota Scriptura instructus sit, sed magis aut minus, secundum quod ejus ordo seu officium ad plura aut pauciora, ad majora vel minora extendit se, ut curati et qui aliis in spiritualibus præsident, sciant ea quæ ad doctrinam fidei morumque pertinent, et alii sciant ea quæ ad exsecutionem sui ordinis spectant. — Sed objici potest illud Mala-
Malach. II, 7. chiæ prophetæ, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore ejus requirent. B Ergo sacerdotum est, totius legis divinæ habere peritiam. Ad quod adduci potest, quod princeps Apostolorum in sua ait pri-
I *Petr.* III, 15. ma Canonica : Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide et spe. Ad quod implendum scientia requiritur valde magna. Et respondendum, quod sacerdos duplicem habet actum : unum principalem super corpus Christi verum ; alium secundarium super corpus ipsius mysticum. Secundus dependet a primo, non econverso : ideo C aliqui ad sacerdotium promoventur, quibus committitur primus actus dumtaxat, ut religiosi ; et illis sufficit prætacta scientia. Aliis commissa est cura animarum ; et de illis intelliguntur auctoritates inductæ : quia scientia legis eis necessaria est, non ut sciant omnes difficiles quæstiones, quia in illis debent ad superiores et doctiores recurrere ; sed ut sciant ea quæ populus eis commissus credere, scire et agere debet. Porro ad superiores sacerdotes, præsertim episcopos, pertinet, ut etiam ea D sciant quæ difficultatem continent in divinis, et de talibus instruant inferiores : et quo in altiori sunt gradu, eo plus obligantur ad hæc, ut S. Dionysius libro de
cap. V. Ecclesiastica asserit hierarchia.

Ex his patet responsio quæstioni qua quæritur, utrum promovens indignos ad ordines, peccet. Talis etenim infidelitatis est reus, et peccat mortaliter, tradens divina et committens sacra mysteria indignis, vel non sufficienter litteratis, nec virtuosis. Quod potissime est iniquum, dum tales ad curam animarum promoventur vel admittuntur : quod vergit in damnum boni communis, atque in derogationem Salvatoris, cujus oves committuntur lupis. — Et si objiciatur, quod digni non valeant inveniri ; dicendum, quod Christus nunquam ita relinquit Ecclesiam suam, quin in ea inveniri queant ministri idonei ad indigentiam populi, si indigni abjiciantur et boni promoveantur. Et si non invenirentur tam multi boni, melius esset paucos bonos quam plures esse malos, ut sanctus testatur Clemens. Debet quoque episcopus debitam facere inquisitionem de qualitate et scientia ordinandorum. Unde Apostolus scripsit ad Timotheum episcopum : Manum nemini cito imposueris. I *Tim.* V, 22.
Alias universa peccata quæ ex insufficientia ordinatorum contingunt, redundant in promotores et admissores eorum.

Insuper ex præhabitis patet responsio ad id, utrum exsistens in peccato mortali, peccet mortaliter utendo ordine sibi collato. Respondendum est quod imo, si conscius sibi sit aut esse debet de tali peccato, quoniam Deus in Deuteronomio jussit : Juste quæ justa sunt exsequeris. Idcirco *Deut.* XVI, 20.
quicumque hoc quod sibi competit ex ordine, facit indigne, ille quod justum est injuste exsequitur, et facit contra legis præceptum : idcirco mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum pertractat officium, non est dubium quin indigne faciat illud : unde constat quod mortaliter peccet. Si autem teneatur celebrare, non ob hoc exstat perplexus : quoniam pœnitere potest ac debet. — Si autem quæratur, an subditus possit a tali sacerdote sacramenta accipere licite ; apparet quod non, quia induceret eum ad peccandum, et communicaret ei in malo. Dicendum, quod quamdiu talis minister ab Ecclesia sustinetur, potest subditus ejus ab ipso sacramenta suscipere, quia ad hoc obligatur ; tamen præter necessitatis articulum non esset tutum quod illum induceret ad aliquid sui ordinis ex-

sequendum, durante in se conscientia tali A de illo ministro : quam tamen posset deponere, quoniam in instanti potest homo a Deo compungi ac pœnitere. — Postremo, quandocumque sacerdos seu alius ordinem habens, in peccato mortali exsistens, exhibet se in aliquo actu ordinis sui ut ministrum Ecclesiæ, mortaliter peccat; et toties taliter peccat, quoties hujusmodi actum exercet : quoniam ut divinus Dionysius primo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo contestatur, indignis * fas non est tangere symbola, id est sacramentalia si- B gna, seu sacra vasa. Idcirco dum tangunt res sacras quasi officio suo utentes, peccant mortaliter. Secus esset, si in aliqua necessitate aliquod sacrum contingerent aut exsequerentur, in casu quo et laico id liceret : ut si in necessitatis articulo baptizarent aut corpus Christi in terram projectum colligerent. — Hæc Thomas in Scripto. Quibus concordant Petrus, Richardus aliique communiter.

Cf. t. XV, p. 367 B.

* immundis

Et addit Petrus : Sicut non est idoneus ministrare regi terreno, qui est inimicus C ipsius, sic non est idoneus ministrare Regi æterno, qui non habet gratiam ejus. Et sicut inimicus ingerens se ad ministrandum regi præter necessitatis articulum, offendit eumdem; sic ingerens se ad ministrandum Deo in ordine aliquo sine caritate et gratia. Hæc Petrus.

De his dictum est plenius supra, ex his aliisque doctoribus, atque Bonaventura, qui asserit : ordinatum et sacerdotem ad hoc quod sine peccato mortali exerceat actum suum, non teneri esse in caritate, seu sine D culpa mortali, sed examinare conscientiam suam de hoc, an sit in peccato mortali, nec sibi conscium esse de hoc, imo probabiliter confidere se esse in gratia, ita quod pie credere possit se fecisse quod in se est. Idem dicit requiri atque sufficere, ad hoc quod homo sine mortali peccato celebret sive communicet.

tom. XXIV, p. 143 D, 235 B' et s.

Insuper dictis ex Thoma concordant hic scripta Alberti per omnia. Qui et aliqua addens : Quidam, inquit, accipiunt ordines ex sola devotione, ut monachi et alii religiosi; quidam vero ad hoc, ut in ipsis ordinibus administrent aliis verbum Dei ac sacramenta, ut quidam religiosi, et qui intitulati sunt ad curam animarum. De primis adhuc distinguo. Quidam enim habent curam animarum in suis ordinibus, ut abbates et confessores ipsius seu constituti ab eo; aut non habent, neque habebunt. Si habent, idem videtur esse judicium de eis aliisque curatis. Si non habent, et causa devotionis suscipiunt ordinem, videtur mihi quod non tenentur nisi ut sciant pronuntiationes psalmorum et distinctiones eorum quæ legunt, quæ ex grammatica addiscuntur. Si vero sumunt docendi officium ex beneficio, ut clerici intitulati; vel ex professione, ut quidam religiosi : videtur quod plura scire tenentur, et illa credo esse quæ in grosso exponenda sunt populo in fide ac moribus, quæ vocantur christianæ fidei rudimenta; in aliis vero determinent casus et quæstiones secundum consilium superiorum, ita ut sciant et dicant recurrendum esse ad illos.

Denique, nullum est dubium quin mortaliter peccet qui scienter promovet indignum ad ordines, vel ad curam pastoralem, vel ad aliquod ecclesiasticum beneficium. Indignus autem quis appellatur dupliciter, puta, contrarie et privative. Contrarie, qui habet in se aliquod contrarium aut repugnans dignitati, hoc est, mortale peccatum seu ignorantiam eorum quæ scire tenetur: et talis nullo modo est promovendus. Privative autem indignus est, qui privatus est dignificantibus ad promotionem, non tamen habet contrarium in se : et in talibus dispensari posset propter necessitatem aliquarum Ecclesiarum quæ indigent litteratis ac defensoribus, ut aliquid haberent de Ecclesia donec sufficienter addiscerent. Sed credo quod eis non possit cura committi, vel dari præbenda; sed expensæ pro eis fieri possunt de beneficio Ecclesiæ, quod interim alteri committeretur. — Nec valent excusationes quas quidam prætendunt, videlicet : quod propter nobi-

les magis honoratur Ecclesia, aut quod non (A) faciliter invenitur alius tam utilis Ecclesiæ in temporalibus, aut quod melius est habere quosdam quam nullos. Nam primum horum est ridiculosum, quia quo malus exstat nobilior aut potentior, tanto nocivior. Secundum quoque non valet, quoniam omnis temporalis utilitas spirituali est postponenda. Nec tertium, quum melius sit habere paucos bonos quam multos malos.

Insuper dicendum videtur, quod inidoneus promotus inidoneus manens, peccat (B) mortaliter quoties scienter et sine necessitate administrat ordinem sive officium suum. — Nec potest dispensari cum ita indigno, quod promoveatur, ita quod coram Deo sit validum, et quin ipsemet peccet mortaliter in quolibet actu administrationis, quamdiu manet indignus. Etenim dominus Papa, sicut in quadam decretali testatur, unumquemque cum quo dispensat, propriæ conscientiæ quoad Deum relinquit. Sed quia interdum oportet tolerare mala ne fiant pejora, hoc modo (C) dispensat, quod in judicio hominum objici non potest contra hoc super quo dispensatum est. — Hæc Albertus.

Ad quæstionem denique, an sacerdos in mortali peccato exsistens, quamvis occulto, peccet mortaliter actus ecclesiasticos exercendo, utpote prædicando, baptizando, potissime celebrando, etc., respondens
q. 30. sexto Quodlibeto Henricus : Actus, inquit, bonus et virtuosus ex genere, nunquam est malus nisi ex circumstantia; et quæstio ista restringitur ad circumstantiam (D) peccati mortalis. Itaque, secundum Augustinum libro de Libero arbitrio, clarum est nil aliud in tota congerie culpæ damnari nisi libidinem, id est improbam cupiditatem : quæ non est in actione nisi quoniam actio procedit ex amore implendi desiderium pravum ; imo ipsa cupiditas non aliud est quam hujusmodi amor, quemadmodum caritas est amor implendi desideria bona. Ex tali autem amore cupiditatis potest actio mala procedere dupliciter. Primo per se, puta ad prosequendum illud quod desideratur, ut fornicari, furari. Secundo per accidens, ut dum quis occidit maritum, quatenus uxore ejus fruatur liberius. Si ergo exsistens in peccato mortali, peccet mortaliter actus ecclesiasticos exercendo, propter circumstantiam peccati mortalis quod habet in se, hoc non est nisi quia incurrit in talem amorem male inflammantem, aut timorem male humiliantem, ex illo amore nascentem, qui sunt duæ radices peccandi. Porro ex tali amore non possent actus illi boni ex genere, procedere per peccatum mortale, nisi fiant ex desiderio acquirendi per actus illos ea per quæ voluntas promovetur ad explendum actum peccati quem habet in voluntate, utpote acquirendi pecuniam per quam exerceat suam carnalem libidinem, aut aliquid tale ; similiter nec ex illo inordinato timore, nisi per hos actus intenderet fugere impedimenta prohibentia prosecutionem illius libidinis, videlicet ut non amittat favorem, honorem, etc. Contingit autem sacerdotem talem, propter neutrum horum moveri ad exercendum ecclesiasticos actus, verum ut officio suo incumbat, vel ex naturali pietate, ut laici audiant divinum officium. Hinc dico simpliciter, quod esse in mortali peccato, ex ratione talis peccati non habet circumstantiam propter quam oporteat actum sic factum esse mortale peccatum : imo si in hoc peccat mortaliter, oportet hoc esse ex alia circumstantia cum dicto mortali peccato.

Distinguendum est ergo de hujusmodi actibus, atque de tempore in quo fiunt, de personis quoque exercentibus eos. Nam ecclesiastici actus sacerdotibus incumbentes, aut respiciunt donum gratiæ gratum facientis, aut non, sed donum gratiæ gratis datæ : cujusmodi sunt actus prædicandi, consulendi, corripiendi, seu Horas dicendi psallendo in communi, aut legendo sacerdoti epistolam ad altare vel evangelium, vel aliquid hujusmodi faciendo : hæc enim omnia de genere suo neque in agente ne-

A que in his circa quos fiunt, requirunt gratiam gratum facientem, neque præexsistendo nec eam causando. Et de talibus actibus dico absque distinctione, quod exsistens in peccato mortali potest eos exercere absque hoc quod peccet mortaliter : quia tenetur ad eos ex officio, nec oportet ibi esse talem contemptum. Actus de primo genere, ut administrare sacramenta, qui ad minus respiciunt gratiam quam efficiunt in suscipientibus digne, propter sanctitatem sacramentorum, in eo quod talem finem respiciunt, requirunt dignitatem in B suo ministro : ita quod contemptus mortalis in eo sit, si non digne et absque mortali culpa administret ea, nisi necessitatis articulus sit excusans. Si enim non sit necesse sacramentum administrare, sed absque incommodo, scandalo et periculo valeat tempus aliud exspectari, peccat mortaliter administrando, quia contemnit sacramentum. Si autem necessitas sit : aut hæc est de sacramento necessitatis, ut pœnitentia in extremis ; et ita administrans non peccat mortaliter, quamvis sit C in mortali, quoniam non accedit irreverenter præsumendo de se, sed quadam necessitate aut pietate inducitur ad subveniendum periclitanti. Aut est circa sacramentum quod non est necessitatis, nisi propter peccatum futurum cavendum, ut si populus scandalizaretur nisi fieret Missa : et sic non peccat mortaliter in administrando alia sacramenta a Sacramento altaris. Aut est circa Sacramentum altaris, et hoc dupliciter : primo, in ministrando sacramentum jam consecratum ; secundo, D consecrando et administrando. Primum horum dicunt aliqui non posse fieri sine peccato mortali ab eo qui in mortali est culpa, quoniam sicut ministrari non debet nisi mundis, ita nec tangi nisi a mundis. Alii dicunt oppositum, quod verius puto, quia tactus ille non attingit nisi ad formas panis ; nec fuisset mortale peccatum, si peccator tetigisset corpus Christi deambulantis in terra, ex pia causa. Secundum vero esset peccatum mortale, quia oporteret eum communicare, quod non licet exsistenti in peccato mortali. — Hæc Henricus.

Qui in ista opinione nullum pro se allegat doctorem authenticum, nec quempiam Patrum sanctorum. Præcedens autem positio habet pro se multas evidentes auctoritates, imo et divini Dionysii, et (quod majus est) Scripturæ canonicæ. Sed et multa falsa sunt in opinione ista. Primo quod ait, actum prædicandi posse fieri sine peccato mortali ab eo qui est scienter in mortali peccato : cujus oppositum (ut supra ostensum est) S. Thomas evidenter ostendit, eo (dist. xix, p. 530 A'.) quod talis quantum in se est, evacuat intentionem Scripturæ; et concordat quod ait Scriptura : Peccatori dixit Deus, Quare (Ps. xlix, 16.) tu enarras justitias meas? — Secundo quod ait, actum judicandi fieri posse sine mortali culpa ab eo qui est in culpa mortali : cujus oppositum supra ostensum est, non (dist. xix, p. 530 B.) solum ex Thoma, Alberto, multisque aliis, imo etiam ex hoc quod sancti patres Ambrosius Chrysostomusque testantur, quod exsistens in peccato mortali, indignus est judicare alium de eodem peccato, potissime de minori. Et eodem modo indignus est corripere alios, qui de eodem aut majori vitio reprehendi meretur. — Tertio quod dicit, epistolam et evangelium posse legi in officio Missæ sine peccato mortali ab eo qui sibi conscius est de mortali : cujus contrarium præfati doctores ostendunt (Cf. p. 19 C'.) ac probant, quod quicumque aliquem actum sacri ordinis exercet in peccato mortali, peccat mortaliter. — Quarto quod asserit, actus istos non exigere caritatem et gratiam in eo qui facit eos : cujus contrarium est ostensum, quum sint actus privilegiati. Et quamvis non de necessitate ordinis seu sacramenti, tamen de necessitate præcepti requirunt gratiam in eo qui recipit aut exsequitur eos. — Quinto quod dicit, sacerdotem exsistentem et manentem in mortali, posse sacramentum Eucharistiæ consecrare et ministrare aliis in articulo necessitatis, vel causa scandali vitandi, sine peccato mortali : cujus contrarium

dist. IX, q. 2, 3, 4. satis ostensum est. Nec excusat eum necessitas, quum possit in instanti vel subito pœnitere, et emendationem atque confessionem proponere. — Sexto quod dicit, talem ministrum posse tangere sacramentum sine mortali, quum juxta divinum et sacratissimum Dionysium, non sit fas eum sacra tangere symbola, id est consecrata vasa, sicut expositum est. (p. 20 A.) Imo sacerdos aut minister hujusmodi, aliquem actum ordinis sacri efficiens, est quasi Dei irrisor, subsannator et tanquam blasphemus censendus.

Insuper rationes quas allegat Henricus, nil valent, ut quod talis sacerdos tenetur ad hujusmodi actus : imo dico, quod tenetur eos non exercere quamdiu in mortali est vitio, sed obligatur se emendare, pœnitere, atque ad tam divinissima mysteria peragenda disponere et dignificare. — Rursus, quod ait, non esse in illis actibus contemptum mortalem, nil probat : non enim omne peccatum mortale procedit ex formali contemptu, ut patet de his qui ex infirmitate seu ignorantia peccant. Item qui celebrat et suscipit sacramentum, ita posset excusari juxta hæc scripta, ut ille qui sacramentum alii administrat. Rursusque Apostolus ait : Quicumque manducaverit panem hunc indigne, reus erit corporis (I Cor. XI, 27.) et sanguinis Domini ; et denuo, Judicium (inquit) sibi manducat et bibit. (Ibid. 29.) Sed non est minus celebrare quam communicare : imo sacerdos, ceteris paribus, in his multo gravius peccat quam non sacerdos seu laicus. Hinc ista opinio videtur multum erronea, periculosa ac devitanda. Et miror quod doctor ille, qui in aliis scriptis est communiter tam rigorosus, est in istis tam laxus. De his autem pertranseo, quoniam copiose præhabita sunt, et ex præhabitis horum veritas lucide innotescit. Hoc tamen adjicio, quod quamvis amor male inflammans, et timor male humilians, sint quædam generales peccandi radices, non tamen omne peccatum mortale procedit directe et immediate ex altero horum, sed interdum mediate ac reductive.

QUÆSTIO V

MOdo quærendum, **Utrum sint tantum ordines septem ; et qualiter ab invicem distinguantur** : nam quidam dicuntur ordines sacri, quidam non sacri.

Videtur quod sint plures quam septem. Nam psalmistatus videtur esse ordo; similiter episcopatus; atque in textu habetur, Quadripartitus est ordo episcoporum. — Item ordo est totum potestativum, in quo superius continet inferiora et superaddit : sicque potest sacerdos, inferiorum ordinum actus efficere, nec oportet actus per supposita diversa distingui.

Et merito quæritur, cur hoc sacramentum magis distinguitur per tot partes seu species quam alia sacramenta, quum tamen quamdam eminentiam habeat, simpliciusque consistat, et magis spirituale quam alia : propter quod minus divideretur.

Ad hæc Thomas respondens, et primo cur in Ecclesia plures sint ordines : Ordinum (inquit) multitudo introducta est in Ecclesia propter tria. Primo, propter commendandam sapientiam Dei, quæ in condecenti ac ordinata entium dispositione atque distinctione præsertim relucet, in cujus figuram scriptum est : Videns regina Saba ordinem ministrantium Salomoni, (III Reg. X, 4, 5.) etc., non habebat ultra spiritum, id est, præ admiratione defecit. Secundo, ad succurrendum humanæ infirmitati : quia per unum omnia ad divinum cultum spectantia expleri nequeunt sine magno gravamine. Propter quod etiam Dominus dedit Moysi senes in adjutorium. (Num. XI, 16, 25.) Tertio, ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum in diversis officiis plures constituuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil divinius est, ut S. Dionysius loquitur. (De Cœlest. hier. c. V.) Diversificatur autem hoc sacramentum magis quam alia : quoniam alia sacramenta dan-

tur ad percipiendum quosdam effectus, A hoc vero ad exercendum aliquos actus : ideo secundum illorum actuum varietatem distinguitur ordo. — Et si quæratur, qualis sit ista divisio; dicendum, quod non est totius integralis in partes, nec totius universalis in species, sed totius potestativi, cujus est ista natura, quod secundum completam rationem suam est solum in uno, et in aliis secundum quamdam participationem. Unde secundum Philosophum octavo Ethicorum, regimen monarchicum in quo unus tantum principatur, est optimum : B in quo plenitudo potestatis residet penes unum; et tale est regimen militantis Ecclesiæ.

Denique septem sunt ordines, quorum sufficientiam aliqui sumunt per adaptationem ad gratias gratis datas, de quibus in prima ad Corinthios legitur, dicentes, quod sermo sapientiæ competit episcopo, quum ipse aliorum sit ordinator, quod ad sapientiam pertinet; sermo scientiæ sacerdoti, qui habet clavem scientiæ; fides diacono, qui prædicat Evangelium; operatio virtutum C subdiacono, qui se ad opera perfectionis extendit per continentiæ votum; interpretatio sermonum acolytho, quod designatur in lumine quod deportat; gratiæ sanitatum exorcistæ, qui dæmones pellit; genera linguarum psalmistæ; prophetia lectori; discretio spirituum ostiario, qui quosdam admittit et quosdam repellit. Sed hoc nihil est, quoniam gratiæ gratis datæ non dantur eidem, sicut ordines. Episcopatus quoque et psalmistatus non sunt ordines, ut dicetur. — Hinc alii assignant sufficientiam D istam secundum quamdam assimilationem ad hierarchiam angelicam, in qua ordines spirituum supernorum distinguuntur secundum purgationem, illuminationem et perfectionem, dicentes, quod ostiarius purgat exterius, segregando bonos a malis; interius vero acolythus, quia per lumen quod portat, significat se interiores pellere tenebras; sed utroque modo exorcista, quia diabolum, quem expellit, utroque modo perturbat. Illuminatio demum quæ fit per

I Cor. XII, 8-10.

doctrinam propheticam, fit per lectores; et quæ fit per doctrinam evangelicam, per diaconos; quæ per apostolicam, per subdiaconos. Perfectio autem communis fit per sacerdotes, sicut quæ est Pœnitentiæ ac Baptismi; excellens vero per episcopum, ut consecratio sacerdotum ac virginum; excellentissima autem per summum Pontificem, in quo est plenitudo auctoritatis. Verum hoc etiam nihil est, quoniam ordines angelorum non distinguuntur per actus illos, quia in quolibet ordine sunt, et quia secundum B. Dionysium, solis episcopis convenit perficere, sacerdotibus illuminare, inferioribus omnibus purgare. — Ideo alii appropriant ordines septem donis, ut sacerdotio correspondeat donum sapientiæ, quæ nos cibat pane vitæ et intellectus, sicut sacerdos nos reficit pane cœlesti; timor ostiario, quoniam timor separat nos a malis : sicque intermedii ordines correspondeant intermediis donis. Sed hoc iterum nihil est, quia in quolibet ordine septiformis gratia datur.

De Eccl. hier. c. V.

Aliter ergo dicendum, quod scilicet Ordinis sacramentum ordinatur ad Eucharistiam, quæ (teste B. Dionysio) est sacramentum sacramentorum. Ideo distinctio ordinum accipienda est secundum diversam relationem ad Eucharistiam, quia potestas ordinis aut est ad Eucharistiæ consecrationem, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad illam. Si primo modo, sic est ordo sacerdotum : idcirco quum ordinantur, accipiunt calicem cum vino, et patenam cum pane, in signum accipiendi potestatem consecrandi corpus et sanguinem Domini. Porro cooperatio ministrorum vel est in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo, sic tripliciter. Primo enim est ministerium quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento quoad dispensationem, quamvis non quoad consecrationem, quam solus facit sacerdos : et hoc ad diaconum spectat, qui et sanguinem dispensat. Secundo est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris

Ibid. c. III.

vasis sacramenti : et hoc ad subdiaconum A pertinet; idcirco accipit calicem de manu episcopi, sed vacuum, quum ordinatur. Tertio est ministerium ordinatum ad præsentandum materiam sacramenti : et hoc competit acolytho, qui urceolum præparat cum vino et aqua. Ministerium vero ad præparationem recipientium ordinatum, non potest esse nisi super immundos. Nam mundi eo ipso quo mundi, sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex quoque est genus immundorum, secundum S. Dionysium. (De Eccl. hier. c. III.) B Aliqui sunt enim infideles credere non volentes, et hi a visione divinorum et a cœtu fidelium omnino sunt excludendi : quod facere ad ostiarios spectat. Alii credere volunt, sed nondum in fide instructi sunt, utpote catechumeni : ad quorum instructionem deputatur ordo lectorum. Hinc prima rudimenta fidei, utpote vetus Testamentum, eis legendum committitur. Quidam sunt fideles in fide instructi, defectum habentes ex dæmonis potestate, scilicet energumeni : ad quos ministerium habet ordo exorcistarum. — C In primitiva autem Ecclesia, propter paucitatem ministrorum, cuncta ministeria inferiora committebantur diaconis ; nihilo minus universæ inferiores potestates implicite erant in una diaconi potestate. Postmodum, ampliatis cultu Dei et ipsa Ecclesia, id quod implicite fuit in una potestate, explicite tradidit in diversis ordinibus. Sicque intelligendum est quod ait Magister, quod (*Cf.* p. 71.) Ecclesia diversos ordines sibi instituit. — At vero psalmistatus non est ordo, sed officium ordini annexum. Quum enim Psalmi D cum cantu pronuntientur, ideo dicitur psalmista et cantor. Nec cantor est nomen ordinis specialis : tum quia cantare ad totum pertinet chorum ; tum quia non habet specialem relationem ad Eucharistiæ sacramentum. Tamen quia officium quoddam est, interdum computatur inter ordines large sumptos.

Quæritur quoque, an ordines distinguantur per sacros et non sacros. Et respondendum, quod ordo vocatur sacer dupliciter. Primo, secundum se : et sic quilibet ordo est sacer, quum sit sacramentum quoddam. Secundo, ratione materiæ circa quam habet aliquem actum : sicque ordo dicitur sacer, qui habet actum circa rem consecratam ; et ita sunt tres ordines sacri, puta sacerdos, et diaconus, qui habet actum circa corpus Christi vel sanguinem consecratum, et subdiaconus, habens actum circa vasa consecrata : ideo istis injungitur continentia, ut sancti et mundi sint qui sancta tractant. — Hæc Thomas.

Amplius Bonaventura : Ratio (ait) quare hoc sacramentum habet gradus, est quoniam ordinatur ad dispensandum sacramentum dignissimum, et ad ministrandum in templo Dei. Ad ministrandum autem concurrunt quædam digniora et aliqua minus digna. Etsi omnia requirant sanctos ministros, maxime tamen illa quæ attenduntur circa altare, et circa sanctorum portationem vasorum, et circa oblationem sacrificii consummandam, juxta illud Isaiæ : Mundamini, qui fertis vasa Domini. (*Is.* LII, 11.) Sanctitas vero seu sanctificatio potissime consistit in continentia : hinc quidam sunt ordines qui requirunt continentiam in ministris, quidam non. Ideo quidam ordines dicuntur sacri, quidam non sacri, ratione ministerii, ad quod requiritur sanctitas in ministro. — In hoc demum omnes concordant, quod huic sacramento competit graduum distinctio, sive propter hoc quod penes ipsum membra Ecclesiæ in corpore mystico ordinantur secundum diversas operationes et gratias ; sive ob hoc quod secundum istud sacramentum pulchritudo Ecclesiæ militantis conformatur pulchritudini Ecclesiæ triumphantis ; sive ob hoc quod istud sacramentum in suo supremo ponit et disponit hominem ad gratiam perfectionis, et gratia perfecta in pluralitate donorum Spiritus Sancti consistit ; sive ob hoc quod hoc sacramentum ordinat ad dignissimum ministerium, quod est consecratio dominici corporis, ad quam non statim est convolandum, sed paulatim per gradus ascendendum, quum istud sacramentum

ob sui nobilitatem ac reverentiam debeat A multa habere ministeria inferiora. Itaque omnibus modis his accipitur ratio pluralitatis in gradibus ordinum. Atque secundum adspectum ad has rationes plurificandi, sumitur sufficientia graduum ecclesiasticorum diversimode a diversis. Quidam etenim sumunt penes distinctionem membrorum Ecclesiæ, quæ attenditur secundum dona gratiarum, de quibus ait Apostolus :
I Cor. xii, 8. Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, etc. Dicuntque novem esse ordines, secundum novem genera gratiarum illarum. (Ce- B
p. 24 B. tera ut supra in Thoma.) Hæc Bonaventura.

Qui scribit hic eadem quæ Thomas, et
p. 24 C'. sufficientiam approbat quam et Thomas.
Cf. p. 6 in fine. Insuper, circa id quod in littera dicitur, Canones duos tantum ordines censent sacros appellari, affirmat : Ordo uno modo dicitur sacer, quoniam tangit res sacratas : et ita sunt tres ordines sacri. Secundo, quia dispensat rem sacram, et tractat ac defert : et ita sunt duo ordines sacri, videlicet sacerdotium et diaconatus. Tertio, quia conficit sacramentum : sicque solum sacerdo- C tium sacer ordo vocatur. — In præinductis nunc concordant Albertus, Petrus, Richardus, aliique communiter. Scotus tamen quædam communi doctrinæ contraria scribit, quibus immorari et occupari reor superfluum. Antisiodorensis quoque præhabitis consonat.

Adhuc de ista materia, hoc est de sacramento Ordinis et concernentibus illud, aliqua sunt addenda ex Guillelmo Parisiensi, qui in suo fatur Sacramentali : Sacramenta D sunt spiritualia medicamenta, per quæ spiritualis sanitas efficitur ac patratur. Ubi autem medicamenta, ibi medici sunt necessarii. Medicos vero spiritualium medicamentorum oportet esse ordinatos, atque ad illa ministranda sanctificatos. Sanctificatio quippe nobilissima atque præcipua operatio est inter ea quæ ministerio hominum exercentur : ideo ministerium ejus oportet habere speciales ac appropriatos ministros. Ad sancta autem ac sacratissima neminem fas est ingredi, nisi præsanctificatione aliqua præparatum. Quumque ecclesia domus sit Dei, necessario habet ostiarios et custodes ac auditorium sacrum, ubi Dei judicia ac præcepta et verba ipsius jugiter recitentur ac audiantur. Hinc lectoribus indiget. Rursus, quum in domo Dei deceat luminaria accendi, ac sacris ministeriis anteferri, oportuit in ecclesia acolythos seu ceroferarios esse. Et quia exigentibus demeritis hominum, maligni spiritus corpora hominum frequenter infestant, animasque perturbant, oportuit exorcistas consistere. Ministros autem Sacramenti altaris oportuit ab aliis esse distinctos, et multo plus consecrari ac sanctificari quam ipsum templum ac vasa ipsius. Et sicut cultus templi medius est ac mediatorius inter Deum cui impenditur, et communem religiosæ et sanctæ conversationis cultum; sic ministri ipsius ex necessitate medii sunt et mediatores inter Deum et alios ipsius cultores. Ergo necessariam habent specialem gratiam sanctitatis, qua huic cultui specialiter deputentur. Ordo vero, prout hic sumitur, est sanctitas prima, qua divino cultui exercendo adscribitur homo. Et dicitur sanctitas seu sanctificatio prima, quæ nulla pollutione peccati tollitur aut fœdatur, sicut nec baptismalis character.

Actus demum et partes cultus divini, sunt adoratio, collaudatio cum partibus suis, quæ sunt gratiarum actio, benedictio et glorificatio, intercessio quoque pro aliis, sacrificatio et sacramentatio, etc. Quemadmodum autem in causis forinsecis simplices, imperiti, et judicialium causarum ignari, indigent advocatis; ita in spirituali negotio et cultu divino plebs sacerdotibus indiget, qui agunt causam populi coram Deo, ne plebs simplex imperite orando offendat, insipienterve offerat. Nempe sacerdos non suas, sed Ecclesiæ supplicationes ac hostias Domino offert, tanquam mediator et internuntius plebis cui officiatur. Et sicut advocatus non suum jus allegat, sed ejus cui patrocinatur; sic sacerdos ex

suo officio verba ac preces Ecclesiæ gestat in ore, et ea allegat quæ precibus Ecclesiæ efficaciam possunt præstare, utpote quæ Christus pro nostra salute assumpsit, egit ac passus est. Vox quoque interior et intellectus talium orationum, vox et intelligentia exstat Ecclesiæ, et propter gratiositatem et meritum ejus exauditur, præsertim preces (inquam) ac merita Christifidelium, quæ innituntur ac uniuntur orationibus ac meritis Salvatoris, qui (ut
Luc. VI, 12. ait Evangelista) fuit in oratione Dei pernoctans, et nunc quoque interpellat pro nobis. — Hæc Guillelmus. Ex cujus Sacramentali plura allegassem, nisi diligenter percurrendo invenissem ea quæ scribit, sententialiter esse inducta.

Scribit etiam qualiter multa sublimia nomina conveniant sacerdotibus evangelicæ legis, ratione administrationis sacramentorum : ita quod ipsi rite vocantur dapiferi ac pincernæ in palatio summi Regis, medici animarum, judices populorum, cooperatores Altissimi, reconciliatores reorum, et dii inter homines appellandi, mediatores inter Deum et proximos, pretiosissimis et supernaturalibus donis intus ornati, divinissimis characteribus insigniti, supernaturaliter sublimati. Sed heu,
Ps. XLVIII, 13. heu ! homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et quanto a supergloriosissimo ac superpiissimo Creatore ac Salvatore sublimius ac copiosius sunt honorati ac decorati, tanto se ipsos vilius dehonorant, turpius inquinant, damnabiliusque confundunt.

QUÆSTIO VI

Adhuc quæritur circa hæc, Quando et in quo actu ordines et eorum characteres imprimantur.

De hoc Thomas testatur : Ejusdem est formam inducere, et materiam ad ipsam formam de proximo præparare. Unde epi-
A scopus in collatione ordinum duo facit : præparat enim ordinandos ad ordinis susceptionem, et tradit ordinis potestatem. Præparat quidem, instruendo eos de officio suo, et aliquid circa eos operando, quatenus idonei sint potestatem accipere : quæ præparatio consistit in tribus, quæ sunt benedictio, impositio manus et unctio. Per benedictionem divinis obsequiis mancipantur. Per manus impositionem plenitudo gratiæ datur, per quam ad magna officia fiunt idonei : ideo solis sacerdotibus atque
B diaconis fit, quoniam eis competit dispensatio sacramentorum, quamvis uni ut principali, et alteri sicut ministro. Unctione quoque ad aliquod sacramentum tractandum consecrantur : ideo unctio solis sacerdotibus fit, qui propriis manibus corpus Christi tangunt : quemadmodum etiam calix inungitur, quoniam continet sanguinem Christi ; et patena, quæ continet ejus corpus. Potestatis autem collatio fit per hoc, quod datur eis aliquid quod ad proprium eorum pertinet actum. Quumque
C principalis actus sacerdotis sit consecrare corpus et sanguinem Salvatoris, ideo in porrectione seu datione calicis sub determinata forma verborum, ordo sacerdotalis seu sacerdotii character imprimitur. — Porro Christus dedit Apostolis sacerdotalem potestatem quantum ad principalem ejus actum, in Cœna, quum dixit : Accipite et manducate. Unde subjunxit : Hoc facite in *I Cor.* XI, 24.
meam commemorationem. Post resurrectionem vero dedit eis sacerdotalem potestatem quantum ad actum secundarium, qui
D est absolvere et ligare, quum dixit : Quorum remiseritis peccata. *Joann.* XX, 23.

Verum his objici potest, quod subdiacono quoque character imprimitur in calicis porrectione, non ipsi diacono : unde videtur subdiaconus conformior sacerdoti quam diaconus. Respondendum, quod potestas diaconi media est inter potestatem sacerdotis et subdiaconi. Sacerdos quippe directe potestatem habet super corpus Christi, subdiaconus vero solum super vasa ; diaconus autem super corpus in vase

contentum. Ideo ejus non est, tangere corpus dominicum, sed portare in patena, ac sanguinem dispensare cum calice. Ideo ejus potestas ad actum principalem, non potuit exprimi per dationem vasis tantum, nec per dationem materiæ; sed exprimitur potestas ejus quoad secundarium actum, in hoc quod datur ei liber Evangeliorum, in qua potestate intelligitur alia. Idcirco in libri porrectione imprimitur ei character. — De acolytho quoque sciendum, quod principalior ejus actus est ministrare in urceolo quam in candelabro, quamvis denominetur ab actu illo secundo, tanquam magis noto et ei plus proprio : ideo in datione urceoli imprimitur ei character. — Hæc Thomas.

Præterea Bonaventura : Præsupponendum est hic, ait, quod omne sacramentum habet aliquod signum exterius essentiale : nullatenus enim accidit sacramento signum esse, imo essentiale est ei simpliciter. Iterum supponendum, quod in omni sacramento in quo character imprimitur, illud essentiale est sacramento, in quo imprimitur ipse character. Rursus, quum signum similitudinem debeat habere cum signato, idcirco in illo character imprimitur quod ei exterius in sacramento magis assimilatur. Quumque in Ordine imprimatur character, qui est signaculum ad aliquam potestatem spiritualem, hoc pro regula generali servandum est, quod in illo signo exteriori character imprimitur in quolibet ordine, in quo potestas principalis illius ordinis significatur tradi ordinato. Ad quam significandam duo concurrunt exterius, puta traditio alicujus instrumenti, atque expressio verbi, ut sic in signo visibili simul et audibili significetur dari. Nec sufficit signum audibile sine visibili, propter hoc quod aliud verbum, aliud respicere debet signum, ut patet in aliis sacramentis. Nec sufficit signum sine verbo, quoniam signum tale, ut vas aut liber, potest alteri dari ad multa : unde oportet per verbum arctari. Et hæc duo essentialia sunt atque intrinseca sacramento, et inte-

A grantia ipsum secundum rationem signi. Quumque manus sit organum organorum in operando, et lingua in exprimendo et significando, recte significatur potestas conferri in officio utriusque. Et hæc in quolibet ordine inveniuntur, secundum quod reperitur et characteris impressio. Sed quia characteres sunt diversi, habentes dignitatem majorem sive minorem secundum gradus potestatum; idcirco tam signa quam verba diversificantur, præsertim in sacris ordinibus et in non sacris. Nempe B in ordinibus sacris datur potestas nobilis et excellens : ideo fit ibi manus impositio, non tantum instrumenti traditio; quia in manu, quæ est organum organorum, consistit principalius operandi potestas. Unde sic ordinabant in primitiva Ecclesia, in qua non nisi duo ordines ultimi erant explicite. In ordinibus vero minoribus fit traditio alicujus instrumenti, ut clavis aut libri. Et si plura instrumenta uni tradantur, illud est pro principali habendum quod episcopus tradit cum verborum pro- C latione, dicendo : Accipite. Denique, quinque fiunt in sacerdotii datione : benedictio, inunctio, impositio manus, porrectio alicujus materialis, et verborum expressio. Jamque supra ostensum est, in quo horum character imprimitur. Hæc Bonaventura.

Et in his ac dictis Thomæ continentur et aliorum sæpe præallegatorum dicta doctorum. Verumtamen Petrus opinatur characteres sacerdotii ac diaconatus imprimi in impositione manus episcopi super eos. Insuper Thomas scribit hic de actibus or- D dinum singulorum. Albertus quoque circa litteram multas quæstiones producit, quarum solutiones ex dictis ac dicendis pro maxima parte patent.

Richardus etiam addit : Pro regula dico, quod in susceptione illius signi exterioris imprimitur character, in quo signo principalis potestas quam respicit ille ordo, significatur expressius : ad quam expressionem concurrunt alicujus instrumenti traditio et verbi expressio, quo determinatur expressius instrumenti significatio.

Quumque principalis potestas quam re- A spicit ostiarii ordo, expressius designetur in clavium ecclesiæ datione, quam in aliquo alio quod circa ipsum fit ; et potestas lectoris, per hoc quod sibi ab episcopo datur codex divinarum lectionum ; potestasque exorcistæ, per hoc quod de manu episcopi accipit librum exorcismorum ; atque potestas acolythi, per hoc quod accipit candelabrum cum cereo ; potestas item subdiaconi, per hoc quod accipit de manu episcopi calicem vacuum et patenam : ideo in his instrumentis et signis cum determi- B natis formis verborum characteres imprimuntur. De impressione vero characterum *Cf.* p. 27 C', 28 A. diaconi ac sacerdotis jam dictum est. Hæc Richardus.

Præterea de actibus ordinum asserit Thomas : Consecratio quæ fit in Ordinis sacramento, ordinatur ad Eucharistiæ sacramentum : ideo ille est uniuscujusque ordinis actus principalis, per quem proximius ordinatur ad Eucharistiæ sacramentum ; ac penes hunc actum est unus ordo C eminentior altero. Quumque ad sacramentum Eucharistiæ tanquam ad quid dignissimum multa ordinentur, non est inconveniens, ut unus ordo præter actum suum principalem, etiam alios multos habeat actus, tantoque plures, quanto est altior : quoniam virtus quanto superior, tanto se ad plura extendit. Hinc non solum ordines inferiores, sed et sacerdotalis potestas ad Eucharistiæ susceptionem disponit. Duplex namque est præparatio suscipientium sacramentum : una remota, quæ ad infe- D riores pertinet ordines ; alia propinqua seu proxima, qua statim efficiuntur idonei ad sacramenti susceptionem. Nam et in naturalibus, ab agente eodem fit materia in ultima dispositione ad formam, et accipit ipsam formam. Et quia in proxima dispositione ad Eucharistiam fit homo, per hoc quod a peccatis purgatur ; ideo sacerdos est proprius dispensator omnium sacramentorum per quæ homo a peccatis purgatur, videlicet Baptismi, Pœnitentiæ et Unctionis Extremæ. Insuper iidem actus quandoque ad diversos pertinent ordines differenter. Nam et actus aliqui immediate ordinantur ad Deum dupliciter. Primo, ex parte unius personæ tantum, ut facere singulares orationes : et talis actus competit cuilibet baptizato. Secundo, ex parte totius Ecclesiæ : et sic solus sacerdos habet actus ad Deum immediate ordinatos, quoniam ipse solus gerit personam totius Ecclesiæ, qui Eucharistiam consecrat, quæ est totius universalis Ecclesiæ sacramentum. Sic quoque oblationes oblatæ a populo, per sacerdotem offeruntur : ideo duplex ministerium circa oblationes est necessarium : unum ex parte populi, et hoc est subdiaconi, qui accipit oblationes a populo, et ponit super altare, vel tradit eas diacono ; aliud ex parte sacerdotis, et hoc est diaconi, qui oblationes ministrat sacerdoti : et in hoc consistit principalis actus ordinis utriusque. — At vero aliqui dicunt, quod in ordinis susceptione datur ostiario vis quædam divina arcendi quosdam ab introitu templi, sicut fuit in Christo quando ejecit vendentes et ementes de templo. Sed hoc magis pertinet ad gratiam gratis datam quam ad sacramenti gratiam. Idcirco dicendum, quod suscipit potestatem ut ex officio hoc agere queat, quamvis ab aliis quoque hoc fieri valeat, sed non ex officio. Et ita est in omnibus minorum actibus ordinum, quod possunt per alios licite fieri, quamvis alii non habeant officium ad hoc : quemadmodum etiam in domo non consecrata potest legi Missa, quamvis consecratio ecclesiæ ad hoc ordinetur ut in ea celebretur. Hæc Thomas. — Quæ videntur præhabitis verbis repugnare Alberti, quæ quæst. 3, p. 16 B'. catholice dicta censentur, præsertim quoniam sacramenta evangelicæ legis efficiunt quod designant. Et si vera ac realis potestas ostiario condonatur in sua ordinatione ad exercendum opera sui officii, possunt verba illa Alberti de potestate illa intelligi quæ etiam est donum gratiæ gratis datæ.

QUÆSTIO VII

PRæterea, quia præhabitum est, quod p. 12 C. nec corona seu clericalis tonsura, nec p. 25 D. psalmistatus sit ordo, restat quærendum, **Utrum episcopatus sit ordo.**

Videtur quod sic, quia episcopatus est potestas et gradus Ecclesiæ in spiritualibus dispensandis; et rursus, quia divi- De Eccl. hier. c. v. nus Dionysius libro Ecclesiasticæ hierarchiæ tractat de episcopatu, sacerdotio, diaconatu, et innuit hos esse tres ordines sacros.

Ad hoc respondet Albertus : Quum nullus sit actus excellentior cujuscumque ecclesiastici ordinis, quam consecrare corpus ac sanguinem Salvatoris, nullus potest esse ordo post aut supra sacerdotium. Ideo ea quæ Magister enumerat, dicens, Ordo episcoporum quadripartitus est, etc., jurisdictionum sunt nomina, utpote : episcopatus, archiepiscopatus, metropolitanus et Papa. Verumtamen archiepiscopos vocat, quos nunc Ecclesia appellat primates; et quos Ecclesia modo archiepiscopos nominat, ipse nuncupat metropolitanos. Et ista non dicunt nisi potestatem jurisdictionis supra sacerdotem ; ordo autem vocatur potestas ecclesiastica circa sacramentum Eucharistiæ aliquo modo operativa ac ordinata, non circa mysticum Christi corpus. Hæc Albertus.

Concordat Thomas : Ordo, inquiens, dupliciter accipi potest. Primo, ut est sacra- Cf. p. 24 C'. mentum : sicque omnis ordo refertur seu ordinatur ad Eucharistiæ sacramentum. Quumque episcopus supra sacramentum hoc non habeat majorem potestatem quam sacerdos, non habet hoc modo ordinem sacerdotio altiorem. Secundo sumitur ordo ut est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum : sicque quum episcopus habeat potestatem in hierarchicis actibus respectu mystici corporis, episcopatus dicitur ordo, et supra sacerdo- A tium eminens : et ita B. Dionysius loquitur. Hæc Thomas.

His consonans Bonaventura : Ordinis (ait) potestas principaliter ordinata est ad sacramentorum dispensationem, potissime sacramenti Eucharistiæ, in quo est status graduum ac ordinum ascendentium : ideo ultra sacerdotium non est aliquis ordinis gradus. Sed intra hunc gradum ac ordinem est distinctio dignitatum et officiorum, quæ nequaquam constituunt novum gradum ac ordinem, ut archipresbyter, episco- B pus, patriarcha, Papa. Sicque episcopatus prout concernit sacerdotii ordinem, recte vocatur ordo; sed prout distinguitur contra sacerdotium, dicit dignitatem quamdam seu officium ei annexum ; nec novus character ei imprimitur, nec nova datur potestas, sed data ampliatur. Hinc sicut non recipit alias claves, ita nec ordinem alium. Hoc senserunt magister Hugo et Magister Sententiarum. Sicque tenet communis opinio, quod in consecratione ad episcopatum non imprimitur novus cha- C racter, sed eminentia quædam confertur, quæ jugiter manet cum charactere ordinis, etiam omni jurisdictione sublata. Propter quod nec consecratur de novo. Hæc Bonaventura. — In his aliorum responsa sententialiter continentur.

QUÆSTIO VIII

REstat quærendum, **Utrum supra D sacerdotalem potestatem oportuit ordinari potestates jurisdictionales eminentiores, præsertim episcopalem; et utrum super ceteras universas necessarium fuit esse unum summum pontificem cunctis fidelibus præsidentem.**

Videtur quod non, quia in veteri lege desuper data, non fuit nisi unus pontifex. — Rursus, non decuit Ecclesiam ab infidelibus suum sumere ritum. Sed distinctio ista prælatorum in episcopos, archi-

Cf. p. 7 M. A episcopos, etc., a gentilibus habet ortum, ut ait Magister. — Item Apostoli videntur fuisse pares in ecclesiastica potestate, nisi quod beatissimus Petrus fuit princeps, id est prælatus eorum. Ergo ceteri episcopi debent esse æquales in potestate et jurisdictione, solum Papam supra se habentes.

De hac re scribit Bonaventura in Breviloquio suo : Quum ordo sit signaculum potestativum, non tantum respectu aliorum sacramentorum dispensandorum, verum etiam respectu sui ; B et potestas super potestatem, est potestas excellens : ideo sibi non tantum competit simplex potestas, ut est in ordine simplici, sed etiam eminentia potestatis, cujusmodi est in his quorum est ordines ordinarie dispensare. Quumque excellentia quanto plus descendit, tanto plus dilatatur ; et quo magis ascendit, eo magis unitur : hinc plures sunt episcopi quam archiepiscopi, paucissimi patriarchæ, et unus pater patrum, qui Papa merito appellatur, tanquam unus primus et summus pater spiritualis omnium C patrum, atque cunctorum fidelium hierarcha præcipuus, unicus sponsus, caput indivisum, pontifex summus, generalis ac plenus Christi vicarius, fons, origo et regula cunctorum principatuum ecclesiasticorum, a quo tanquam a summo derivatur ordinata potestas usque ad infima membra, secundum quod exigit præcellens dignitas in ecclesiastica hierarchia. Hæc Bonaventura.

At vero Thomas super his plenius loquens : Sacerdos, ait, habet duos actus. D Unum principalem, qui est consecrare corpus dominicum ; alium secundarium, qui est præparare populum ad hujus sacramenti susceptionem. Quantum ad primum, actus sacerdotis non dependet ab aliqua superiori potestate, nisi divina ; sed quantum ad secundum, dependet ab aliqua superiori potestate, etiam humana. Omnis namque potestas quæ non potest exire in actum nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus, dependet a potestate quæ hujusmodi ordinationes instituit. Sacerdos autem non potest absolvere et ligare nisi præsupposita jurisdictionis prælatione *, qua sibi subdantur hi quos absolvit. Potest autem consecrare quamcumque materiam a Christo determinatam, nec aliud requiritur de necessitate sacramenti nisi et debita forma. Itaque, supra sacerdotalem ordinem oportet esse episcopalem potestatem, quantum ad sacerdotum secundarium actum. Denique, sicut omnium naturalium rerum perfectiones exemplariter fontaliterque præexsistunt in Deo, sic Christus fuit omnium ecclesiasticorum officiorum exemplar ; et unusquisque minister, quantum ad aliquid, gerit Christi typum. Ille quoque est major, qui secundum majorem perfectionem Christum repræsentat. Quumque sacerdos repræsentet Christum secundum quod Christus per se ipsum aliquod ministerium adimplevit ; atque episcopus, in hoc quod Christus alios ministros instituit, Ecclesiamque fundavit : hinc ad episcopum pertinet, aliquid mancipare divinis obsequiis, quasi cultum divinum ad similitudinem Christi constituens ; propter quod episcopus specialiter appellatur sponsus Ecclesiæ.

* prælationis jurisdictione

Insuper, ubicumque sunt multa ordinata in unum, oportet esse unum universale regimen super particularia regimina : quia, ut in principio Ethicorum habetur, in cunctis virtutibus et actibus est ordo secundum ordinem finium. Bonum autem commune est dignius quam bonum particulare aut speciale. Ideo supra potestatem regitivam quæ conjectat bonum particulare, oportet esse potestatem regitivam universalem, quæ conjectat, attendit, procurat bonum commune : alias non posset colligatio ad unum esse. Idcirco, quum tota Ecclesia sit unum corpus mysticum, oportet si ista unitas debeat conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiæ, supra potestatem episcopalem qua unaquæque specialis Ecclesia regitur : et hæc est potestas domini Papæ. Ideo qui hanc negant, recte schismatici nuncupan-

tur, quasi divisores ecclesiasticæ unitatis. A Inter episcopum quoque et Papam sunt alii gradus dignitatum, correspondentes gradibus unionum : secundum quos una congregatio seu communitas dicitur includere aliam.

Ad objecta ergo dicendum, quod ritus Judæorum non fuit nisi in una gente : ideo suffecit eis unus pontifex. Ritus vero Christianorum toto orbe terrarum diffusus est, et per omnes populos, nationes et linguas est divulgatus : ideo oportebat varios esse gradus et ordines prælatorum, majorum B et minorum, unumque summum universorum. — Ex quibus patet responsio ad secundum. Ecclesia namque a gentilibus sumpsit ordinem prælatorum quantum ad id quod bonum fuit in eo, abjiciendo malum annexum, et convertendo bonum in melius. — Ad tertium, quod quamvis omnibus Apostolis communiter data sit potestas ligandi ac solvendi ; attamen ut in hac potestate aliquis ordo significaretur, primo soli Petro data est aut promissa, ut ostendatur quod ab eo ista potestas in C alios debeat derivari atque descendere. Propter quod etiam singulariter Christus *Luc.* XXII, 32. locutus est Petro : Confirma fratres tuos ; *Joann.* XXI, 17. et, Pasce oves meas, id est, loco mei esto præpositus et caput fratrum tuorum, ut ipsi te in loco meo assumentes, ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent et confirment, ut exponit Chrysostomus.

Verum his rursus objicitur, quoniam *Hebr.* VII, 7. (teste Apostolo) sine ulla contradictione, quod minus est, a majore benedicitur; sed D quilibet episcopus a quolibet episcopo promovetur et consecratur, imo et Papa ab Ostiensi episcopo : ergo nec Papa nec archiepiscopus excedit episcopum. — Et respondendum, quod potestas sacerdotis exceditur a potestate episcopi tanquam a potestate alterius generis ; potestas vero episcopi exceditur a potestate Papæ tanquam a potestate ejusdem generis : ideo omnem actum hierarchicum quem potest facere Papa in ministratione sacramentorum, potest episcopus facere ; non autem omnem actum quem potest facere episcopus, facere potest sacerdos in sacramentorum collatione. Ideo quantum ad ea quæ sunt episcopalis ordinis, omnes episcopi sunt æquales : propter quod quilibet potest alium consecrare. — Hæc Thomas in Scripto.

Insuper in Summa contra gentiles, libro quarto : Quamvis (inquit) populi di- *cap.* 76. stinguantur per diversas provincias et civitates, tamen sicut est una Ecclesia, ita oportet esse unum populum christianum. Quemadmodum ergo in uno speciali populo unius Ecclesiæ, requiritur unus episcopus qui sit totius populi caput ; ita in toto populo christiano exigitur quod sit unum totius Ecclesiæ caput. Item, ad unitatem Ecclesiæ est necesse quod omnes fideles in fide conveniant. Sed circa ea quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri. Per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Idcirco oportet unum toti præesse Ecclesiæ. Rursus, regimen Ecclesiæ optimum est, puta monarchicum, in quo unus toti residuæ multitudini præsidet. Quod etiam patet ex fine regiminis : pax namque et unitas subditorum est finis regiminis, et hujuscemodi unitatis congruentior causa est unus quam multi. Nec sufficit dicere, quod unus iste sit Christus. Nam quamvis omnia ecclesiastica sacramenta ipse perficiat (siquidem ipse est qui baptizat et peccata remittit), nihilo minus corporaliter ab Ecclesia recessurus, elegit atque substituit sibi ministros, per quos sacramenta dispensaret ac populum gubernaret. Eadem ratione, quoniam corporalem præsentiam fuit Ecclesiæ subtracturus, oportuit ut alicui commendaret ac committeret qui loco sui totius universalis Ecclesiæ gereret curam. Hinc soli Petro promisit, Tibi dabo claves regni *Matth.* XVI, 19. cœlorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandum Ecclesiæ unitatem. Et per hæc excluditur præsumptuosus error quorumdam,

qui se subducere nituntur ab obedientia Romani Pontificis, et eum esse pastorem universalis Ecclesiæ non fatentur. Hæc idem ibi. — Qui in Scripto super quartum, ad idem allegat quod in libro Thesaurorum scribit B. Cyrillus Alexandrinus episcopus : Tanquam membra maneamus in capite nostro, apostolico Romanorum Pontificum throno, a quo nostrum est quærere quid credere et quid tenere debemus, ipsum venerantes et ipsum rogantes præ omnibus : quia ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, solvere et ligare loco illius qui ipsum ædificavit, et nulli alii quod suum est plenum, sed soli ei dedit : cui omnes jure divino caput inclinant, et primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt. — Ad idem probandum multa consimilia introducit in Summa contra Græcos.

Amplius, de his multa conscribit Albertus in aliis suis tractatibus. Nempe in libro de Missa, super illud in canone, Una cum famulo tuo Papa nostro : Hic, ait, tanguntur officialia membra, a quibus principaliter profluit hæc adunatio unitasque Ecclesiæ. Et quod ait, Una, notat associationem capitis cum corpore mystico, seu Christi cum Ecclesia. Papa vero dicitur, quia est pater patrum, successor Petri, vicarius Christi. Et dicitur Papa noster, quia per ipsum nobis influitur communio seu adunatio ista, et ejus est continere Ecclesiæ unitatem. — Insuper, super illud in canone, Adunare, disseruit : Adunare digneris, o Domine, Ecclesiam tuam catholicam, id est, ad unum redigere. Hoc etenim unum, quod est communio, per omnem ordinem graduum Ecclesiæ ad unum caput ordinatur in cœlis, quod est Christus ; et in terra, quod est ejus vicarius, præsul Romanus. Hæc namque congregatio seu adunatio in cœlo præfulget, in naturis ostenditur, in Christi operibus exemplificatur, in legibus divinis præcipitur, atque in toto mystico Christi corpore observatur. In cœlis enim Angeli ad Archangelos, Archangeli ad Principatus, Principatus ad Potestates, Potestates ad Virtutes, Virtutes ad Dominationes, Dominationes ad Thronos, Throni ad Cherubim, Cherubim ad Seraphim, secundum illuminationis et obedientiæ seriem ordinantur. Ipsa quoque multitudo angelorum quæ in unoquoque est agmine, ad unam personam quæ in illo præeminet ordine, comparatur : imo tota cœlestis militiæ multitudo, ad unum caput supremum colligitur ac refertur. Ideo ordo cœli vocatur, quoniam ordo relatio est multorum in gradibus differentium, ad unum. Hinc in Job habetur : Numquid nosti ordinem cœli, aut pones rationem ejus in terra ? *Job* XXXVIII, 33. Denique istud in natura ostenditur, ubi ramusculi multi ad virgas, virgæ multæ ad ramum, rami multi ad stipitem unum, multique stipites ad unam infiguntur ac colliguntur radicem, ut omnia participia fiant ac socia succi qui in radice consistit. Sic multæ grues unam sequuntur ordine litterato ; sic multa membra suscipiunt unius beneficium capitis, in quo adunantur, et unum corpus constituunt ac consistunt. Insuper in operibus Christi hæc adunatio exemplificatur, quoniam opus Christi semper fuit, dispersa in unum colligere. Hoc ipsum in divinis præcipitur legibus, quia (ut S. Dionysius protestatur) lex Divinitatis est, per prima reducere media, et per media, ultima. De Cœlest. hier. c. IV, VIII. Talis autem reductio ultimorum ad media, et mediorum ad prima, esse non valet nisi ordine quodam ad unum. Hæc item adunatio in toto Christi mystico corpore (quod est Ecclesia) observatur, in quo omnia ad unum rediguntur, quæ Petri clavibus committuntur. Hæ claves uni committuntur, ut plenitudo potestatis in uno monstretur, et ab illo in alios secundum partem sollicitudinis derivetur, juxta illud : Dabo clavem David super humerum ejus ; et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domui patris sui, et suspendam super illum omnem gloriam domus patris sui. *Is.* XXII, 22-24. Paxillus iste est Petrus seu ejus successor, eo quod sibi imminet totum Ecclesiæ tabernaculum. Gloria vero non

esset tota super eum suspensa, nisi in sua dispositione, patrocinio atque regimine haberet omnem Ecclesiæ potestatem et gloriam. — Hæc Albertus. Qui de his scribit ibidem diffuse. Ex quibus ostenditur, quod omnes ecclesiasticæ potestates ac dignitates sint eminenter in summo Pontifice, sublimiorique modo quam in ceteris universis.

Unde libro de IV Coæquævis ait Albertus : Hierarchia est quoddam totum potestativum. In potestatibus autem ordinatis, semper sequens in ascendendo seu altior supponit præcedentem, et habet plus : quod probatur tam in potestatibus naturæ, quam officiorum et gratiæ. In potestatibus enim naturæ, vegetativum est in sensitivo, et sensitivum in rationali, non econtrario. In officiis quoque, potestas decani est in potestate centurionis, et potestas centurionis in potestate tetrarchæ, non vice versa. Similiter in gratiis, potestas subdiaconi est in potestate diaconi, et potestas diaconi in potestate presbyteri, non econverso. Hæc Albertus.

Concordat Richardus, et addit : Petrus summus fuit inter Apostolos. Quamvis enim potestatem clavium omnes immediate acceperunt a Christo, attamen potestatem jurisdictionis acceperunt mediante Petro. Et quoniam jurisdictio ministrat materiam (quæ est subditus ejus qui habet jurisdictionem), quæ requiritur ad hoc quod potestas clavium exeat in actum ; ideo usus potestatis illius quam omnes immediate acceperunt a Christo, dependebat indirecte a Petro. Idem dico de potestate episcoporum per comparationem ad Papam. Hæc Richardus.

Concordat Durandus : Potestas (inquiens) quæ tota data est uni in suo fonte, non est in aliis nisi derivata et limitata pro voluntate illius. Sed potestas jurisdictionis quæ est ad regendum populum, tota et in suo fonte data est beatissimo Petro, et in eo successoribus ejus, quando cura Ecclesiæ ipsi soli commissa est post resurrectionem Christi, dicentis ad eum : A Pasce oves meas. Hoc enim nulli aliorum Apostolorum dictum est, nec tunc, nec ante, nec postea. *Joann.* xxi, 17. Ergo talem potestatem perfectam et plenam solus habet S. Petri successor; nec est in aliis nisi derivata et limitata secundum placitum Papæ. — Porro de potestate consecrationis seu ordinis magnum est dubium. Hanc etenim quidam dixerunt a principio primitivæ Ecclesiæ in omnibus Apostolis et sacerdotibus fuisse æqualem, ita quod unusquisque eorum potuit ex sua sacerdotali potestate omnia B sacramenta conferre, omnesque ordines, benedictiones et consecrationes efficere, quas nunc agit episcopus. Sed ad tollendum schisma, postea fuit ordinatum ut ex se eligerent unum superiorem, qui diceretur episcopus, id est aliis superintendens, cui obedirent, et cui reservarentur quæ deinceps per episcopos fiunt. Et istud probatur per hoc, quod in Scripturis, præsertim in Epistolis Pauli, iidem vocantur presbyteri seu sacerdotes atque episcopi. Unde et in Actibus Paulus loquens soli C clero civitatis Ephesinæ : Attendite, inquit, vobis et universo gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus episcopos. *Act.* xx, 28. Alii dicunt, quod ex divina institutione et Christi ordinatione, potestas ordinis et consecrationis major est in episcopis quam in presbyteris aliis : quemadmodum etiam in veteri Testamento, solus pontifex speciali consecratione præ ceteris consecrabatur, et inferiores ministros in eorum officiis ordinavit. Et ista opinio est communior, sed ignoro an verior, quum et Hieronymus D manifeste consentiat primæ opinioni. Hæc Durandus.

Hæc eadem tangit Petrus, et primam opinionem approbare videtur, dicendo : Quoad potestatem ligandi atque solvendi, potestas sacerdotum dependet a potestate episcopi. Oportet enim ordinatum regimen multitudinis descendere ab universali rectore per multos medios generales, usque ad plurimos immediatos ac particulares. Ideo ait Hieronymus : Olim idem presbyter fuit qui et episcopus, et antequam instinctu

diaboli cœpit in Ecclesia partium studium A esse, communi consilio presbyterorum gubernabantur Ecclesiæ. Postquam vero unusquisque quos baptizabat, suos esse putavit, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris superponeretur, et schismatum semina tollerentur. Itaque episcopi sciant se consuetudine magis quam dominicæ dispensationis veritate presbyteris esse majores. Hæc Petrus.

Præterea advertendum, quod positio ista secunda verior reputatur, quam etiam S. Thomas, Raimundus, Albertus, Bona- B ventura et alii plures sequuntur, dicentes, quod quamvis in exordio primitivæ Ecclesiæ episcopus et sacerdos non distinguebantur quantum ad nominum designationem et in communi modo loquendi, tamen quantum ad rem et potestatis differentiam erant distincti. Nam soli Apostoli confirmabant, qui tunc soli erant episcopi.
Act. VIII, 14. Unde legitur in Actibus, quod quum audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, ut scilicet C baptizatos a Philippo diacono confirmarent. Dicunt quoque expositores quidam catholici, quod Christus universos Apostolos fecit episcopos post resurrectionem, quum dixit : Accipite Spiritum Sanctum, *Joann.* XX, 22. etc. Petrus quoque de Alliaco, libro suo de Ecclesiastica potestate, affirmat quod gloriosi Apostoli recepto Spiritu Sancto, ante eorum divisionem adstiterunt beatissimo Petro in regimine Ecclesiæ, ut cardinales; divisi vero, diversas diœceses sunt sortiti, atque ex tunc episcopale exercuerunt officium. Nec dubium quin et archiepiscopi fuerunt, imo et quosdam discipulos suos fecerunt archiepiscopos, sicut et Paulus constituit Titum archiepiscopum *Tit.* I, 5. Cretensium. De his omnibus in opusculis de Ecclesiastica potestate, et de Auctoritate summi Pontificis, ac generalium conciliorum, plenius scripsi. — Postremo quod Durandus dicit, Paulum apostolum soli civitati Ephesinæ seu ejus sacerdotibus protulisse hæc verba, Attendite vobis et *Act.* XX, 28. universo gregi, etc., ex inadvertentia prodiit, quum scriptum sit in Actibus, quod mittens vocavit ad se condiscipulos, qui- *Ibid.* 17. bus in unum collectis dixit verba præallegata, inter quos fuerunt quidam vere ac proprie episcopi nominati.

DISTINCTIO XXV

A. *De ordinatis ab hæreticis.*

SOLET etiam quæri, si hæretici ab Ecclesia præcisi et damnati possint tradere sacros ordines, et si ab eis ordinati, redeuntes ad Ecclesiæ unitatem, debeant reordinari. Hanc quæstionem perplexam ac pene insolubilem faciunt doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur. Videntur enim quidam tradere, hæreticos sacros ordines dare non posse, nec illos qui ab eis ordinari videntur, gratiam recipere. Dicit enim Innocentius : Arianorum clericos non videri suscipiendos cum Decret. p. II, caus. 1, q. 1, c. 73. sacerdotii vel ministerii alicujus dignitate, quibus solum Baptisma ratum esse permittit, quod in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti percipitur. Dicit etiam, eos Ibid. c. 17. non posse dare Spiritum Sanctum, quem amiserunt; et ordinatos ab hæreticis caput Ibid. c. 18. habere vulneratum; et eum qui honorem amisit, honorem dare non posse; nec illum aliquid accepisse, quoniam in dante nihil erat quod ille posset accipere. Tra-

Decret. p. II, caus. I, q. I, c. 18. dit etiam, venientibus ab hæreticis per manus impositionem, laicam tantum tribuendam communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem, vel exiguum, subrogare. Ibid. c. 72. Gregorius etiam dicit, sacrilegam esse Arianorum consecrationem, quum ex Ibid. c. 74. eorum manu communio percipitur. Cyprianus etiam dicit, omnia quæcumque fa- Ibid. c. 70. ciunt hæretici, carnalia et inania et sacrilega esse, et eorum altaria falsa, et illicita sacerdotia, et sacrificia sacrilega : qui more simiarum, quæ quum homines non sint, formam imitantur humanam, vultum Ecclesiæ catholicæ et auctoritatem sibi vindicant, quum ipsi in Ecclesia non sint; et quum sint sacrilegi, sacerdotium administrant et altare ponunt, quum nec sacrificari oblatio illic possit ubi Spiritus Sanctus non sit, nec cuiquam Dominus per ejus preces et orationes prosit qui Ibid. c. 61. Dominum ipsum violavit. Hieronymus quoque asserit, omnia quæ offeruntur ab hæreticis, contaminata esse in conspectu Domini : quia licet sancta videantur specie Ibid. c. 62. sui, tamen quia contacta sunt ab illo qui pollutus est, polluuntur omnia. Idem : Odit Deus sacrificia hæreticorum, et a se projicit; et quoties in nomine ejus congregati Ibid. c. 63. fuerint, detestatur fœtorem eorum, et claudit nares suas. Idem : Illi offerunt panem Ibid. c. 68. sacrilegum, etc. Leo etiam testatur, extra Ecclesiam nec rata esse sacerdotia, nec Ibid. c. 69. vera esse sacrificia. Idem etiam dicit, per crudelissimam vesaniam in Alexandrina sede omnium sacramentorum lumen exstinctum : intercepta est sacrificiorum oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria. — His aliisque testimoniis adstrui videtur, sacramenta ecclesiastica, præcipue corporis et sanguinis, Ordinationis et Confirmationis, per hæreticos non posse ministrari.

B. *Auctoritates ponit quæ videntur præmissis obviare.*

Econtra autem alii sentire videntur, quod ab hæreticis etiam præcisis sacri ordines, sicut et Baptismus, tradi valeant; nec ab hæreticis redeuntes, qui illic ordinati sunt et baptizati, iterum ordinandi sunt, sicut nec baptizandi. Unde Augu- Aug. Contra Parmenian. lib. II, n. 28. stinus de hæreticis etiam damnatis : Quod quidam dicunt, Baptisma quod accepit, non amittit qui recedit ab Ecclesia, jus vero dandi quod accepit, amittit; multis modis apparet inaniter dici. Primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille qui illud Baptisma amittere non potest, jus dandi possit amittere. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur : illud quum baptizatur, et illud quum ordinatur. Ideo non licet in catholica Ecclesia utrumque iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes, etiam præpositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt; et si visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ agebant, non sunt rursus ordinandi. Sed sicut Baptismus in eis, ita in eis mansit ordinatio integra : quia in præcisione fuerat vitium, quod in unitate pacis est correctum, non in sacramentis quæ ubicumque sunt, ipsa vera sunt. Et quum ipsi expedire videtur Ecclesiæ, ut præpositi eorum venientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non administrent; non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta

detrahuntur, sed super eos manent. Ideoque non eis manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat injuria. Sicut autem in Baptismo est jus, quod per eos dari possit; sic in ordinatione jus dandi est : utrumque quidem ad perniciem suam. Sed aliud est non habere, aliud perniciose habere, aliud salubriter habere. Idem : De his vero qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt, nulla jam quæstio est quin et habeant et dare possint; sed perniciose habent, pernicioseque tradunt, quia extra vinculum pacis sunt. Et neutri sacramento facienda est injuria. Sicut enim non recte habet qui ab unitate recedit, sed tamen habet; et ideo redeunti non redditur : sic etiam non recte dat qui ab unitate recedit, et tamen dat; et ideo qui ab eo accipit, venienti ad unitatem non iteratur. Idem : Aliud est non habere aliquid, aliud est non jure habere vel illicite usurpare. Non ergo ideo non sunt sacramenta Christi et Ecclesiæ, quia eis illicite utantur non modo hæretici, sed etiam omnes impii; sed illi corrigendi sunt et puniendi, illa autem sunt agnoscenda et veneranda. Item Gregorius : Quod dicitis, ut qui ordinatus est iterum ordinetur, valde ridiculosum est. Ut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari. — His aliisque auctoritatibus videtur asseri, in omnibus impiis, etiam in hæreticis præcisis et damnatis, Christi sacramenta permanere cum jure dandi. Possunt enim dare, sed perniciose; et quibus dederint, non sunt iterum ordinandi. Quæ præmissis ex opposito obviare videntur.

Aug. Contra Parmenian. lib. II, n. 30.

Id. de Bapt. contra Donat. lib. III, n. 13.

Decret p. I, dist. 68, c. 1.

C. *Determinatio præmissæ contradictionis auctoritatum.*

Hæc autem quidam ita determinant. Dicunt enim, hæreticos, accepta sacerdotali vel episcopali unctione, ab Ecclesia recedentes, Baptismi quidem dandi jus retinere, sed non habere facultatem tribuendi sacros ordines, vel consecrandi dominicum corpus, postquam præcisi et damnati sunt ab Ecclesia : sicut degradatus episcopus non habet potestatem largiendi sacros ordines, facultatem tamen baptizandi non amisit. Quod vero Augustinus ait, intelligunt dictum de hæreticis qui non sententia Ecclesiæ, sed pravitate sensus sui a fidei veritate ac doctrinæ unitate divisi sunt : qui licet tales sint, jus tamen ordinandi et consecrandi habent; et qui ab eis ordinantur ante manifestam præcisionem, etiam si cum eis aperte exierint et sententia Ecclesiæ damnati fuerint, si tamen redierint, iterum ordinandi non sunt. Et ubicumque legitur de ordinatis ab hæreticis, quod servatis eis ordinibus ministrare valeant, vel iterum ordinandi non sint; de hujusmodi accipiendum dicunt. Nam postquam præcisi fuerint et damnati judicio Ecclesiæ, jus ordinandi et consecrandi eis detractum asserunt, ut degradatis vel excommunicatis. — Alii vero dicunt, sacramenta ab hæreticis et præcisis secundum formam Ecclesiæ celebrata, vera esse et rata, quia recedentes ab Ecclesia, jus dandi et consecrandi non perdiderunt; et qui sic ab hæreticis ordinantur, quum redeunt, iterum ordinandi non sunt. Quæ vero ab

hæreticis aliter quam in Ecclesia fiunt, falsa sunt et inania; et qui a talibus ordinari videntur, non munus sed vulnus accipiunt. Et secundum hanc differentiam varie de his loquuntur doctores. — Quidam vero dicunt, eadem sacramenta ab hæreticis præcisis posse celebrari, quæ a catholicis, si ab illis forma Ecclesiæ servetur; et ab eis celebrata, vera esse et rata quantum ad se, quantum vero ad effectum falsa esse et inania, et in his qui male tractant, et in his qui male suscipiunt : ideo irrita et falsa, quia quod promittunt et conferre creduntur, non tribuunt. Damnanda etiam dicuntur, quia illicite dantibus vel accipientibus sunt in judicium. Polluta etiam dicuntur, non quantum ad se, sed propter indignam hæreticorum tractationem. Ideo Gregorius communionem Arii vocat exsecrationem; et Innocentius Bonosii ordinationem, damnationem : non quod ita in se sint, sed quia male dantes vel accipientes tales facit. Sicut etiam Hieronymus sacrificia eorum panem luctus vocat, non quantum ad se, sed quantum ad effectum. — Nonnulli vero tradunt, illos hæreticos qui in Ecclesia ordinati sunt, jus ordinandi et consecrandi, etiam quum separati fuerint, habere. Qui vero in schismate vel hæresi positi, ab eis ordinati et inuncti fuerint, illo jure carent : ideoque quum ordinare volunt, vulnus potius infligunt, quam gratiam conferant.

Gratian. in Decret. p. II, caus. I, q. I, c. 97, a. 7.

D. *De simonia, unde dicitur, et quid sit.*

Hugo, de Sacram. lib. II, p. X, c. 2. Act. VIII, 18 et seq. IV Reg. V, 20 et seq.

De simoniacis vero non est ambigendum quin sint hæretici : qui tamen ante sententiam degradationis et ordinant et consecrant. Et licet simoniaci proprie dicantur qui instar Simonis magi, impretiabilem gratiam pretio conducere volunt; et qui pro ministerio sacro pretium recipiunt in modum Giezi, Giezitæ vocandi sint : omnes tamen, et dantes et accipientes, simoniaci dicuntur, et utrique eadem sententia percelluntur.

E. *De his qui scienter a simoniacis ordinantur.*

Decret. p. II, caus. 1, q. 1, c. 108.

Differt tamen inter eos qui ordinantur a simoniacis scienter, et eos qui ignoranter. Qui enim scienter a simoniacis se permiserint consecrari, imo exsecrari, eorum consecratio omnino irrita est. Qui vero ordinantur a simoniacis, quos quum ordinantur, nesciunt esse simoniacos, qui et tunc pro catholicis habentur; eorum ordinatio misericorditer sustinetur.

F. *De his qui dicunt se emere corporalia et non spiritualia.*

Ibid. q. 3, c. 7.

Si vero aliqui objecerint, se non consecrationes emere, sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probantur. Nam quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum invenditum derelinquit.

G. *Distinctio simoniacorum.*

Simoniacæ autem hæresis tripartita est distinctio. Alii enim simoniace a simoniacis ordinantur; alii simoniace a non simoniacis; alii non simoniace a simoniacis. Unde Nicolaus Papa : Statuimus decretum de simoniaca tripartita hæresi, id est, de simoniacis simoniace ordinantibus vel ordinatis, et de simoniacis simoniace a non simoniacis, et de simoniacis non simoniace a simoniacis. Simoniaci simoniace ordinati vel ordinatores, secundum canones, a proprio gradu decidant; simoniaci etiam simoniace a non simoniacis ordinati, similiter ab officio removeantur; simoniacos vero non simoniace a simoniacis ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio permittimus permanere. Quod intelligendum est de his qui ordinantur a simoniacis, ignorantes eos esse simoniacos : hos facit simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio simoniaci.

Decret. p. II, caus. 1, q. 1, c. 107.

H. *Alexander Papa de his qui violenter a simoniacis vel ab hæreticis ordinantur.*

Similiter, quum decrevit Alexander Papa simoniacos omnino damnandos ac deponendos, subintelligendum est : nisi violenter quis attractus fuerit. De his enim et a quibuslibet hæreticis violenter ordinatis dicit Innocentius, quod possunt habere aliquem colorem excusationis, si statim discedunt ab eis et pessimo eorum conciliabulo renuntiant.

Ibid. c. 110. Ibid. c. 111.

I. *De ætate ordinandorum ita decrevit Nicolaus Papa.*

Sacri (inquit) canones sanxerunt, ut subdiaconus non ordinetur ante quatuordecim annos, nec diaconus ante viginti quinque, nec presbyter ante triginta. Deinde si dignus fuerit, ad episcopatum eligi potest : quod nos etiam pari modo servare jubemus. Item Fabianus : Si quis triginta ætatis non impleverit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etsi valde sit dignus scientia et doctrina, quia et ipse Dominus tricesimo anno baptizatus est, et sic cœpit docere.

Hugo, de Sacram. lib. II, p. III, c. 21. Decret. p. I, dist. 77, c. 2. Ibid. dist. 78, c. 1 et 4.

SUMMA
DISTINCTIONIS VICESIMÆ QUINTÆ

Hic circa præhabita movet Magister dubia aliqua. Primum est, utrum episcopi ab Ecclesia præcisi atque damnati possint conferre ordines sacros; et utrum ordinati ab eis, ad Ecclesiam redeuntes, sint reordinandi. Et circa hæc ponit qua- A tuor opiniones. Inducit quoque varias auctoritates Sanctorum, ac tandem respondet; et quæ videntur discordare concordat, sic tamen, quod falsa reprobat et excludit. Secundo, movet dubium de simoniacis, an vere ordinent, et qualiter sentiendum sit ac agendum cum ordinatis ab ipsis. Tractat item de triplici gradu seu specie simoniæ, atque de temporibus ad ordinum susceptionem præfixis.

QUÆSTIO PRIMA

Hic quæritur, **An soli episcopi catholici conferre valeant ordines sacros, et non hæretici, præcisi, degradati.**

Et potest ad utramque partem argumentari, sicut in littera. Ista etiam quæstio in simili mota est sæpius supra, an scilicet tales vere baptizent, confirment, conficiant : ideo immorari non congruit.

dist. v, q. 1; vii, q. 5; xiii, q. 1.

Itaque Antisiodorensis circa hæc in Summa, libro quarto, scribit : Quidam distinguunt, dicentes, quod quidam sunt hæretici ab Ecclesia præcisi, et quidam non præcisi. De præcisis dicunt, quod dant verum Baptismum, quia Baptismus est sacramentum necessitatis; non autem vere conficiunt, nec confirmant, nec ordinant, etiam si observent formam Ecclesiæ. Verum ista solutio nulla est, quia secundum Augustinum, non est injuria sacramento irroganda; et tamen hoc agit qui asserit sacramentum ex ministri immunditia pollui. Si enim radius solis super quæcumque immunda sparsus, nullam inde immunditiam contrahit, quanto minus sacramenta divina? Ergo præcisio seu non præcisio nil facit ad gratiæ sacramentum. Dicimus ergo : Si hæretici servent formam Ecclesiæ, vera conferunt sacramenta, sive sint præcisi sive non; non autem si non servaverint debitam formam. Hæc Antisiodorensis.

Porro Guillelmus Parisiensis : Aliud, inquit, est officium suspendere, aliud penitus revocare. Si enim revocatum sit procuratoris officium, manifestum est quod ea quæ in jure tantum consistunt, si per ipsum fuerint procurata, ipso jure sunt nulla : ideo et judicium procuratum per ipsum esset nullum; sententiæ quoque sic latæ, essent nullæ. Si autem suspensus esset procurator, ne peteret aliquid ex parte domini sui, vel ne impetraret, usque ad tempus : si peteret medio tempore, peti- A tum esset; et si impetraret, impetratum esset, maxime si impetraret aliquid quod in facto uno consisteret. Si enim impetrasset aurum aut argentum interim, non minus esset quam si illa jubente domino impetrasset. Nec potest dici propter solam prohibitionem falsus procurator, quousque qui constituit, dixerit : Amoveo te ab isto officio penitus, etc. Quumque suspensio seu excommunicatio non tollat officium, nec ab illo amovet, sed inhibet ejus executionem ad tempus, nec tollit ratihabi- B tionem ipsius Ecclesiæ; idcirco nec falsos efficit procuratores hujusmodi, nec irritat aut evacuat ministerium eorumdem. Exauctorisatio vero et depositio, sicut sacerdotes a clero omnino removet et abjicit, privilegio quoque clericali omnino privat et exuit, ita a sacerdotali officio omnino amovet et deponit : idcirco de sacerdotali officio amplius se ingerere nequeunt, nisi false. Nempe ut verus sit procurator, duo necessario requiruntur : primum, ut dominus reputet seu habeat eum suæ causæ C procuratorem; secundum, ut ipsemet procuratorem se gerat, id solum quod ei injunctum est petens aut prosequens. Quum ergo Ecclesia exauctorisatos atque depositos, quamvis sacerdotes esse constiterit, sacerdotes tamen post exauctorisationem et depositionem non habeat, nec reputet, nec ratum habeat quidquid de sacerdotali ministerio attentare præsumpserint; necesse est præsumptionem eorum et attentationem, quantum ad sacerdotale officium, vacuam esse et irritam. In cujus D signum sacerdotalibus vestibus ex ordine exuuntur. — Hæc Guillelmus. Cujus quæ sit intentio in his verbis, infra forsan clarius exprimetur.

Circa hæc loquitur Thomas, primo ostendens, quod episcoporum sit Ordinis sacramentum conferre : Episcopalis potestas se habet ad ordines inferiores, sicut politica, quæ considerat bonum commune, ad artes et virtutes inferiores, quæ considerant bonum aliquod particulare seu speciale. Politica vero legem præfigit infe-

rioribus, quis quid debeat exercere, et quantum et qualiter. Ideo ad episcopum pertinet, in omnibus divinis ministeriis alios collocare. Unde ipse solus confirmat, quoniam confirmati in quodam officio confitendi fidem constituuntur; solus quoque virgines benedicit, quæ figuram gerunt Ecclesiæ Christo desponsatæ. Hinc ejus est ordinare et consecrare ministros Ecclesiæ. — Archidiaconus vero est quasi ministerii princeps : propter quod omnia quæ ad ministerium pertinent, ipse tradit, ut cereum, quo acolythus diacono servit, ante Evangelium ipsum portando; et urceum, quo servit subdiacono. Similiter dat subdiacono ea quibus superioribus servit ordinibus. In illis tamen non consistit principalis actus subdiaconi, sed in hoc quod operatur circa materiam Sacramenti. Hinc archidiaconi ordines non conferunt. — Verumtamen Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non episcopo ea quæ ad episcopalem pertinent dignitatem, dummodo immediatam non habeant relationem ad verum corpus Christi. Idcirco ex Papæ commissione simplex sacerdos ordines potest conferre minores, et confirmare, non autem non sacerdos; nec iterum simplex sacerdos ordines majores, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, super quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex sacerdos. Hæc Thomas de prima parte quæstionis.

Denique de hæreticis et ab Ecclesia præcisis, an ordinent, subdit : De hoc Magister recitat quatuor opiniones. Prima est, quod hæretici quamdiu ab Ecclesia tolerantur, valeant ordinare, non autem quum fuerint præcisi; similiter nec degradati, nec alii hujusmodi : et ista est prima opinio. Quæ stare non potest : quoniam omnis potestas data cum consecratione, nullo casu potest tolli, sicut nec consecratio annullari. Nam et altare ac chrisma semel consecrata, jugiter manent consecrata. Quumque episcopalis potestas detur cum consecratione, non potest auferri, quantumcumque quis peccet, degradetur, vel ab Ecclesia præcidatur. — Alii ergo dixerunt, quod præcisi ab Ecclesia qui in ipsa Ecclesia episcopalem habuerunt potestatem, retinent potestatem ordinandi alios; sed ordinati ab ipsis non possent hoc : et hæc est opinio quarta. Quæ etiam non stat : quia si ii qui in Ecclesia fuerunt promoti, retinent potestatem quam habuerunt, patet quod exsequendo suam potestatem, faciant veram consecrationem; sicque vere tribuunt omnem potestatem quæ cum consecratione confertur. — Ideo alii dixerunt, quod præcisi conferunt Ordinem et sacramenta alia, dummodo debitam servent formam, tam quoad primum effectum, qui est sacramenti collatio, quam quantum ad secundum, qui est infusio gratiæ : et hæc est opinio secunda. Quæ nequit stare : quoniam eo ipso quod quis præcisis seu hæreticis communicat, sacramenta ab eis suscipiendo, peccat mortaliter, si scienter hoc agit; et sic fictus accedit ac obicem ponit, nisi forsitan in Baptismo in necessitatis articulo. — Ideo alii dicunt, quod vera dant sacramenta, non gratiam simul cum sacramentis; et hoc non est ex inefficacia sacramentorum, sed propter peccata recipientium sacramenta ab illis contra prohibitionem Ecclesiæ : et hæc est opinio tertia, quæ est vera. Verumtamen ordinati ab illis, non recipiunt licentiam exsequendi ordinem sic susceptum. Hæc Thomas.

Circa hæc scribit Petrus : Collatio ordinum potest alicui convenire dupliciter. Primo, de jure communi, ratione ordinariæ potestatis; secundo, ex indulgentia seu commissione generali aut speciali. Primo modo solis convenit episcopis. Duo etenim requiruntur ad collationem ordinis cujuscumque. Unum, adeptio seu inexsistentia ordinis in donante, quoniam nemo potest dare quod non habet. Secundum est gradus seu excellentia potestatis, quia majorem omni ordine oportet esse eum seu potestatem ejus qui omnes ordines confert. Hæc Petrus.

Qui etiam quærit, an presbyter possit consecrare episcopum. Videtur quod sic. Primo, quia Apostolus scribit ad Timotheum : Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum presbyterorum. (II Tim. I, 6. I Tim. IV, 14.) Ergo per impositionem manuum presbyterorum fuit ordinatus episcopus. Secundo, Moyses non episcopus, consecravit Aaron pontificem. Tertio, Ostiensis consecrat Papam, episcopus quoque archiepiscopum ; sicque inferior consecrat superiorem : ergo et presbyter simplex episcopum. — In contrarium est, quod secundum jura ad consecrationem episcopi ad minus requiruntur tres episcopi ; et quod ait Apostolus, Sine ulla contradictione, quod minus est a majori benedicitur. (Hebr. VII, 7.)

Dicendum : Nullus nisi episcopus potest ordinare episcopum, multiplici ratione. Una est ex parte ordinantis, quoniam nemo potest dare quod non habet. Secunda, ex parte ordinandi, quia in pontificatu continetur plenitudo sacerdotalis officii; de pleno autem fit redundantia in alterum, non ipsum redundat ex altero. Tertia, ex parte Ecclesiæ, quia episcopus est summus in ministris Ecclesiæ : unde pertinet ad ipsum inferiores disponere gradus, non ab ipsis disponi. — Ad primum ergo dicendum, quod presbyter sumitur ibi pro episcopo. Ad secundum, quod Moyses fecit hoc Deo jubente ac dispensante. Ad tertium, papatus non est major ecclesiastica dignitas quam episcopatus, sed major jurisdictio : propter quod Papa omnes episcopos vocat fratres, alios vero filios. Episcopatus vero major est dignitas quam presbyteratus. Hæc Petrus.

Quocirca sciendum, quod plenitudo et vertex ecclesiasticæ potestatis, quæ in solo est Papa subjective, tria complectitur et includit, ut ex diversis doctoribus colligitur, præsertim ex scriptis D. Petri de Palude, ac D. Petri de Alliaco. Primum est sacerdotium : et in hoc ceteris sacerdotibus est æqualis. Secundum est potestas episcopalis, quæ est de genere qualitatis : et

A in hac æqualis est episcopis ceteris. Tertium est jurisdictio summa ac universalis, qua universis est altior : et hæc est relatio quædam, nec manet in Papa dum desinit esse Papa per liberam cessionem aut alio modo; alia vero duo manent in eo. — Præterea prætactas quatuor opiniones de ordinatione hæreticorum et præcisorum, aliter narrat Petrus quam Thomas. Unde et duas earum asserit esse veras, Thomas vero unam dumtaxat. Sed in hoc differentia parva est, quia quod Thomas affirmat de B ordinatis a præcisis, intelligitur de scienter ordinatis ab eis.

Præinductis concordat Richardus, qui etiam sciscitatur, utrum episcopus degradatus ordines queat conferre. Respondet : Quidam dixerunt, quod quamvis episcopi suspensi, excommunicati, possint ordines conferre de facto, non tamen episcopi degradati, quia omnino privati sunt dignitate episcopali, quamvis non sacerdotali, quæ auferri nequit ab homine. Et secundum hos, degradatio est mera spoliatio episco- C palis potestatis. Alii vero dicunt contrarium, quia potestas per consecrationem data, non potest auferri quantum ad rem, sed quantum ad exsecutionem. Et secundum hos, degradatio non est major privatio quam suspensio, quamvis sit turpior, et quoniam est perpetua suspensio ab officio. Hæc Richardus.

Quocirca sciendum, quod Guillelmus in suo Sacramentali, tractatu de Ordine, opiniones has recitat, disputatque prolixe, et magis videtur consentire opinioni dicen- D tium, quod degradatio sit omnimoda spoliatio potestatis episcopalis. Verumtamen non multum assertive super hoc loquitur, sed magis inquisitive. Unde tandem concludit, de hoc consulendam esse apostolicam Sedem : Quæ sit, inquiens, intentio Ecclesiæ exauctorisantis in actu exauctorisationis, addiscendum est a Romana Ecclesia, penes quam residet auctoritas universalis Ecclesiæ, cujus etiam auctoritate omnia statuta de exauctorisatione et depositione sunt edita. Hæc Guillelmus.

Richardus demum circa hæc ait : Quemadmodum dignitatem apostolatus omnes Apostoli, quorum successores sunt episcopi, receperunt immediate a Christo; ita et episcopus, quantum ad potestatem episcopalem, non habet supra se potestatem altiorem a qua illa sibi possit auferri, nisi divinam, quamvis exsecutio ejus sibi queat auferri a superiore qui est jurisdictione sublimior, puta a Papa. Nec est simile de principatu terreno, quum ille dependeat a capite Ecclesiæ : ideo Papa potest terrenum principatum a quocumque auferre, dummodo subsit justa et rationabilis causa. Similiter princeps inferior potest a superiori principe terreno a quo dependet, deponi. Hæc ille.

Præterea Bonaventura : Quemadmodum, inquit, sacri canones tradunt, non potest ordines, præsertim sacros, dare nisi episcopus. Atque ut septimo Etymologiarum scribit Isidorus, statutum hoc originem habet ex Scripturis, ex ordinatione Spiritus Sancti : quia (ut in Evangelio legitur) Christus habuit duodecim majores discipulos quos vocavit Apostolos, alios quoque minores septuaginta; et illis duodecim, non aliis, contulit potestatem consecrandi seu manus imponendi, quibus succedunt episcopi. Quod et factum est propter reverentiam Ordinis, quia si omnibus passim liceret ordines dare, tot admitterentur quod esset confusio et contemptus; et rursus, quia episcopus est sponsus Ecclesiæ; itemque, quoniam sacramentum Ordinis statum dicit perfectionis; status autem episcoporum est status perfectionis jam acquisitæ.

Luc. VI, 13. *Ibid.* X, 1.

Amplius, quæstio ista de hæreticis, an in ipsis sint vera sacramenta, et an possint ea conferre, fuit olim apud præclaros doctores multum ambigua, tam de Baptismo quam aliis. Postea autem per illustrissimum doctorem Augustinum nobis est patefacta, videlicet quod sacramenta habent et dant (dummodo formam servent Ecclesiæ et habeant intentionem faciendi quod facit Ecclesia), quantum ad veritatem, quamvis non quantum ad utilitatem : quoniam sacramenta dispensant, fructum vero eorum non reportant nec conferunt, eo quod extra Ecclesiam catholicam non detur Spiritus Sanctus. Hinc in omnibus sacramentis quæ habent veritatem differentem ab utilitate, verum est quod ab hæreticis dentur. Talia quoque sunt omnia præter Pœnitentiæ sacramentum, cujus res exstat contritio ipsa interior, sine qua nulla est absolutio vera, et cum qua nulla est absolutio vana : ideo solum hoc sacramentum ab eis factum, seu ab eis receptum, est iterandum. — Hæc Bonaventura. Et hoc ultimum verum est si quis scienter confessus sit illis, et sciat ipsos esse hæreticos.

In præhabitis continentur scripta Alberti, Durandi, Argentinensis et aliorum de his.

QUÆSTIO II

Consequenter quæritur **De simonia, quid sit, et quibus modis committitur, atque de pœnis hujus sceleratissimæ impietatis.**

Et ut communiter dicitur, simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale. Et videtur quod istud sit licitum, quum in Apocalypsi Dominus dicat : Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias. Ubi per aurum, secundum expositores, intelligitur sapientia spiritualis, vel potius caritas. — Secundo, nihil spiritualius felicitate Sanctorum in patria, quæ felicitas est beatifica visio Deitatis, et tamen pro hac obtinenda, virtuose dantur temporalia bona. — Tertio, pro religionis ingressu jam passim recipiuntur, imo et exiguntur, pecuniæ et consimilia quædam. Multa hujusmodi fiunt, et argui possent, ad quæ ex jam dicendis patebit solutio.

Apoc III, 18.

Itaque, circa hæc scribit Bonaventura : Spirituale tripliciter dicitur. Primo, id quod

est pure spirituale, ut gratia et virtutes : et hæc nec de facto neque de jure possunt vendi. Secundo dicitur spirituale, quod adjungitur rei corporali, quæ tamen ratione illius spiritualis, consecratur et accipit nomen ac rationem boni spiritualis : et hoc, quum sit spirituale, de jure vendi non potest, nec cum alio in venditionem transire, pro eo quod poni non valet sub pretio. De facto tamen ratione corporalis rei potest vendi, ut ecclesiastica sacramenta. Tertio dicitur spirituale, quod adjungitur rei corporali quæ habet rationem rei temporalis, ut calix consecratus, et jus patronatus, quia in illis consecratio juncta est argento aut fundo : et hoc vocatur spirituale, quia spirituali annexum. Et hoc de facto vendi potest, non de jure; attamen cum eo cui adjunctum est, potest in venditionem transire. Calix namque consecratus vendi potest, ita tamen quod consecratio non vendatur, sed valor metalli; similiter fundus cui annexum est jus patronatus, non ipsum jus patronatus, quin incurratur simonia. In ordinibus autem est aliquid de primo spiritualium genere, utpote gratia sanctificans; aliquid quoque de secundo, puta potestas ministerialis per aliquod signum sensibile dispensata, cui inseparabiliter est annexa. Primum horum, ut dictum est, nec de jure neque de facto potest vendi. Secundum vero potest de facto dari pro pretio, quia inseparabiliter est adjunctum exteriori sacramento : quod quum de facto possit venundari, potest similiter et illa potestas; sicque simoniacus potest de facto ordines simoniace dare. — Porro de donis gratiæ gratis datæ contingit loqui dupliciter : primo, quoad se ipsa; secundo, quantum ad annexa. Et juxta hoc habent duplicem dispensatorem : nam quantum ad primum, habent dispensatorem Spiritum Sanctum, seu totam superbeatissimam Trinitatem, quæ causat imprimitque characterem; quantum vero ad secundum seu annexum, habent pro dispensatore hominem purum. Et primus nunquam vendit, secundus vero vendere

A potest de facto annexum illi quod est quodammodo spirituale, et propter illud emitur : ideo ipsa dona vendere perhibetur. Atque ad hunc sensum ipsi ordines a simoniacis vendi ac dari dicuntur, tam ad eorum quam ad recipientium damnationem, si scienter a simoniacis recipiant eos aut emant.

Denique, si quæratur, utrum dans ordines seu aliquod spirituale simoniace, ex hoc ipso fiat hæreticus : respondendum, quod nec sacri ordines, nec aliquod sacra-
B mentum aut spirituale pro pecunia dari potest sine gravi et enormi peccato, eo quod spirituale, quod ex sola liberalitate dandum est, mercatur et facit vile; rursus, quoniam illud quod est impretiabile, ponit sub pretio, sicque facit contumeliam Spiritui Sancto. Si autem quæras, an sit peccatum in fide vel moribus : dicendum, quod ille qui emit aut vendit spiritualia, aut credit ea pretio æstimari et valori rei terrenæ æquari ac pecunia possideri; et sic est hæresis manifesta, et hoc æstimavit
C Simon magus : nam talis errat in fide, quia credit gratiam non esse gratiam. Aut talis mercator seu venditor non credit quodcumque, attamen avaritia inflammatus nititur aliquid impetrare hujusmodi per pecuniam aut per temporale quodcumque; et ita est peccatum morum, non fidei : sicut qui fornicatur, et nihilo minus sciens fornicationem esse mortale peccatum, non est infidelis, sed libidinosus. Et ita simoniacus est avarus pessima avaritiæ specie, nec tamen est hæreticus proprie; nihilo
D minus a Sanctis appellatur hæreticus, quia ad modum hæretici operatur, et tanquam hæreticus a servitio Dei projicitur. — Si autem objiciatur, quia spiritualia seminans carnalia metere potest, ut ait Apostolus : *I Cor. IX, 11.* dicendum, quod si spiritualia seminat ad hoc finaliter ut carnalia metat, maxime si pactio interveniat simoniaca, avaritia est atque malitia; si vero carnalia metat quatenus se sustentet et spiritualia seminet, justitia est. Unde si doctor aut consiliarius aut medicus, et alii qui laborant

in consilio et doctrina, recipiant pretium propter laborem et suam sustentationem, non est simoniacum; si autem quis venderet donum sibi divinitus datum, non laborem suum, simoniacus judicaretur. Similiter dicendum de celebratione Missarum et consimilibus.

Præterea quæritur circa hoc quod allegatur in littera, Cf. p. 38 F. Quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur. Nam hoc falsum videtur, quoniam jus patronatus annexum est inseparabiliter fundo, et tamen venditur fundus licite, non vendito jure patronatus. — Dicendum, quod Magister non loquitur de temporalibus quibus annexa sunt spiritualia, sed de spiritualibus quibus temporalia sunt annexa, ut est præbenda. Et in talibus locum habet ista auctoritas, non in aliis. Fundus quippe non est annexus juri patronatus, sed magis econtra. Vel dicendum, quod intelligit de eo quod ita annexum est spirituali, quod tenet locum spiritualis. Fundus vero seu villa cui jus patronatus conjunctum est, tenet vere rationem rei temporalis. Verum in communi distinctione sumitur simonia generalius, prout fit quinque modis, ut patet his versibus :

Nummus, lingua, timor, sanguis, rumor popularis,
Non faciunt gratis spirituale dari.

Ab hac distinctione pauci immunes sunt hodie in clero, respectu multitudinis, quoniam vel ex causa directa vel indirecta incidunt hoc peccatum. — Hæc Bonaventura.

Circa hæc Thomas quærit multa : primo, quid sit simonia; secundo, an sit hæresis; tertio, an exsecutionem impediat ordinis, et in quibus rebus committatur. Ad primum respondet : Materia virtutum dividitur in actiones et passiones. Et sicut in passionibus potest esse peccatum, eo quod sit circa quod non debet esse, vel quantum, vel quomodo, et ita de circumstantiis aliis; ita etiam in actionibus. Unde in emptione et venditione, quæ sunt quædam actiones, potest esse peccatum in quid, vel in quantum. Si in quantum, sic est injustitia : ut dum quis emit aut vendit non justo pretio. Si in quid, ut dum emit aut vendit quod non cadit sub pretio : et sic est simonia. Quumque omne peccatum in actu voluntatis consistat, tria hæc in definitione simoniæ ponuntur. Et primo actus voluntatis in eo quod dicitur, Studiosa voluntas. Secundo materia proxima hujus peccati, puta venditio et emptio, ibi, Emendi vel vendendi. Tertio materia remota, videlicet objectum actionis prædictæ, ibi, Spirituale vel spirituali annexum. — Si autem objiciatur, quod pro sola voluntate iniqua non fit homo irregularis, sicut pro simonia; ergo non est studiosa voluntas : dicendum, quod ex sola voluntate perversa incurrit homo pœnam quæ ad Dei spectat judicium, non autem pœnam quæ secundum humanum forum infligitur : sicut pro voluntate occidendi meretur homo pœnam æternam, non irregularitatem et excommunicationem. Et idem est de simonia. — Spiritualia quoque, in prædicta definitione, sumuntur pro his quæ sunt spiritualis gratiæ causa, ut sacramenta; spiritualibus vero annexa, quæ ad horum usum sunt deputata, ut calices et ecclesiastica bona quæ ad usum ministrorum sunt deputata. Non autem dicuntur spiritualibus annexa, quorum usus potest esse in spiritualibus, si non sint ad hoc specialiter deputata.

Ad secundum respondet : Aliquid attribuitur alteri dupliciter. Primo simpliciter; secundo propter similitudinem actus. Simonia igitur dicitur hæresis, non primo modo, sed secundo. — Et si objiciatur, quod simonia est enormior infidelitate, quemadmodum in Decreto asseritur, quod impia hæresis Macedonii tolerabilior est simoniaca pravitate; dicendum, quod ratione falsæ æstimationis quam simoniacus in opere suo demonstrat, dicitur simonia gravior hæresi sceleratissimi Macedonii, qui negavit deitatem Spiritus Sancti, quem dixit esse servum Patris ac Filii. Simonia-

ei autem in actu suo ostendunt se esse dominos Spiritus Sancti, quem ostendunt se emere ac vendere posse. Vel dictum est istud propter nimiam pronitatem hominum ad hoc scelus ex cupiditate humana, et propter majus nocumentum, quia pervertit totum Ecclesiæ ordinem.

Insuper respondendo ad istud, utrum simoniacus amittit exsecutionem ordinis sacri, respondet : Efficacia sacramentorum non est ex merito humano; ideo propter peccatum hominis non impeditur sacramentum. Unde simonia sacramentum B suscipiendum non impedit; attamen impedire potest ultimam rem sacramenti, si peccatum sit ex parte recipientis. Tamen per simoniam suspenditur homo ab exsecutione ordinis seu officii. Verumtamen in hoc est distinguendum. Si enim dicatur simoniacus ex hoc quod recipit ordinem per simoniam, non recipit exsecutionem, et est ipso jure suspensus tam quoad se quam quantum ad alios; et punitur ulterius per depositionem, quando constiterit de crimine judici. Si autem dicatur simo- C niacus quoniam contulit ordinem simoniace, vel quia dedit aut recepit simoniace beneficium, aut quoniam mediator fuit simoniæ : si sit occultum, suspensus est ipso jure quoad se; si autem manifestum est, suspensus est quoad se et quoad alios. Et rursus, qui recipit beneficium simoniace, tenetur ad restitutionem omnium fructuum et beneficio renuntiare. — Denique, propter homicidium non fit defectus aliquis in ordinatione, sed tantum in ordinato : ideo sufficit quod ordinatus ab ho- D micidio sit immunis; per simoniam vero fit in ipsa ordinatione defectus : ideo quamvis ordinatus immunis sit, tamen quum ad notitiam ejus pervenerit, est suspensus. Quumque manifestum fuerit crimen simoniæ, amittit episcopus exsecutionem, estque suspensus quoad se et quoad alios; sed quando occultum est, suspensus est solum quantum ad se. Ideo si sit manifestum eo modo quo aliquid in jure dicitur manifestum, nullo modo debet quis obe- A dire ut ab illo suscipiat ordinem. Quod si non sit manifestum, nec poterit subterfugere, debet ab illo ordinem suscipere, quamvis sciat eum simoniacum esse qui ordines confert.

Ex his patet responsio, si quæratur, utrum sacramenta possint emi ac vendi. Quum enim sacramenta causent atque contineant gratiam, non possunt licite emi aut vendi, propter tria. Primo, quoniam dispensator sacramenti non est sacramenti dominus, sed minister; emptio autem fit a domino rei venalis. Secundo, quoniam pretium emptionis ponitur quasi mensura adæquans illud quod emitur : unde a mensurando numisma vocatur, secundum Philosophum quinto Ethicorum. Gratia autem commensurari non valet alicui rei corporali : idcirco injuriam gratiæ facit, qui sacramenta gratiæ vendit aut emit. Tertio, quia gratia ex hoc nomen accepit, quod gratis datur : ideo contra rationem gratiæ facit, qui sacramenta gratiæ quasi venalia tractat.

Præterea advertendum, quod matrimonium non solum est sacramentum, sed et naturæ officium. Unde in quantum sacramentum non cadit sub emptione : imo secundum canones, simoniam committit qui pro benedictione nubentium pecuniam exigit. Verum ex ea parte qua est in naturæ officium, nil prohibet pro matrimonio præmium accipere, vel conditionem pro re temporali accipienda interponere, quemadmodum nec in aliis civilibus corporalibusque officiis. — Si autem sacerdos non vellet baptizare infantulum nisi pro pecunia, deberet quis potius emere aquam a sacerdote, si aliunde non posset aquam acquirere, et puerum personaliter baptizare, quia in necessitate licet etiam feminæ Baptismum conferre. Et consimiliter est de adulto, nisi Baptismus possit differri quousque recipiatur ab eo cui ex officio convenit dare. — Ad id autem quod arguitur de Missis celebrandis et de receptione ad religionem, dicendum quod facere pactionem de Missa celebranda, est

simoniacum semper. Si tamen sacerdos aliunde non habet sumptus, nec celebrare ex officio obligatur, potest denarios sumere, sicut sacerdotes conducticii faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentaculum vitæ. Denique, quando possessiones alicujus loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc exigi potest ab eo qui in illo loco vult Deo servire, non quasi pretium religionis, sed ut habeat monasterium unde ei valeat providere : ideo non committitur simonia. Si autem sine gravamine Ecclesiæ recipi potest, simoniacum est aliquid pro receptione exigere. — Conformiter, pro absolutione non licet pecuniam nec aliud temporale exigere; confitenti tamen potest pecuniaria pœna imponi. Unde non licet exigere aliquid ut pretium absolutionis, sed ut pœnam peccati : in quo tamen cavendum est ne talis exactio cupiditati magis quam justitiæ adscribatur. — Sed quæri potest, an liceat alicui dare pecuniam ut desistat a persecutione juris quod habere se putat. Dicendum, circa hoc distinguendo, quia si non sit ei acquisitum jus per electionem, nequaquam potest adversario dare pecuniam ut desistat. Si autem sibi sit jus acquisitum, potest aliquid dare, non ut pretium prælationis, sed ut redemptionem suæ vexationis.

Præterea si quæratur, utrum in emptione et venditione aliorum spiritualium committatur simonia; dicendum, quod actus potest dici spiritualis dupliciter. Primo, quantum ad suum principium, quia competit alicui ratione alicujus spiritualis doni sive officii. Secundo, quantum ad sui finem : ut quando per actum illum ad aliquid spirituale pervenitur. In actibus ergo primo modo spiritualibus, quia spirituale est ex parte agentis, non potest quis sine simonia actus suos locare ; sed potest aliquid accipere in sustentationem vitæ. In actibus vero secundis, quum spiritualitas non sit ex parte agentis, potest etiam emere et vendere operas suas ; sed non potest spirituale hoc vendere quod ex ejus actu acquiritur. Quumque anniversarium celebrare sit actus spiritualis primo modo, ideo nullo modo licet pacisci pro eo celebrando ; si tamen cum devotione aliquid detur Ecclesiæ, Ecclesia celebrare tenetur pro illis pro quibus rogatur. Porro oratio est actus spiritualis primo et secundo modo, quia ex spirituali devotione efficaciam habet, et aliquid spirituale in ea petendum est : ideo nullo modo debet poni sub pretio. Nec illi qui dant pecuniam pauperibus ut pro ipsis orent, emunt orationem, sed animos pauperum alliciunt ad orandum pro se, et eos sibi faciunt debitores.

Si autem quæratur, an liceat prædicare pro pecunia ; respondendum, quod prædicare pro pecunia intelligi potest dupliciter. Primo, quod pecunia sit pretium prædicationis : et ita non licet. Secundo, quod pecuniæ datio sit res prædicata : et sic licet, referendo tamen hoc ipsum ad finem spiritualem. — Sic et stipendia temporalia debentur prædicantibus et præsidentibus, non ut pretium rei spiritualis, sed ad sustentaculum vitæ, ne circa temporalia occupati, cogantur relinquere verbum Dei spiritualesque actus. — Amplius, correctio et visitatio sunt primo modo actus spirituales, quia ex spirituali officio competunt : ideo simoniam committit qui pecuniam accipit ut peccatum quod tenetur manifestare aut punire, non pandat nec puniat. Nec etiam pro visitatione facienda, accipienda est procuratio quasi pretium visitationis, sed quasi debita ex ordinatione Ecclesiæ, ad sustentationem. Consimiliter est de procuratione moderata quam accipere potest episcopus in consecratione ecclesiarum, secundum Ecclesiæ determinationem.

Quæritur quoque, an liceat docere et legere pro pecunia. Et respondendum, quod docere artes liberales est actus spiritualis secundo modo : ideo licet magistris artium vendere suos labores, sed non scientiam, nec veritatem, quæ spiritualis est. Unde in Proverbiis legitur : Noli vendere sapientiam et doctrinam et gloriam. *Prov.* XXIII, 23.

Quæritur item de judicibus, an queant A pecuniam pro judicio petere. Respondendum, quod judex officio suo tenetur judicium reddere. Similiter ad perhibendum testimonium verum unusquisque tenetur ex hoc quod est judicio subditus. Advocatus autem non tenetur patrocinium causæ præstare, nec jurisperitus dare consilium. Idcirco (ut ait ad Macedonium Augustinus) non debet judex vendere verum judicium, nec testis verum testimonium, ob hoc quod advocatus vendit justum patrocinium, et jurisperitus verum consilium. Non B enim advocatus vendens justum patrocinium, vendit justitiam, quæ est spiritualis, sed actum suum. Consimiliter dicendum de consilio jurisperiti. Sed judex vendendo verum judicium, simoniam committit, si sit spiritualis judex : alias non committit simoniam, sed graviter peccat. Similiter dicendum de teste.

Deinceps quæritur, an committatur simonia in emptione et venditione eorum quæ spiritualibus sunt annexa, ut sunt jus sepulturæ, jus primogenituræ, jus patro- C natus, etc. Et videtur quod imo, per definitionem simoniæ. — Dicendum, quod spirituale quod sub pretio poni non debet, est duplex, videlicet : ipsa res, utpote sacramenta ; et actus alicui competens ex sacro officio. Sicque est duplex spirituali annexum : quoddam annexum est sacramentis, ut vasa sacra, etc. ; quædam annexa sunt sacris officiis, ut decimæ et jus patronatus, secundum quod jus patronatus est quædam potestas præsentandi clericum ad beneficium ecclesiasticum. Et in utro- D que committitur simonia, quantum ad id quod de spiritualitate sortitur. Itaque vasa sacra ratione consecrationis nullatenus sunt vendenda, ita ut ratione consecrationis aliquid plus exigatur. Tamen in necessitate Ecclesiæ vendi possunt quantum ad id quod in eis est non spirituale. Et si ecclesiasticæ vendantur personæ, possunt integra vendi ; si autem vendantur aliis non ad usum Ecclesiæ, debent prius frangi oratione præmissa, ne sancta tractentur ab aliis quam ab Ecclesiæ ministris.

De jure quoque sepulturæ sciendum, quod venditio sepulturæ intelligi potest dupliciter. Primo, quod vendatur terra consecrata in sepulturam. Et de hoc dicendum sicut de sacrorum venditione vasorum, quoniam cœmeterium potest vendi ratione terræ in necessitate Ecclesiæ, sicut calix ratione materiæ. Non autem vendi potest ratione consecrationis, ut scilicet aliquis pro pecunia ibi sepeliatur. Abraham demum non peccavit, duplicem emens speluncam, quia spelunca illa non fuit in sepulturam consecrata ; vel si fuit consecrata, transivit possessio ejus in jurisdictionem cum universitate agri. Hemor vero reprehenditur, quia recessit a bona intentione quam habuit prius, volens eam gratis dare, quam paulo post carissime vendidit. Vel ut quidam dicunt, Abraham non peccavit redimens jus sepeliendi mortuum suum : quod quamvis Hemor non ei denegaret, tamen sciebat Abraham quod Hemor moleste acciperet, nisi pretium agri ei daretur. Primum tamen melius videtur. Secundo dicitur vendi sepultura, si pro officio quod a sacerdotibus in sepultura funeris exhibetur, aliquid exigatur : quod (ut patet ex dictis) non licet. Attamen si consuetudo sit quod aliquid detur, potest per superiorem correctio adhiberi in eos qui denegant dare quod consuetudo exposcit. — At vero jus percipiendi decimas, consequitur spirituale officium, quia debentur ministris Ecclesiæ. Nec laici possunt habere hoc jus, quamvis aliquando ad tempus concessus fuerit laicis fructus illarum propter aliquam Ecclesiæ necessitatem ; tuncque eo modo quo laicis dari potest, etiam ab eis redimi potest auctoritate episcopi. Una tamen Ecclesia non potest ab alia emere jus percipiendi decimas. — Nec etiam Jacob peccavit jus primogenituræ emens ab Esau, quoniam ex ordinatione divina sibi debebatur : hinc suam vexationem redemit hujusmodi emptione. Sed Esau peccavit vendendo.

Gen. XXIII, 3 et seq. ; *Act.* VII, 16.

Cf. p. 47 A'.

Ibid. XXV, 33.

Hoc quoque sciendum, quod simonia

tribus modis committitur. Simonia namque consistit in emptione et venditione spiritualium, vel eorum quæ ipsis annexa sunt. Emptio autem atque venditio non solum consistunt in datione et acceptione pecuniæ, sed omnium quorum pretium potest numismate mensurari : in his quippe consistit liberalitas, secundum Philosophum. Constat enim quod in eisdem est liberalis datio, et venditio, quæ contraria exsistit. Omnis autem temporalis commodi pretium potest numismate mensurari. Quicumque ergo pro aliquo commodo temporali dat aliquid spirituale vel ei annexum, simoniam committit. Bonum vero temporale quod unus potest ab alio exspectare, vel est ex parte animæ, ut favor aut amicitia, et quoad hoc est munus a lingua; vel ex parte corporis, ut actus corporaliter exercitus, et quantum ad hoc est munus ab obsequio; vel est aliquid exteriorum bonorum, et sic est munus a manu. Quantum ad primum, committitur simonia per munus a lingua, quoniam lingua opinionem exprimit, gratiamque conceptam; quantum ad secundum, per munus ab obsequio; quantum ad tertium, per munus a manu.

Porro judicium Ecclesiæ est secundum exteriora. Quumque non sit probabile quod animus judicis flectatur pro munere parvo ad faciendum aliquid; ideo in parvis muneribus judici datis non judicat simoniam committi. Sed apud Deum, qui cor intuetur, simonia est in parvis et magnis muneribus, si animus judicis ex eis flectatur. — Denique opinio dicentium, Papam non posse committere simoniam, est falsa. Si enim Papa pro aliquo spirituali munus acciperet, simoniam committeret sicut alius homo. Et quamvis res Ecclesiæ sint aliquo modo ipsius Papæ, non tamen ut domini principalis. Nec dubium quin simoniam committeret, qui spirituale aliquid suo traderet debitori, ut quod suum est recuperaret : ita et Papa, si pro temporalibus res Ecclesiæ daret. — De obsequio etiam distinguendum : quia aut est honestum, aut inhonestum. Si honestum,

I *Reg.* XVI, 7.

A potest ex eo quis fieri ecclesiastico beneficio dignus, sicut ex aliis bonis operibus: et tunc si non interveniat pactio, potest ei beneficium dari, ita ut non habeatur principaliter oculus ad obsequium, sed ad dignitatem personæ. Si autem sit inhonestum obsequium, simoniacum est. — Conformiter, munus a lingua est duplex : unum quod in actu linguæ consistit, ut laus; aliud quod ex lingua sumit initium, ut dum quis ex hoc quod precibus alicujus satisfacit, præstolatur favorem. Qui autem B dat aliquid spirituale pro favore aut laude acquirenda, certum est quod simoniam committit. Quumque preces porriguntur pro indigno, satis apparet quod nil movet nisi favor, aut etiam periculum evitandum : quia et malo carere est quoddam bonum, ut quinto Ethicorum ait Philosophus. Ideo, quando preces funduntur pro indigno, vel ab aliquo potente qui periculum comminatur, quæ vocantur preces armatæ; manifeste simonia committitur, si propter hoc, ecclesiasticum beneficium deC tur. Si autem pro digno fiant quantum ad judicium hominum, probabile est quod dans potius moveatur intuitu dignitatis personæ, quam precum favore : ideo non reputatur simonia. Si tamen principaliter moveatur favore precum aut timore rogantis, simoniacum est divino judicio, tam ex parte rogantis quam rogati, si hoc intendat, sive quis roget pro se, sive pro alio. Potest enim quis beneficium ecclesiasticum non habens curam animarum, si indiget, petere pro se; sed non si habeat D curam animarum, quia præsumptuosum est. Non tamen est simonia, nisi pro tanto quod ex ipsa præsumptione indignus efficiatur : et tunc preces suæ hoc ipso quod rogat, fiunt pro indigno. — Si præterea quæras, an simoniacus sit qui principaliter consanguinitatis intuitu aut amore beneficium præstat; dicendum, quod talis aut intendit temporale bonum illius cui dat, non alterius, et sic peccat graviter; non tamen simoniam committit, quia non vendit, quum nihil accipiat. Aut intendit

aliquod bonum in se ipsum redundans, ut per hoc magnificetur, et domus sua nobilitetur, et ita simoniam committit, quoniam sperat recipere aliquod temporale pro quo beneficium donat. — Denique in permutationibus beneficiorum et dignitatum committitur simonia, si pro terreno aliquo commodo unius aut amborum contingant; non autem si pro spirituali causa, ut quia in uno loco melius possit deservire : tuncque auctoritate diœcesani episcopi talis commutatio fieri valet. — Hæc Thomas in Scripto. Qui hæc eadem scribit in secunda secundæ. quæst. c.

Consonat Petrus, et addit : Quædam sunt mala, quia prohibita in jure, ut vendere beneficia aliqua ecclesiastica, quæ tamen cadunt in personam laici; et in his sola voluntas non facit simoniacum. Quædam vero sunt prohibita quia simoniaca, ut vendere sacramenta Ecclesiæ; atque in his sola voluntas facit simoniacum. Quod intelligi potest quoad forum divinum, non quoad forum Ecclesiæ : unde hujusmodi simoniam sine officii resignatione per solam pœnitentiam puto posse purgari. — At vero pro religionis ingressu aliquid accipere, illicitum est. Sed si religio pauper est, pro sustentatione ingredientis accipere licitum est; aut etiam si dives sit, et ex devotione offeratur. — Porro scientia et docendi licentia non sunt spiritualia per relationem ad Spiritum gratiæ, sed ad spiritum humanum. Ideo talia vendere non est simoniacum, quamvis posset esse cupiditatis vitium. — Hæc Petrus, qui in hoc ultimo verbo videtur a responsione Thomæ discedere.

Richardus quoque circa hæc addit : Quædam sunt spiritualia per comparationem ad spiritum humanum, et hoc dupliciter. Primo, per causam, ut doctrina; secundo, per essentiam, ut scientiæ philosophicæ. Doctrina harum scientiarum potest vendi de facto et de jure, quum doctor non habet aliquod stipendium ab Ecclesia quo docere teneatur. Si autem habet salarium ab Ecclesia, incurrit vitium simoniæ, vel quasi simoniam, si pro doctrina sua pretium exigat a clericis ejusdem Ecclesiæ, et a pauperibus undecumque sint : *extra* de Magistris, et ne aliquid exigatur, capitulo Quia nonnullis. Dicunt tamen aliqui, quod non prohibetur exigere a divitibus : quod credo intelligendum non de divitibus ejusdem Ecclesiæ, sed alterius. Nec etiam ab illis deberet exigere, nisi ex licita causa factus esset pauper aut debitis obligatus. Prædictæ autem scientiæ nec de jure neque de facto vendi possunt, juxta illud Proverbiorum : Quid prodest stulto habere divitias, quum sapientiam emere non possit? — Porro, dum possessiones alicujus loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures quam qui ibi sunt, volenti Deo ibi servire licitum est intimare sine pacto, quod nisi afferret unde viveret, ipse et alii penuriam paterentur, per quam possent impediri a divino officio. Si autem monasterium abundat, non licet sic loqui. — Ad majorem vero horum explanationem notandum, quod non tantum committitur simonia dum pro spiritualibus aut pro annexis eisdem datur ex pacto pecunia, sed etiam quum ex pacto datur munus quodcumque, sive a lingua, sive a manu, etc. : causa 1, quæstione 1, capitulo Ordinationes, et expressius capitulo sequenti. Si autem sine pacto ex liberalitate offertur, recipi potest. Hæc Richardus. Prov. XVII, 16. Decret. p. II.

Scotus etiam scribit hic : Canonica pœna, ut sumitur modo, est pœna inflicta per canones, arcens prohibensve punitum ab aliquo actu ecclesiastico qui alias ei liceret. Dixi autem, Secundum canones, quia ad hoc quod sit justa, debet secundum canones infligi. Hujusmodi vero pœnæ in speciali sunt septem, scilicet : depositio, degradatio, infamia, irregularitas, excommunicatio, interdictum et suspensio. Inter quas maxima est depositio, quum sit totalis a statu clericali amotio. Et si degradatio sit amotio ab omni gradu clericali, tunc idem sunt depositio et degradatio; si vero degradatio sit depositio tantum a determinato gradu, alio gradu reservato,

sic degradatio est quædam particularis A pœna respectu depositionis. Deponitur autem, non quod deleatur character, etc., sicut præhabitum est. Hæc Scotus.

Cf. p. 42 B', et t. XXIV, p. 525 B.

Præinductis etiam consonant scripta Antisiodorensis in Summa, tertio libro, dicentis : Non est licitum dare temporalia pro Missis tricenarii. Unde prohibetur in synodo, ne presbyteri aliquid accipiant antequam Missas compleverint, ad vitandum speciem mali, et ut scandalum evitetur, ne scilicet videantur spiritualia vendere, et ne detur sacerdotibus occasio B simoniæ. Tamen si sacerdos non haberet sustentaculum vitæ, posset ante accipere. Dicimus quoque, quod emere et vendere quamcumque scientiam, simoniacum est, et secundum diversos gradus nobilitatis scientiarum, dicitur simonia in talibus major et minor. Hinc advocato non licet vendere scientiam suam nec suum consilium, etc., ut supra.

Cf. p. 47 D' et s.

Postremo in hac quæstione specialem diligentiam adhibui ad declarandum quod C doctores senserunt de practica ista quarumdam religiosarum personarum, præsertim monialium, quæ vix aliquam personam recipiunt sine pactione, conventione aut conditione temporalium præstandorum. Et videntur quædam responsa Thomæ atque aliorum quorumdam ad hoc sonare et concordare. Sed et quidam doctor quoddam edidit scriptum, in quo asserit ac tuetur, atque pro viribus probat hoc licite fieri posse, et pacisci quod talis seu tanta pecuniæ summa detur. Contra quod D duo collegi opuscula, quorum ultimum missum est almæ Universitati Parisiensi, in qua quadraginta duo doctores theologicæ Facultatis scriptum illud diligenter examinaverunt et approbaverunt, potissime quantum ad principalem conclusionem, quod scilicet non liceat facere pactum de temporalibus dandis, nec exigere aliquid per modum coactionis, ita quod nisi illud detur, persona non recipiatur, aut etiam jam recepta ejiciatur : quod tamen quædam insensatæ adhuc facere audent. Et quamvis Thomas in Scripto et in secunda secundæ responderit sicut jam patuit; nihilo minus in Quodlibetis suis testatus est, non licere exigere temporale ante receptionem personæ, quoniam hoc speciem habet mali.

Bernardus de Reyda.

p. 47 A.

Denique, sicut in opusculis illis asserui, Thomas, Raimundus, Udalricus, et alii quidam præfati ita scripserunt multis annis ante Urbanum V, Bonifaciumque VIII, qui summi Pontifices hujusmodi pactionem et conventionem prorsus prohibuerunt. Et ne tale quid fieret, unus eorum, Bonifacius Papa vetuit recipi ultra numerum personarum quæ de bonis monasterii congruenter valeant sustentari. Itaque Urbanus ille in quadam Extravaganti disseruit : Urbanus episcopus, servus servorum Dei. Ne in vinea Domini, etc. Præsentium tenore apostolica auctoritate inhibemus, ne a personis volentibus ingredi religionem, in earum receptione vel ante vel postea, pecuniam aut aliud quidquam, directe aut indirecte, per se aut per alios, petere aut exigere quoquomodo præsumant, sed eas cum omnimoda puritate recipiant, illa dumtaxat recepturi quæ personæ ingredientes pure ac sponte et plena liberalitate, omni pactione cessante, dare voluerint, etc. Istud sub terribilibus comminationibus ibi præcipitur, multo diffusius repetitisque vicibus quam hic tango. Unde non dubito quod si ista Decretalis ante S. Thomam facta fuisset, et sibi innotuisset, nequaquam ita ut tactum est conscripsisset, præsertim quum ipsemet in secunda secundæ fateatur, quod contra summi determinationem Pontificis nullus doctorum quantumlibet magnæ sanctitatis vel auctoritatis, suam præsumat positionem defendere. Nec admirari sufficio, quomodo aliquis potest sic excæcari, ut audeat dicere quod intentio Urbani in tota hac Decretali non fuit nisi prohibere ut nihil per modum pretii exigatur, quum nemo ignoret id esse illicitum. Sed istud in secundo opusculo contra simoniacam pravitatem

Extrav. lib. V, tit. 1, c. 1.

et contra scriptum illius plenius demonstravi.

Insuper, in scriptis quorumdam super hanc quarti distinctionem, qui post Urbanum Bonifaciumque fuerunt, inveni circa solutionem Thomæ, ad argumentum de exactione pecuniæ ab ingredientibus religionem, sic additum : Circa istud provisum est a Bonifacio VIII, Decretalium sexto, et ab Urbano V in Extravagante, quorum primus prohibuit, ultra numerum qui de bonis monasterii sustentari valeat, recipi; secundus districtissime prohibuit omnem exactionem, conventionem pactionemque fieri. Nec ex his arctatur via salutis, nec quisquam a religionis introitu impeditur, sicut per illas exactiones. Quod enim quis dat per exactiones et pactiones nefarias, dare potest et debet devota, liberali, caritativa, liberrima voluntate, et de hoc poterit congrue informari.

Denique principalis conclusio doctorum theologorum Universitatis Parisiensis, ac decretum est istud.

Decretum Facultatis theologicæ, celeberrimæ Universitatis studii Parisiensis, contra simoniacos religiosos.

Quia nuper mota est controversia inter aliquos doctores super decisione hujus quæstionis, Utrum in aliquo monasterio feminarum liceat recipere aliquam feminam ultra numerum personarum quæ de bonis monasterii commode sine penuria possunt sustentari, et de persona recipienda, oblatis gratis spiritualibus, exigere temporalia; instantiusque a nobis magistris in Facultate theologiæ Parisiis congregatis quæsitum est, ut in ea re consilium dare et super ejusdem quæstionis determinatione quid sentimus dicere vellemus. Nos autem ad pacem conscientiarum et ædificationem animarum pro viribus laborare cupientes, ea quæ nobis super his videntur, in modum sequentem exponere duximus. In primis dicimus, quod attento

A tenore Constitutionis apostolicæ felicis recordationis Papæ Bonifacii VIII, incipientis, Periculoso (de Statu regularium, libro Sext. lib. III,
sexto), non licet recipere aliquam feminam tit. 16, c. 1.
in aliquo monasterio non mendicantium, ultra numerum personarum quæ de bonis monasterii sine penuria sustentari possunt. Nec in hoc oportet apponere illum terminum, Commode, quum in textu ipsius Constitutionis non ponatur. Et illud dicimus non licere, ubi non habetur de hoc consuetudo communis et diuturna,
B quam Papa scire et tolerare verisimiliter creditur, et per quam posset præfatæ Constitutioni esse derogatum. Idem dicimus, quod a femina recipienda in monasterio, oblatis gratis spiritualibus, non licet exigere temporalia pro ipsis spiritualibus, tanquam pretium spiritualium vel annexorum spiritualibus, faciendo commutationem unius pro altero. Dicimus ulterius, quod ubi monasterium est ita tenue, quod femina quæ recipi petit, non posset de bonis ipsius monasterii sustentari sine penuria,
C oblatis gratis spiritualibus, et receptione personæ libere facta ad spiritualia, si persona illa sic recepta habeat bona temporalia de quibus juxta consuetudinem regionis potest disponere, et ea monasterio conferre; tunc potest ab ea aliquid peti solum pro necessitate sui victus, sine fraude, ut habeat monasterium unde sibi providere possit. Et hoc non intelligendo de exactione coactoria, ita quod ejiciatur si non dederit; sed quod in omnibus servetur debitus modus et recta intentio, et
D quod hoc habeat locum ubi est consuetudo communis et diuturna, sicut supra tactum est, per quam et antedictæ Constitutioni Bonifacii, et alteri Constitutioni Urbani V, incipienti, Ne in vinea Domini, prohibenti hujusmodi temporalia ab ingredientibus monasteria quovis modo peti vel exigi, derogatum exsistit. Tutius tamen est, quod nihil petatur vel exigatur; nec in hujusmodi monasteriis, ultra numerum earum quæ sine penuria sustentari possunt, aliqua femina recipiatur; et si aliqua petit

recipi, dicatur ei quod monasterium non potest eam recipere, quia non habet unde ipsam valeat sustentare.

QUÆSTIO III

Circa præinducta quæritur, **Utrum sacerdos habens competens beneficium, possit licite alteri deservire.**

Videtur quod non, quia hoc esset cupiditatis. — In contrarium est consuetudo sacerdotum.

Ad hoc respondet Henricus, Quodlibeto
q. 23. nono : Talis sacerdos, aut vocatur a suo prælato ad deserviendum beneficio tempore quo illud caret proprio deservitore, et hoc propter ipsius beneficii necessitatem; aut ingerit se propter quæstus commoditatem. Primo modo potest id licite ac meritorie facere, et pro labore emolumentum percipere, atque in pios convertere usus. Si secundo modo, aut appetit quæstus ut lautius vivat, aut ut pauperes pascat. Primum non licet, imo de proprio beneficio non licet ei nec alteri plus accipere quam necessaria quoad statum suæ personæ. Nam quoad alia, dispensatio ei credita est, et dispensator est pauperum. Et quidquid immoderate consumit delicate vivendo, in hoc pauperes spoliat et defraudat, sicut ait S. Bernardus ad Henricum Senonensem archiepiscopum : Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur et dicunt : Nostrum est quod effunditis, crudeliter nobis subtrahitis quod carnaliter inaniterque expenditis, nostris necessitatibus detrahitur quod vestris vanitatibus ac superfluitatibus impertitur. Porro si appetit pro lucro temporali in beneficio alieno servire, ut pauperes pascat : aut ergo magna necessitate urgentur pauperes, nec inveniunt subsidium; aut non. Si primo modo, optime agit, quum in tali necessitate licet vendere vasa ecclesiæ, etc. Si se-

A cundo modo, tunc dico, quod quamvis liceat facere, melius tamen esset quod in proprio beneficio orationi, contemplationi et actibus officii sui vacaret : quoniam talis actio non debet esse in desiderio voluntatis, sed solum in ministerio necessitatis. Hæc Henricus.

Qui de hac materia adhuc movet tres quæstiones, Quodlibeto secundo. Prima, q. 17-19.
utrum illicitum sit plura ecclesiastica beneficia simul habere, ita quod hoc sit malum secundum se. Secunda, an liceat ali-
B cui petere licentiam seu dispensationem pro se ad tenendum simul beneficia plura. Tertia, utrum liceat viris ecclesiasticis vitam ducere delicatam, et pretiosis vestibus uti ac equitaturis. — Ad quas satis prolixe ac devote respondet, quod nimis longum esset hic recitare. Tamen ex verbis ejus nunc introductis elicitur quid ad ista respondeat. Etenim si (ut asserit) non licet beneficiato, de unico suo beneficio plus quam necessaria sumere, hoc est, simplicem victum, vestitum domiciliumque
C accipere, et quidquid superest in pios usus convertere obligatur, imo potissime pauperibus erogare : quomodo licebit ei plura beneficia occupare, quorum unum pro competentia sit sufficiens ? Nisi forsan in casibus qui excipi et exprimi solent, qui rarissime habent locum, quos et in opusculo Contra pluralitatem beneficiorum expressi. Simplici quoque victui et vestitui contrariantur vita delicata ac vestitus superfluus, curiosus, pomposus ac pretiosus. De his in prætacto tractatulo aliisque
D libellis copiose scripsi.

QUÆSTIO IV

De impedimentis Ordinis quæritur, **An ea quæ tanguntur in littera, et quæ communiter assignantur, impediant hominem ab Ordinis susceptione : quorum primum est sexus femineus, secundum minor**

ætas, tertium servitus, quartum homicidium, quintum illegitima nativitas, sextum defectus membrorum.

Videtur quod primum non impediat. Nam aliquæ feminæ tam ex naturali dispositione quam ex donis gratiæ, sunt plurimis viris sapientiores, virtuosiores, et ad omnem devotionem ac elevationem in Deum magis dispositæ : ergo præ plurimis viris sunt ad ordines etiam sacros magis aptæ ac dignæ. Et si dicatur, quod sexus femineus est sexus subjectionis; objicitur, quod multæ sunt feminæ præsidentes, et una earum constituta est totius mundi domina ac regina, Mater Dei incarnati, sacratissima et supermundissima virgo Maria. — Insuper pueri sunt magis innocentes et minus inquinati : ergo si in pueritia promoverentur, eorum oblatio et oratio essent Deo magis acceptæ. — Insuper servis consuluit Apostolus, ut in servitute persistant : ergo hoc potius expedit eis, præsertim quum servitus sit incitamentum humilitatis, et ita magis dignificat ad ordinum susceptionem. — Amplius S. Joannes apostolus quemdam ex latrone ordinavit sacerdotem ac præsulem : ergo nec homicidium impedit. — Præterea illegitime nati, frequenter abundant in naturalium bonitate præ aliis; similiter mutilati seu quibusdam membris curtati. Et quod illegitime nati non promoveantur, videtur ad personarum acceptionem pertinere.

I *Cor.* VII, 21, 24.

Ad hæc S. Thomas respondet, et primo ad primum : Ad receptionem sacramenti aliqua requiruntur quasi de necessitate sacramenti, quædam de necessitate præcepti. Si prima desint, non est homo capax sacramenti, nec rei seu gratiæ vel characteris sacramentalis; sine aliis vero potest homo recipere sacramentum, non rem sacramenti seu gratiam. Sexus autem virilis est de necessitate sacramenti primo modo. Ideo quidquid circa mulierem agatur, non recipit Ordinis sacramentum : sicut nec Extremam Unctionem quis sus-

A cipit, nisi sit vere infirmus. Nempe quum sacramentum sit signum eorum quæ in sacramento aguntur, requiritur non solum res, sed et significatio rei. Quumque in sexu femineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quoniam mulier habet statum subjectionis, non est capax ordinis sacramentalis. — Verumtamen quidam dixerunt, quod sexus virilis est de necessitate præcepti, non sacramenti, quum et in Decretis mentio fiat de diaconissa atque presbytera. Sed opinio illorum est falsa.

B Diaconissa enim vocatur ibidem, quæ aliquem diaconi actum participat, videlicet quæ legit in ecclesia homiliam; presbytera dicitur vidua, quoniam presbyter est idem quod senior. Abbatissæ quoque quamvis præsint, non tamen habent ordinariam prælationem, sed quasi ex commissione, propter periculum habitationis virorum ac feminarum. In libro etiam Judicum legitur Debora prophetissa præfuisse : quod fuit in temporalibus, non in sacerdotalibus, sicut et nunc aliquæ mulieres tem- *Judic.* IV, 4.

C poraliter præsunt.

Ad secundum respondet : Per pueritiam aliosque defectus per quos tollitur usus rationis, ponitur impedimentum actui Ordinis; ideo sacramenta quæ actum requirunt suscipientis sacramentum, non competunt non utentibus ratione, ut Pœnitentia et Matrimonium. Sed quoniam potestates infusæ priores sunt actibus, sicut et naturales, quamvis acquisitæ sint posteriores; et quia remoto posteriore, non tollitur prius : ideo omnia sacramenta in quibus

D non requiritur actus suscipientis de necessitate sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitus datur, possunt pueri et alii ratione carentes suscipere; hac tamen habita distinctione, quod in minoribus ordinibus requiritur tempus discretionis de honestate, propter dignitatem sacramenti, non de necessitate præcepti. Hinc aliqui, si adsit necessitas et spes profectus, ad minores ordines ante tempus discretionis possunt promoveri sine peccato, et suscipere ordinem, quamvis non-

dum idonei ad officia eis commissa, quia A per assuefactionem reddentur idonei. Sed ad majores ordines requiritur usus rationis, tam de honestate quam de præcepti necessitate, propter votum continentiæ quod habent annexum, et quoniam etiam sacra committuntur eis tractanda. Verum ad episcopatum, in quo potestas ad mysticum corpus accipitur, requiritur actus suscipientis curam pastoralem : ideo de necessitate consecrationis episcopalis est, quod usum habeat rationis. Aliqui etiam dicunt, quod ad omnes ordines suscipien- B dos usus rationis requiritur, sed dictum eorum nec ratione nec auctoritate firmatur.

Ad tertium demum respondens : In susceptione (inquit) Ordinis mancipatur homo divinis obsequiis. Quumque homo non valeat alteri dare quod suum non est, ideo servus, qui sui potestatem non habet, non potest ad ordines promoveri. Si tamen promovetur, Ordinem suscipit, quia libertas non est de necessitate sacramenti, quamvis sit de necessitate præcepti : quæ C non impedit potestatem, sed actum tantum. Similis ratio est de omnibus qui sunt aliis obligati, ut ratiociniis detenti, et personæ consimiles. — Si autem objiciatur, quod S. Paulinus episcopus se ipsum vendidit in servum pro redemptione filii viduæ sibi subjectæ; dicendum, quod hoc fecit ex speciali instinctu Spiritus Sancti, nec est ad consequentiam trahendum : quo-
II *Cor.* III, 17. niam ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Et quamvis servitus utilis sit ad exercitium humilitatis, tamen ex alia parte præbet D exsecutioni ordinis impedimentum. Alia quoque sufficientia humilitatis incitamenta habet, qui ad ordines intendit accedere. Porro si servus domino suo sciente nec reclamante promotus sit, ex hoc ipso efficitur ingenuus. Si vero domino suo nesciente, tunc episcopus ordinans et qui servum præsentaverunt, tenentur domino servi in duplum quam sit pretium servi, si sciverunt eum servum consistere; alias servus si habet peculium, debet se ipsum redimere : alioqui non obstante sua ordinatione, redigeretur in servitutem domini sui, quamvis sic exsequi ordinem nequeat, et hoc, nisi dominus sponte liberaverit ipsum.

Ad quartum respondet, quod omnes ordines referuntur ac ordinantur ad Eucharistiæ sacramentum, quod est sacramentum pacis nobis factæ per effusionem sanguinis Christi. Quumque homicidium paci contrarietur, et homicida ut sic, magis conformetur occisoribus Christi quam Christo occiso, cui omnes ministri sacramenti hujus debent conformari; ideo de necessitate præcepti est, quod qui promovetur ad ordines, non sit homicida. Quod tamen non est de necessitate sacramenti. Ideo fuit interdum permissum. — Irregularitas quoque non solum incurritur propter peccatum, sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad sacramentum Eucharistiæ ministrandum. Hinc judex et omnes qui sibi ministrant seu participant in causa sanguinis, irregulares redduntur, eo quod sanguinis effusio non deceat tanti sacramenti ministros. — Qui autem ignorans hominem occidit, non reputatur homicida, nec irregularis efficitur, quia voluntarie hoc non facit : nisi dederit operam rei illicitæ, aut debitam cavendi diligentiam omiserit. Nec hoc est quia caret culpa, quum et sine culpa irregularitas incurratur : unde et ille qui se defendendo in aliquo casu, non peccat occidendo, nihilo minus irregularis efficitur.

Ad quintum respondens : Ordinati, ait, in quadam dignitate præ ceteris constituuntur. Idcirco in eis requiritur claritas quædam de necessitate præcepti, non sacramenti, ut scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus decorati. Quumque claritas hominis ex vitiosa origine offuscetur, ideo illegitime nati a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum ipsis dispensetur; et tanto difficilius dispensatur, quanto eorum origo est turpior. Nec in hoc præjudicatur eisdem, quoniam irregularitas non est pœna iniquitati debita.

Ad sextum respondet : Aliquis efficitur ineptus ad susceptionem Ordinis, vel propter impedimentum actus, vel propter defectum claritatis personæ : ideo patientes defectum in membris, impediuntur a susceptione Ordinis, si sit defectus notabilem maculam inferens, qua personæ claritas obscuretur, ut abscissio nasi, aut qui periculum in exsecutione facere possit : alias non impediuntur. Hæc quoque integritas exigitur de necessitate præcepti, non sacramenti. — Hæc Thomas.

Concordat Petrus, et addit : Ab infantia completa usque ad duodecimum annum suscipi possunt duo primi ordines minores ; a duodecimo anno usque ad vicesimum primum, duo ultimi minores ordines ; a vicesimo primo anno potest subdiaconatus suscipi ; a vicesimo quinto diaconatus, a tricesimo presbyteratus. Similiter a tricesimo primo completo potest quis in episcopatum eligi. Attamen ex idoneitate personæ et necessitate Ecclesiæ tempus ordinum potest aliqualiter anticipari auctoritate episcopi ; tempus vero electionis episcopalis non nisi dispensatione summi Pontificis. Hæc Petrus.

Circa hæc, multa addit Richardus : In *Lev.* XXI, 17. Levitici (inquiens) libro habetur, Homo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo. Per quod figuratum fuit, quod non tantum in hominibus promovendis ad sacerdotium novæ legis attendendum est quod careant macula animæ, sed etiam quod careant notabili macula corporis, quæ derogaret reverentiæ Ordini debitæ. Hinc habens oculum erutum, sive per culpam suam, sive non, prohibetur ordinari. Defectus vero membrorum notabilem deformitatem in vultu aut manibus non generantes, non introducti ex propria culpa, nullam irregularitatem inducunt : ut si quis per insidias sit factus eunuchus, aut in persecutione amputata sint ei virilia, vel taliter natus sit, et sit dignus, poterit promoveri ad sacerdotium, imo ad præsulatum ; similiter, si propter medicinam sit sectus, aut a barbaris sive a dominis suis castratus. Sed qui sponte se mutilant, et sine justa causa, vel ad reprimendum carnis tentationes, irregulares sunt ; similiter qui partem cujuscumque digiti sui volens sibi abscidit.

Præterea, de impedimento ex homicidio proveniente sciendum, quod quoddam est homicidium simpliciter voluntarium, quoddam simpliciter non voluntarium, quoddam simpliciter involuntarium, et quoddam partim voluntarium, partim involuntarium. Homicidium simpliciter voluntarium impedit cujuslibet ordinis susceptionem de jure, imo et ministrationem in ordine suscepto. Homicidium non voluntarium est, dum quis carens usu rationis occidit hominem : et si non per culpam suam incidit in illam carentiam, non incurrit irregularitatem, secundum quosdam ; alii tamen dicunt contrarium. Homicidium involuntarium est, quum quis volens non occidere, occidit : ut si quis vertat gladium contra volentem invadere ipsum, et ille ex impetu iræ irruat in gladium : et tale homicidium irregularitatem non inducit. Homicidium partim voluntarium, partimque involuntarium est, dum quis non volens occidere, occidit invadentem se ne occidatur ab illo : et talis fit irregularis. Similiter qui casu occidit, si non adhibuit diligentiam debitam ad cavendum. Cum talibus tamen poterit dispensari. — Hæc Richardus.

At vero Bonaventura addit de impedimento bigamiæ : Sacramentum (inquiens) Ordinis super alia sacramenta abundat in ratione significandi, quia non solum id quod exterius adhibetur suscipienti, significat aliquid, imo et ipse suscipiens signum est. Episcopus etenim ordinans, sacerdos quoque ordinatus, significat Christum. Quæ duplex significatio etiam Matrimonio competit, quoniam vir significat Christum, uxor Ecclesiam. Quum ergo de significatione primaria Ordinis est, quod ordinatus significet Christum ut sponsum Ecclesiæ, quod bigamus significare non valet, qui habuit uxorem viduam, aut duas

uxores, quoniam Ecclesia unicum habet sponsum, et Christus unicam sponsam ; bigamus admitti non debet ad ordines, potissime sacros, in quibus homo Christum expresse designat. Idcirco in istis ordinibus nunquam legitur dispensatum, nec dispensari debet : non quod de facto bigamus non ordinetur si accedat, sed quia perfectio sacramenti deest in ipso, quæ nulla ratione potest suppleri per hominem, nec recompensari. In inferioribus tamen ordinibus necessitas dispensationem ad- A mittit. — Divisio vero carnis per fornicationem non impedit: non enim significat divisionem Christi atque Ecclesiæ. Insuper, qui desponsat et cognoscit corruptam ab alio, bigamus judicatur, quoniam non est unicus unicæ : nam illa non est unica. Majorem quoque oportet significari unitatem ex parte uxoris quam viri : quia Ecclesia non fuit copulata nisi Christo, nec matrimonialiter, nec alio modo; Christus autem copulatus fuit etiam Synagogæ, quamvis non indissolubiliter. Hæc Bonaventura.

DISTINCTIO XXVI

A. *De sacramento Conjugii, cujus institutio et causa ostenditur.*

QUUM alia sacramenta post peccatum et propter peccatum exordium sumpserint, Matrimonii sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum a Domino; non tamen ad remedium, sed ad officium. Refert enim scriptura Geneseos, in Adam misso sopore, atque una de costis ejus sumpta, et exinde muliere formata, virum in spiritu intelligentem ad quem usum mulier facta esset, post ecstasim prophetice dixisse : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.

Hugo, de Sacram. lib. II, p. XI, c. 1. Ibid. c. 2. *Gen.* II. 21-24.

B. *De duplici institutione conjugii.*

Conjugii autem institutio duplex est : una ante peccatum ad officium facta est in paradiso, ubi esset torus immaculatus et nuptiæ honorabiles, ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent; altera post peccatum ad remedium facta extra paradisum, propter illicitum motum devitandum. Prima, ut natura multiplicaretur; secunda, ut natura exciperetur, et vitium cohiberetur. Nam et ante peccatum dixit Deus : Crescite et multiplicamini; et post peccatum, omnibus pene hominibus per diluvium consumptis, dixit idem. Quod vero ante peccatum institutum fuerit conjugium ad officium, post peccatum vero ad remedium concessum, Augustinus testatur dicens : Quod sanis est * ad officium, ægrotis est ad remedium. Infirmitas enim incontinentiæ, quæ est in carne per peccatum mortua, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum. Si vero non peccassent primi homines, sine carnis incentivo ac fervore libidinis ipsi ac successores eorum conve-

Hugo. op. cit. c. 3. *Hebr.* XIII, 4. *Gen.* I, 28. *Ibid.* IX, 1. * *alias* esset. Aug. de Genesi ad litt. lib. IX, n. 12.

nirent; et sicut remunerabile est aliquod bonum opus, sic coitus eorum bonus esset et remunerabilis. Quia vero propter peccatum, letalis concupiscentiæ lex membris nostris inhæsit, sine qua carnalis non fit commixtio, reprehensibilis est et malus coitus, nisi excusetur per bona conjugii.

C. *Quando secundum præceptum, quando secundum indulgentiam contractum sit conjugium.*

Prima institutio habuit præceptum, secunda indulgentiam. Didicimus enim ab
I Cor. VII, 6. Apostolo, humano generi propter vitandam fornicationem indultum esse conjugium. Indulgentia vero, quia meliora non eligit, remedium habet, non præmium : a quo si quis declinaverit, meretur exitiale judicium. Quod secundum indulgentiam conceditur, voluntarium est, non necessarium : alioqui transgressor esset qui illud non faceret. Et potest sane intelligi, illud sub præcepto dictum hominibus primis ante
Gen. I, 28. peccatum, Crescite et multiplicamini : quo etiam post peccatum tenebantur, usquequo est facta multiplicatio, post quam secundum indulgentiam matrimonii contractus fuit. Ita etiam post diluvium, quo universum pene humanum genus deletum est,
Ibid. IX, 1. secundum præceptum dictum est filiis Noe, Crescite et multiplicamini. Multiplicato vero homine, secundum indulgentiam contractum est, non secundum imperium.

D. *Quibus modis accipiatur indulgentia.*

Indulgentia autem diversis modis accipitur, scilicet : pro concessione, pro remissione, pro permissione. Et est permissio in novo Testamento de minoribus bonis, et de minoribus malis. De minoribus bonis est conjugium, quod non meretur palmam, sed est in remedium. De minoribus malis, id est de venialibus, est coitus qui fit causa incontinentiæ. Illud, scilicet conjugium, indulgetur, id est, conceditur; illud vero, id est coitus talis, permittitur, id est, toleratur, ita quod non prohibetur.

E. *Quod nuptiæ sint bonæ.*

Aug. de Hæres. c. 25. Fuerunt autem nonnulli hæretici nuptias detestantes, qui Tatiani appellati sunt. Hi nuptias omnino damnant, ac pares fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt,
Hugo. Summa Sent. tract. VII, c. 2. nec recipiunt in suorum numero conjugio utentem marem vel feminam. Quod autem res bona sit conjugium, non modo ex eo probatur, quod Dominus legitur conjugium
Gen. II, 24. instituisse inter primos parentes, sed etiam quod in Cana Galilææ nuptiis interfuit
Joann. II, 2 et seq. Christus, easque miraculo confirmavit et commendavit, aqua in vinum conversa.
Matth. V, 32. Qui etiam postea virum dimittere uxorem prohibuit, nisi causa fornicationis. Apo-
I Cor. VII, 36. stolus etiam ait : Virgo non peccat si nubat. Constat ergo rem bonam esse matrimonium : alioqui non esset sacramentum. Sacramentum enim sacrum signum est.

F. *Cujus rei sacramentum sit conjugium.*

Quum ergo conjugium sacramentum sit, et sacrum signum est, et sacræ rei, scilicet conjunctionis Christi et Ecclesiæ, sicut ait Apostolus : Scriptum est, inquit, Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Ut enim inter conjuges conjunctio est secundum consensum animorum et secundum permixtionem corporum, sic Ecclesia Christo copulatur voluntate et natura, quia idem vult cum eo, et ipse formam sumpsit de natura hominis. Copulata est ergo sponsa sponso spiritualiter et corporaliter, id est caritate ac conformitate naturæ. Hujus utriusque copulæ figura est in conjugio. Consensus enim conjugum copulam spiritualem Christi et Ecclesiæ, quæ fit per caritatem, significat ; commixtio vero sexuum illam significat quæ fit per naturæ conformitatem. Hugo, de Sacram. lib. II. p. XI, c. 3. *Ephes.* V, 31, 32.

G. *Qualiter intelligendum sit illud, Mulier illa non pertinet ad matrimonium, cum qua non est commixtio sexuum.*

Inde est quod quidam doctorum dixerunt, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, quæ non experitur carnalem copulam. Ait enim Augustinus : Non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexus. Item Leo Papa : Quum societas nuptiarum ita a principio sit instituta, ut præter commixtionem sexuum non habeat in se Christi et Ecclesiæ sacramentum, non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur non fuisse nuptiale mysterium. Item Augustinus : Non est perfectum conjugium sine commixtione sexuum. Hoc si secundum superficiem verborum quis acceperit, inducitur in errorem tantum, ut dicat sine carnali copula non posse contrahi matrimonium, et inter Mariam et Joseph non fuisse conjugium, vel non fuisse perfectum : quod nefas est sentire. Tanto enim sanctius fuit atque perfectius, quanto a carnali opere immunius. Sed superius posita, ea ratione dicta intelligendum est, non quin pertineat mulier illa ad matrimonium, cum qua non est permixtio sexuum ; sed non pertinet ad matrimonium quod expressam et plenam tenet figuram conjunctionis Christi et Ecclesiæ. Figurat enim illa unionem Christi et Ecclesiæ quæ est in caritate, sed non illam quæ est in naturæ conformitate. Est ergo et in illo matrimonio typus conjunctionis Christi et Ecclesiæ, sed illius tantum qua Ecclesia Christo caritate unitur, non illius qua per susceptionem carnis capiti membra uniuntur. Nec ideo tamen minus sanctum est conjugium : quia ut ait Augustinus, in nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fecunditas ventris. Est etiam conjugium signum spiritualis conjunctionis et dilectionis animorum qua inter se conjuges uniri debent. Unde Apostolus ait : Viri, diligite uxores vestras ut corpora vestra. Decret. p. II. caus. 27, q. 2, c. 16. Ibid. c. 17. Aug. Soliloq. lib. I, n. 17. Id. de Bono conjug. n. 21. *Ephes.* V, 25, 28.

SUMMA

DISTINCTIONIS VICESIMÆ SEXTÆ

TRACTANDO de septem ecclesiasticis sacramentis, primo tractavit Magister de Baptismo, per quem fit spiritualis fidelium generatio ; nunc ultimo tractat de matrimonio, per quod fit generatio corporalis : quæ quamvis secundum viam generationis et quantum ad esse naturæ sit prior, tamen secundum viam perfectionis est posterior. Primo igitur tractat de matrimonio quantum ad ejus institutionem ac distinctionem ab aliis sacramentis; deinde de causa ejus finali ac duplicitate, quoniam est in officium naturæ, atque in remedium culpæ; consequenter tractat de matrimonii necessitate et permissione, hoc est, qualiter sit in præcepto, et qualiter non. Postea, circa hæc excludit errorem, id est hæreticorum quorumdam insaniam, dicentium nuptias esse malas, et conjugium vitiosum, non divinitus institutum; ac ultimo pandit quomodo conjugium sit sacramentum.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **Utrum conjugium sit opus naturale ac licitum, et etiam actus virtutis, ita ut exerceri possit sine peccato.**

Videtur quod non sit naturale, quia si sic, abstinere ab eo esset innaturale, et per consequens vituperabile. — Rursus, naturalia uniformiter et eodem modo apud omnes consistunt : quod in conjugio non videmus.

Hinc quoque apparet quod non cadat sub præcepto, quia peccatum non est nisi violatio præceptorum, et ita non nubere esset transgressio, quum tamen dicat Apo-
I Cor. VII, 38. stolus : Qui non jungit virginem suam matrimonio, melius facit. — Insuper, quod A sine peccato exerceri non valet, sub præcepto non cadit : alias homo obligaretur ad culpam. Actus autem matrimonialis sine peccato exerceri non potest, ut Innocentius Papa, et Alexander ac alii multi sensisse videntur. Et in Psalmo innuitur : Ecce in iniquitatibus conceptus sum. — Ps. L, 7.
Nec sine libidine et indecentia agitur.

In contrarium sunt quæ habentur in textu.

Ad hæc Thomas respondet : Aliquid dicitur naturale dupliciter. B Primo, quoniam ex principiis naturæ ex necessitate causatur, ut motus deorsum in gravibus : et ita nec matrimonium nec quidquam eorum quæ mediante libero arbitrio fiunt, est naturale. Secundo, quia natura ad illud inclinat, sed libero arbitrio mediante completur, quemadmodum actus virtutum dicuntur naturales : sicque matrimonium est naturale. Nam ratio naturalis inclinat ad ipsum dupliciter. Primo, quantum ad principalem ejus finem, qui est bonum prolis. Non C enim natura solum intendit prolis generationem, sed etiam educationem et provectionem ad statum perfectum, qui est status prudentiæ ac virtutum. Unde secundum Philosophum, tria a parentibus proles sortitur, quæ sunt : esse, et nutrimentum, ac disciplina. Nec proles a parentibus educari posset ac instrui, nisi determinatos ac certos haberet parentes; nec hoc esset, nisi obligatio aliqua esset unius viri ad certam mulierem : quod matrimonium facit. Secundo, quantum ad secundarium matrimo- D nii finem, qui est mutuum obsequium sibi a conjugibus in rebus domesticis impensum. Quemadmodum enim naturalis ratio dictat, ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus quæ ad vitam pertinent, ratione cujus dicitur homo naturaliter politicus; ita eorum quibus indigetur ad vitam humanam, quædam opera sunt competentia viris, quædam mulieribus. Hinc natura movet ad hoc, ut sit associatio quædam viri ad mulierem, in qua matrimonium consistit. Et has duas

causas assignat Philosophus octavo Ethicorum.

Denique natura hominis inclinat ad aliquid dupliciter. Primo, quia est conveniens naturæ generis : et hoc omnibus animalibus est commune. Secundo, quia conveniens est naturæ ratione differentiæ suæ, in quantum videlicet est rationalis. Et sicut natura generis quamvis sit una, non tamen eodem modo est in omnibus speciebus, ita etiam non eodem modo inclinat in omnibus, sed secundum quod unicuique competit. Ad matrimonium ergo inclinat natura hominis in quantum rationalis, quantum ad secundam rationem prætactam: propter quod Philosophus hanc rationem assignat hominibus præ animalibus aliis. Sed quantum ad primam rationem, inclinat ex parte generis : propter quod ait, quod filiorum procreatio omnibus animalibus est communis. Non tamen inclinat ad hoc in animalibus cunctis eodem modo. Etenim quorumdam animalium fetus, mox ut nati sunt, sufficiunt sibi quærere victum, vel ad sustentationem eorum sola sufficit mater : et in his non est aliqua determinatio masculi ad feminam. Porro in illis in quibus filii indigent utriusque sustentatione parentis, tamen ad breve tempus, invenitur aliqua determinatio quantum ad tempus illud, ut in aliquibus avibus. Verum quum filii hominum indigeant cura parentum ad magnum tempus, est determinatio masculi ad feminam maxima, ad quam etiam generis natura inclinat. Sed quum natura hominis non sit immobilis sicut divina : hinc et ea quæ sunt de jure naturali, diversificantur in hominibus secundum diversos eorum status et conditiones; quamvis ea quæ in rebus divinis naturaliter sunt, nullatenus varientur. — Ex his patet solutio ad objecta circa primum quæsitum.

Si autem quæratur, an matrimonium adhuc in præcepto sit; dicendum, quod natura dupliciter inclinat ad aliquid. Primo, sicut ad id quod necessarium est ad consistentiam cujuscumque particularis personæ; et obligatio ad hoc, spectat ad quemlibet illius naturæ, sicut est manducare. Secundo, sicut ad id quod necessarium est ad multitudinis statum, ad quam pertinent multa quorum interdum unum impedit aliud : et ad talia non tenetur quilibet homo per modum præcepti, alias unusquisque teneretur ad agriculturam aut ædificaturam; atque in talibus satisfit inclinationi naturæ, dum unus exercet istud, alius aliud : et tale est generare. Ideo non obligatur unusquisque ad statum conjugalem, sed expedit quosdam spirituali et contemplativæ vitæ vacare, a qua valde impediunt occupationes et curæ, voluptates et onera vitæ matrimonialis. Unde Theophrastus probat, quod sapienti non expedit nubere.

Restat quærendum, an actus matrimonialis seu carnalis copula conjugalis, possit esse licitus, virtuosus ac meritorius. Et dicendum, quod supposito quod corporalis natura a vero et bono Deo sit instituta, impossibile est dicere, quod ea quæ pertinent ac necessario requiruntur ad conservationem corporalis naturæ ac speciei humanæ, atque ad quæ natura inclinat, sint universaliter mala. Quumque inclinatio naturæ sit ad prolis propagationem, per quam natura speciei conservatur; impossibile est dicere, quod actus quo proles procreatur, sit universaliter illicitus, ita ut in eo medium virtutis inveniri non possit: nisi ponatur secundum Manichæorum vesaniam, quod corporalia sint creata a principio tenebrarum, quod est hæresis pessima. — Nec obstat, quod copulæ carnalis voluptas impedit actum contemplationis in tantum, ut dicat septimo Ethicorum Philosophus, quod impossibile sit in actu hujusmodi voluptatis intelligere aliquid, quoniam actus rationis omnino tunc absorbetur. Nam etsi impediat actualem mentis cum Deo conjunctionem, non tamen habitualem; nec mens tenetur semper ad actualem cum Deo unionem. Verumtamen secundum Hieronymum, Spiritus Sanctus non tetigit mentes Prophetarum in hujus-

cemodi actu : unde et sacerdotibus prohibebatur tempore ministerii eorumdem, ministris quoque et sacerdotibus evangelicæ legis semper. — Turpitudo demum concupiscentiæ actum illum concomitans, non est turpitudo culpæ, sed pœnæ, ex originali peccato proveniens, ut scilicet vires inferiores et corporis membra non obediant rationi.

Præterea, quum nullus actus ex deliberata voluntate procedens (ut patuit super *Cf.* dist. XL, q. 3. secundum) sit indifferens, oportet ut actus matrimonialis sit meritorius, vel demeritorius. Si enim ad hunc actum inducat virtus justitiæ, ut contorali debitum reddatur, vel virtus religionis, ut proles ad Dei obsequium procreetur, meritorius est. Si autem moveat libido intra bona matrimonii sistens, ut scilicet nullo modo ad aliam personam accedere velit, peccatum est veniale. Si vero extra bona matrimonii efferatur, ita quod cum alia idem facere vellet, sic esset mortale. Natura autem non potest ita movere, quin vel ordinetur ratione, vel non ordinetur : et si ordinetur, est motus virtutis; si non ordinetur, est motus libidinis. — Nec obstat, quod super Matthæum ait Chrysostomus : Matrimonium etsi utentibus se pœnam non infert, mercedem tamen non præstat. Hoc enim accipit quantum ad hoc quod difficultatem non habet, ratione cujus est aliquid meritorium præmii accidentalis. Verumtamen in quantum ex caritate jubetur et exercetur, meritorius est præmii substantialis. Difficultas quoque laboris requiritur ad meritum præmii accidentalis; ad meritum vero præmii essentialis, requiritur difficultas consistens in ordinatione medii : et hoc etiam est in actu matrimoniali. — Nec iterum obest prædictis, quod ait Apostolus : 1 *Cor.* VII, 6. Hoc dico secundum indulgentiam. Indulgentia quippe quandoque est de malis minoribus : et sic indulgetur actus matrimonii, prout ad ipsum movet libido intra terminos matrimonii consistens : sic enim est veniale peccatum. Sed prout ad ipsum movet virtus, non habet indulgentiam, nisi

A secundum quod indulgentia est de minoribus bonis, quæ idem est quod concessio. — Nec oportet quod in actu matrimoniali sit primus motus secundum quod primus motus dicitur veniale peccatum, quoniam ille motus est actus seu motus appetitus sensitivi in aliquod inordinatum, quod non est semper in matrimonii actu. — Hæc Thomas in Scripto.

Quibus per omnia Petrus concordat; tamen quomodo matrimonium fuit in præcepto, aliter determinat, sicut patebit. Nam B et quæstiones istæ, an actus matrimonii sit licitus et virtuosus ac meritorius, moventur infra, distinctione tricesima prima, ab aliis.

Richardus etiam consonat præinductis, atque ad quæstionem hanc, utrum copula carnalis fuerit in præcepto etiam post originale peccatum, respondet : Matrimonium post peccatum fuit in officium et in remedium. Quoad primum fuit in præcepto etiam post peccatum, quousque facta fuit sufficiens multiplicatio hominum ad cul- C tum divinum, ita quod tot fuerunt vacantes operi illi, quod melius erat quosdam manere in castitate virginali aut viduali, quam omnes copulæ matrimoniali intendere. Sed quantum ad secundum nunquam fuit in præcepto, quoniam morbum carnalis concupiscentiæ potest homo efficacius curare, moderari, reprimere per exercitia meditationum et spiritualium affectionum, degustationem cœlestium consolationum, macerationemque corporis : quia (ut sanctus ait Bernardus) gustato spiritu, D necesse est desipere carnem ; affectanti cœlestia, terrena non sapiunt ; inhianti æternis, fastidio sunt transitoria. Hæc Richardus.

Qui etiam quærit hic, utrum copula matrimonialis fuit in præcepto ante peccatum : de qua quæstione dictum est satis super secundum, et de præceptis tunc homini datis. dist. XX, q. 1. Post lapsum vero non tenetur unusquisque ad actum matrimonialem, sicut nec ad matrimonium : imo et conjugati ex communi consensu possunt nunc peni-

tus continere desiderio perfectionis majoris, multiplicato nunc genere humano.

Insuper Antisiodorensis : Jus (inquit) naturale quoddam est speciale, quoddam universalius, quoddam universalissimum. Hoc autem est universalissimum, quod est in omnibus rebus, utpote concordia seu consonantia, seu proportio omnium rerum. De tali jure loquitur Plato in primo Timæi. Nam unum elementum non potest sine alio esse. Propter quod asserit Augustinus : Judicium divinæ largitatis est, quod quælibet creatura compellitur dare se ipsam, id est, communicare se alteri, seu ad bonum universi conferre, vel aliis modo aliquo deservire. Jus naturale universalius est, quod omnia animalia respicit. Jus naturale speciale est, quod naturalis ratio dictat : et de tali jure est matrimonium. Quoddam tamen matrimonium est de jure universaliori, puta conjunctio maris et feminæ. Fidelitas vero quam vir debet uxori, est de jure speciali : unde unam esse unius, est de jure naturali speciali. — Denique videtur quod una mulier per dispensationem potuit habere plures viros, quia si propter multiplicandum populum Dei, dispensatum est aliquando cum viro ut haberet plures, eadem ratione dispensari potuit cum muliere ut plures haberet, quando ille quem habebat, non poterat generare vel propter frigiditatem vel propter aliam causam, et mulier voluit fieri mater, ne subjaceret maledicto legis. Ad hoc dicimus, quod non est simile de viro et muliere, propter multas causas, quas assignat Augustinus in libro de Bonis conjugii. Prima est dignitas sexus. Secunda est ordo pacificus dominii. Tertia est fecunditas, quia unus vir plus potest fecundare quam tres mulieres vel quatuor possunt parere. Quarta causa est propter sacramentum. Hæc Antisiodorensis in Summa, libro quarto : de quibus infra magis dicetur.

Præterea Guillelmus in suo Sacramentali : Matrimonium, ait, est sancta et sanctificativa atque perfecta societas maris ac

A feminæ in genere humano, seu vinculum faciens eos debitores hujusmodi societatis. Siquidem natura humana tanquam arbor nobilissima, et Dei agricolantis plantatio pretiosissima, velut ex duobus ramis, mare et femina constat : cujus indicium est vis generativa quæ ambobus his ramis simul est indita, in neutro eorum perfecta, imo partem sui habens in uno, et partem in altero, quemadmodum et semen generationis humanæ ex neutro eorum totaliter est. Neque figura membrorum geni-

B talium certum indicium est aut testimonium masculinitatis aut feminitatis, quum in quodam genere animalium, mas semen recipiat et membrum femineum genitale tantum habeat, id est portam et matricem, femina vero econtrario masculina tantum habeat membra. Indicium horum certissimum est ipse fructus, id est proles, quæ non potest esse nisi duorum. Fructus autem et arbor quasi correlative dicuntur ad invicem. Nec accidit unquam ut unus numero fructus diversarum sit arborum. —

C Hinc necesse est adunationem maris et feminæ esse sanctam seu consecratam et socialem, ad conservandum, educandum et instruendum. Perit quippe fructificatio per sodomiam et publicam prostitutionem. Et quamvis fructus nascatur præter vinculum conjugale, tamen perit ex toto aut parte, dum non est qui custodiat, enutriat, curet atque salubria proli provideat. Hæc Guillelmus, qui ista prolixe prosequitur.

Denique præinductis consonant scripta Alberti, Bonaventuræ, Argentinensis, Du-

D randi et aliorum, etiam de eo quod dictum est, actum matrimonialem posse fieri sine peccato; de hoc tamen infra, distinctione tricesima prima, diffusius est dicendum.

QUÆSTIO II

Consequenter quæritur, **An matrimonium sit sacramentum novæ legis, et divinitus institutum ante**

peccatum, ac gratiæ collativum, et quid sit in re.

Videtur quod non sit sacramentum evangelicæ legis, quoniam sacramenta evangelicæ legis simul cum ipsa lege inceperunt; sed matrimonium fuit in lege naturali ac scripta. — Secundo, omnia sacramenta novi Testamenti efficaciam sortiuntur a Christi passione : quod non convenit matrimonio, quoniam Christi passionem diu præcessit. — Tertio, sæpe jam habitum est, quod sacramenta evangelicæ legis sunt medicinalia vasa, contra morbum et læsionem peccati instituta. Matrimonium autem præcessit omne peccatum in genere humano commissum.

Cf. dist. II, q. 3.

dist. II, q. I.

Et si est sacramentum, quæritur quid sit ejus materia, quid forma, quis ejus minister, et item quid sit in eo sacramentum tantum, quid res et sacramentum, et quid res tantum, et qualiter conferat gratiam : hæc etenim condependent. Ex quibus patebit an characterem imprimat.

Ad hæc Bonaventura respondet : Sicut in aliis sacramentis est aliquid quod est signum tantum, aliquid quod est res tantum, et aliquid quod est res et signum; ita in matrimonio. Differentia tamen est in modo significandi, et ordine comparandi. Nam quædam sacramenta sunt totaliter ab institutione; quædam partim a naturæ dictamine, partim ab institutione. Illa sunt totaliter ab institutione, quorum usus respicit ea quæ sunt fidei puræ, ut Baptismus et Eucharistia; et ista habent signa significantia secundum institutionem, interius atque exterius : ideo habent elementa convenientia instituta, exteriusque adhibita. Et in talibus etiam verum est, quod signa ista eminentiora* fiunt secundum appropinquationem veritatis; et in talibus verum est, quod primum signum est causa secundi, et secundum quodammodo tertii, ut patet in Baptismo. Sunt et alia quæ partim ab instinctu naturæ sunt, ut Matrimonium (et Pœnitentia), partim a fide, secundum quod illa conjunctio significat

* evidentiora

A conjunctionem Dei et animæ; et talia suam primam institutionem habuerunt in paradiso, matrimonium autem magis aperte. Quumque matrimonium sit quodammodo a natura et in statu innocentiæ, in quo non debuit homo subjici elemento; ideo non fit in elemento extra sensibili. Habet tamen exterius signum, quod significat interiorem conjunctionem per naturam suæ significationis, sicut verbum vel nutus; et aliud additur, quod naturaliter significat consensum animorum interiorem, scilicet B copula carnalis, secundum quod significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, seu Dei et animæ : et hoc est secundum fidem et institutionem. Ad hoc enim est habile per naturam et significat per institutionem, videlicet, quia unus est mas et significat Christum, alius est femina et significat animam.

Unde patet quid sit hic signum, quoniam primo et principaliter est verbum vel nutus, in quo exprimitur consensus; et ut annexum, est distinctio sexuum. Patet quoque, C quare non habet elementum ut alia sacramenta; et quare signum non crevit in eminentia*, quia non fuit omnino secundum institutionem : ideo incommutabile est quantum ad ipsum significandum. Augmentum tamen est in evidentia significandi, quoniam certius scitur nunc quid significat matrimonium quam ante. — Unum quoque est ibi signatum principale, puta conjunctio Christi atque Ecclesiæ. Quumque conjunctio ista sit duplex, una per caritatem, alia per naturæ conformitatem; D ideo dupliciter in hoc sacramento significatur : prima per consensum animorum; secunda per commixtionem sexuum, ut dicit Magister.

* evidentia

Insuper de institutione matrimonii est dicendum, quod institutio respicit usum. Quumque usus matrimonii sit in officium et in remedium, usus vero aliorum sacramentorum sit in remedium tantum; ideo matrimonii usus non convenit solum infirmis, sed etiam sanis. Hinc duplex est institutio ejus : una ante lapsum, in officium

naturæ multiplicandæ; alia post lapsum, in remedium culpæ vitandæ. Est namque usus matrimonii in remedium contra ignorantiam, dum erudit in quantum signum; et in remedium contra concupiscentiam, dum illam refrenat in quantum medicamentum. Conformiter, ejus officium fuit quantum ad duas operationes potentiarum. Et quantum ad actum cognitivæ, ut homo videret exterius in creatura conjunctionem quam intelligebat interius : non (inquam) ut erudiretur, sed ut videndo materialiter quod sciebat, oblectaretur. Similiter, quantum ad actum generativæ fuit in officium, ut quia per se homo, videlicet vir, non potuit speciem conservare, adjuncta socia, in actum conservationis posset prodire.

Denique si quæratur, a quo fuerit sacramentum hoc institutum; dicendum quod a Deo, sicut ait Salvator, Quos Deus conjunxit, homo non separet. (*Matth.* XIX, 6.) Sed sciendum, quod quædam sunt sacramenta quæ sunt puræ fidei, ut Baptismus et Confirmatio, et consimilia quædam. Alia non solum sunt fidei dictaminis, sed et naturalis, ut Pœnitentia et Matrimonium : non tamen sunt penitus de dictamine naturalis juris ac rationis, nisi veniat illustratio desuper. Prima Deus instituit, mandando; secunda, interius illustrando : sicque instituit Matrimonium. Non enim præcepit Adæ ut Evam duceret in uxorem, sed illustravit eum interius, ut intelligeret eam sibi datam conjugem, et omnibus posteris per liberum consensum uxores illo modo conjungi debere. Hinc Adam sic illustratus, dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis. (*Gen.* II, 23.) Imo, sicut in littera ait Magister, prophetice est locutus : unde non dixit hoc verbum a semetipso, sed a Deo. Ideo institutio hujus sacramenti est a Deo per hominem. — Instituit demum Dominus hoc sacramentum quantum ad formam atque materiam, secundum quod illi tempori congruebat, excipiendo solum patrem et matrem. Et quoniam aliæ personæ secundum diversa tempora debebant congruere institutioni, de legitimitate

A personarum reliquit Ecclesiæ dispensandum : ideo circa hoc dispensat Ecclesia. — Sed quum matrimonium contrahatur per humanum mutuumque consensum, videtur esse humanus contractus, et ab hominibus institutus, et non ecclesiasticum sacramentum desuper ordinatum. Et respondendum, quod in matrimonio sunt duo. Primum est obligatio mutua : et hoc hominum est, et quasi humanus contractus. Secundum est indissolubilitas mutuæ obligationis : et hoc est Dei instituentis;

B atque ex illo matrimonium rationem sacramenti sortitur.

Insuper quidam dixerunt, quod sacramentum istud non conferat gratiam; et ad auctoritatem dicentium sacramenta novæ legis gratiam dare, dixerunt hoc esse intelligendum de sacramentis in nova lege institutis. (*Cf.* dist. I, q. 4.) Et ita non esset remedium per efficaciam, sed per indulgentiam; nec concupiscentiam minueret simpliciter et secundum habitum, sed secundum indulgentiam et secundum actum, ita ut non urat,

C juxta illud Pauli : Melius est nubere quam uri. (I *Cor.* VII, 9.) — Alii dicunt, quod gratia datur in Matrimonio ratione benedictionis, quia ad benedictionem sacerdotis Deus nubentibus benedicit. Sed hoc non valet, quoniam benedictio illa est aliquod sacramentale; sacramentum autem efficacius est ad dandum gratiam quam sacramentale. Benedictio quoque non datur nisi in primis nuptiis. — Est ergo positio tertia verior, quod suscipientibus digne hoc sacramentum, datur remedium excusans coitum, et faciens

D non esse peccatum, aut veniale solum, quod alias esset mortale : quod esse potest sine dono gratiæ novæ, et hoc habuit matrimonium statim post lapsum. Verum nunc tempore evangelicæ legis, non solum confert istud remedium, sed etiam aliquid gratiæ his qui digne illud suscipiunt, utpote qui ex caritatis consensu uniuntur ad procreandum prolem ad cultum divinum. Nam ratione expressionis consensus in individuam consuetudinem vitæ, et ratione benedictionis Ecclesiæ, cujus est debite

sacramenta tractare, sublevatur anima a (A) corruptione concupiscentiæ inordinatæ, et datur gratia ad copulam singularem, ad copulam utilem, et ad copulam inseparabilem. Ex qua gratia fit remedium contra triplicem concupiscentiæ inordinationem, et nascitur triplex Matrimonii bonum. Concupiscentia namque inclinat ad multas, quoniam luxuriosus non est una contentus : hinc in Matrimonio datur homini gratia ut soli contorali velit conjungi ; sicque excluditur inordinatio illa per copulam singularem, id est unius tantum ad (B) unam. Rursus, concupiscentia inclinat ad delectationem, non ad utilitatem : luxuriosus quippe non quærit nisi satisfacere libidini suæ. Et contra hoc datur in Matrimonio gratia ut non cognoscant se invicem nisi propter prolem ; sicque excluditur secunda inordinatio ista per copulam utilem. Iterum, concupiscentia fastidium generat post expletionem : unde luxuriosus postquam cognovit unam, respuit illam et vadit ad aliam. Hinc in Matrimonio datur gratia qua velit semper esse cum una ; (C) sicque excluditur hæc inordinatio tertia per copulam inseparabilem. Itaque, ex copula singulari oritur bonum fidei, ut ad aliam non accedat; ex copula utili, bonum prolis; ex copula inseparabili, bonum sacramenti.

Præterea quæritur, utrum carnalis commixtio sit de integritate sacramenti. Et respondendum, quod integritas rei dupliciter sumitur : primo, quantum ad esse necessitatis ; secundo, quantum ad esse completionis. Primo modo non est illa commixtio (D) de integritate Matrimonii, quia sine illa est quidditas seu essentia Matrimonii, verumque sacramentum ; secundo modo est de integritate ipsius. In Matrimonio enim considerantur hæc tria : signum, officium, remedium. Quantum ad signum, duplex est Matrimonii significatio : significat namque conjunctionem Christi atque Ecclesiæ per caritatem, et item conjunctionem per naturæ conformitatem. Rursus duplex est ejus officium : unum, mutuæ educationis ac fomenti ; aliud, procreatio prolis. Duplex est etiam ejus remedium : unum contra concupiscentiæ defluxionem, ne per alias evagetur ; aliud contra inordinationem, ut non libidine, sed desiderio prolis, aut maritali affectu commisceatur. Primum significatum et primum officium et primum remedium sunt in sacramento Matrimonii quantum ad conjunctionem animorum ; secundum autem, solum quantum ad corporum unionem. Sic et primum est de substantia Matrimonii, quantum ad necessitatem ipsius esse ; secundum vero quoad plenitudinem ejus. — Hæc Bonaventura in Scripto, qui et in Breviloquio compendiose scribit de his. Verum omnia ibi prolata, in jam dictis moxque dicendis plenarie continentur.

At vero Thomas his consonans : Sacramentum, inquit, importat remedium aliquod sanctitatis, adhibitum homini contra peccatum per sensibilia signa : quod quum conveniat Matrimonio, certum est quod sit sacramentum. Et verba de præsenti quibus matrimonialis consensus exprimitur, sunt forma sacramenti istius, non benedictio sacerdotis. Et sicut Pœnitentia non habet aliam materiam nisi actus sensui subjectos, qui sunt ei loco materialis elementi, ita est de Matrimonio : in quo actus illi exteriores, sunt signum seu sacramentum tantum ; res vero et sacramentum, est obligatio perpetua inter conjugatos ex actibus illis nascens ; res autem ultima contenta, est effectus seu gratia sacramenti istius ; res quoque non contenta, sed significata, est unio Christi ad Ecclesiam, quam rem non efficit, sed solum significat.

Insuper matrimonium institui debuit ante primorum lapsum parentum. Natura namque inclinat ad matrimonium, intendens ex ipso aliquod bonum, quod secundum diversos status hominum variatur : hinc oportuit bonum illud diversimode institui in diversis hominum statibus. Ideo matrimonium secundum quod ordinatur ad prolis procreationem, quæ necessaria fuit etiam non exsistente peccato, institu-

tum fuit ante peccatum; sed prout reme- A
dium præbet contra vulnus peccati, insti-
tutum est post peccatum, tempore legis
naturæ; penes determinationem vero per-
sonarum, institutionem habuit in lege Moy-
sis; secundum vero quod repræsentat my-
sterium conjunctionis Christi et Ecclesiæ,
institutionem in nova habuit lege, sicque
est sacramentum evangelicæ legis; verum
quoad alias utilitates quæ ex matrimonio
consequuntur, ut sunt amicitia et mutuum
obsequium conjugatorum, etc., institutio-
nem habuit in lege civili. Quumque de ra- B
tione sacramenti sit, quod sit signum et
remedium : ideo quantum ad medias in-
stitutiones competit ei ratio sacramenti;
et quoad primam institutionem, convenit
ei quod sit in naturæ officium; et quoad
ultimam, quod sit in officium civilitatis.
Est quoque principaliter in officium natu-
ræ, et institutum est ante peccatum a Deo,
in hoc quod primo homini formavit mu-
Gen. I, 28. lierem ex costa illius, et dixit, Crescite et
multiplicamini, etc.: quod quamvis et aliis
animalibus dixerit, non tamen implendum C
per ea eo modo sicut per homines. — Hæc
Thomas.

Qui respondendo ad hoc, an Matrimo-
nium conferat gratiam, recitat opiniones
p. 65 B'. quæ ex Bonaventura narratæ sunt, consen-
tiens tertiæ, utpote, quod matrimonium in
quantum in fide Christi contrahitur, habet
ut conferat gratiam adjuvantem ad illa
operanda quæ in matrimonio requiruntur.
Ubicumque enim divinitus datur aliqua
facultas, dantur et auxilia per quæ homo
convenienter uti valeat illa facultate : D
quemadmodum potentiis animæ correspon-
dent propria membra seu organa quibus
exire queant in actus. Quumque in matri-
monio detur homini ex institutione divina
facultas utendi sua uxore ad prolis pro-
creationem educandæ ad Dei servitutem,
datur etiam ei gratia sine qua id con-
venienter exsequi nequit : et hæc gratia
data, est ultima res in hoc sacramento con-
Cf. t. XXIV, tenta, et instrumentaliter ab ipso causata,
p. 58 A. principaliter vero a Deo. Nempe actus illi
contrahentium exteriores, et verba consen-
sum mutuum exprimentia, directe faciunt
nexum quemdam, qui est Matrimonii sa-
cramentum : qui nexus ex virtute divinæ
institutionis dispositive operatur ad gra-
tiam. Denique, contra concupiscentiam po-
test remedium dari dupliciter. Primo, ex
parte concupiscentiæ, ut reprimatur in
sua radice : sicque remedium contra con-
cupiscentiam præstat Matrimonium per
gratiam quæ in ipso donatur. Secundo, ex
parte actus ejus, idque dupliciter. Primo
modo, ut actus ad quem concupiscentia
inclinat, turpitudine careat : quod fit per
matrimonii bona, quæ honestant matrimo-
nii concupiscentiæ actum et motum. Alio
modo, ut actus turpitudinem habens im-
pediatur : quod fit ex ipsa actus natura,
quia dum concupiscentiæ satisfit in actu
conjugali, non ita incitat ad alias corru-
ptelas; propter quod dixit Apostolus, Me- I *Cor.* VII, 9.
lius est nubere quam uri. Quamvis enim
opera concupiscentiæ secundum se nata
sint concupiscentiam augere, tamen se-
cundum quod ratione ordinantur, repri-
munt eam, quoniam ex similibus actibus
consimiles relinquuntur dispositiones et
habitus.

Postremo, duplex est rei integritas: una,
quæ attenditur secundum perfectionem
ipsius primam, quæ consistit in esse rei;
secunda, quæ attenditur penes perfectio-
nem rei secundam, quæ in operatione con-
sistit. Quumque carnalis commixtio sit
usus seu operatio matrimonii, constat quod
sit de secunda, non de prima matrimonii
integritate : alias in paradiso non fuisset
matrimonium. Denique sacramentum ex
suo nomine sanctificationem importat, sed
sine commixtione carnali matrimonium
sanctius est, ut in textu habetur. — Si au- *Cf.* p. 59 G.
tem objiciatur, quoniam id quod pertinet
ad significationem sacramenti, est de ne-
cessitate ipsius; carnalis autem commixtio
pertinet ad significationem matrimonii, ut
in littera dicitur : ergo est de necessitate Ibidem.
sacramenti istius. Dicendum, quod signi-
ficatio rei contentæ est de necessitate sa-

cramenti : ad quam significationem non spectat carnalis commixtio, sed ad rem non contentam, puta ad unionem Christi atque Ecclesiæ. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus continentur dicta Alberti de his, qui tamen multas circa distinctionem hanc quæstiones inducit circa ea quæ in textu habentur, quum tamen et textus iste pro maxima parte, et quæstiones istæ in secundo libro inducta sint. (dist. xx, q. I.)

De his quoque sanctus Doctor scribit in Summa contra gentiles, libro quarto : (cap. 78.) Dum aliquid ad fines ordinatur diversos, indiget habere dirigentia diversa in fines, quum finis sit proportionatus agenti. Generatio autem humana ordinatur ad plurima, puta ad perpetuitatem speciei, et ad perpetuitatem populi in aliqua civitate, ad perpetuitatem item Ecclesiæ. Hinc oportet ut a diversis dirigatur. In quantum ergo ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in hunc finem a natura inclinante : sicque vocatur naturæ officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis. Sed prout ordinatur ad bonum Ecclesiæ, subjacet ecclesiastico regimini. Ea quoque quæ populo per ministros Ecclesiæ dispensantur, sacramenta vocantur. Matrimonium ergo secundum quod consistit in conjunctione maris et feminæ intendentium prolem ad Dei cultum generare ac educare, est sacramentum Ecclesiæ. Et sicut in aliis sacramentis per ea quæ exterius geruntur, aliquid spiritualiter significatur; ita in hoc sacramento per conjunctionem maris et feminæ conjunctio Christi et Ecclesiæ figuratur, juxta illud Apostoli : (*Ephes.* v, 32.) Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Quumque sacramenta efficiant quod figurant, credendum est quod per hoc sacramentum gratia conferatur nubentibus per quam ad unionem Christi et Ecclesiæ pertineant : quod et eis maxime necessarium est, quatenus sic carnalibus et terrenis intendant, quod a Christo et Ecclesia non disjungantur. Hæc idem ibi.

Quod autem superius ait Bonaventura, quod conjugati non debeant se cognoscere nisi propter prolem, pie est accipiendum : quia et laudabiliter se cognoscere possunt causa reddendi debitum, etiam dato quod ex natura aut senectute sterilis esset unus eorum vel ambo.

Præterea Petrus : In matrimonio, inquit, est obligatio ad actum carnalem, et virtus spiritualis in significando et efficiendo; sicque est ibi carnale aliquid et humanum, et aliquid spirituale ac divinum. Unde ut causa proportionaretur effectui, congruum fuit matrimonium a Deo per hominem institui, non humana, sed divina virtute; nec humano consilio, sed inspiratione divina. Unde mox post soporem instituit primus homo matrimonium auctoritate divina, quum dixit : Propter hoc (*Gen.* II, 24.) relinquet homo patrem et matrem, etc. In quibus verbis ostendit tria matrimonii bona, videlicet : bonum inseparabilitatis, dicendo, Relinquet homo ; et bonum fidei seu fidelitatis, addendo, Et adhærebit uxori suæ; bonum quoque prolis, subdendo, Et erunt duo in carne una, id est, in carne unius prolis procreanda. — Hæc Petrus. Verumtamen non est absolute nec proprie asserendum, quod primus homo instituit matrimonium.

Richardus etiam circa hæc addit : Aliquid dicitur sacramentum novæ legis dupliciter. Primo, quia in ea est institutum, ut Confirmatio et Baptismus : sicque matrimonium non est novæ legis sacramentum, quum ante sit institutum. Secundo, quoniam quamvis ante fuit institutum, tamen in nova lege non est evacuatum, sed confirmatum, et factum gratiæ causativum : et ita matrimonium est sacramentum novæ legis, in qua gratiam gratum facientem causat et continet, quod antea sibi non competebat. Hæc Richardus.

Præterea Parisiensis (Guillelmus.) in suo Sacramentali : Perscrutemur jam, ait, quæ sit virtus sacramentalis matrimonii, id est, quam gratiam præstet, et quod remedium contra carnalitatis libidinisque peccatum. Mani-

festum est enim ex ipsa contrarietate A quam habet ad prostitutionem fornicariam et sodomiticam abominationem, quod adjuvat conjuges contra illas. Qui enim pia intentione matrimonialibus vinculis se adstringunt, et onera matrimonii, quæ valde sunt gravia, subeunt, quatenus se a prænominatis inquinationibus immaculatos Deo custodiant, eique filios generent atque enutriant, indubitanter misericordiam apud ipsum merentur; sed hoc non est virtus sacramentalis, sed meritum proprii actus. B Suscipientibus autem pie ac reverenter Matrimonium, virtute sacramenti istius præstatur refrigerium multum contra concupiscentiæ carnalis ardorem, ita ut quamvis viri sint juvenes, corpulenti, copiose ac delicate nutriti, tamen ad proprias uxores, licet speciosas, sint velut frigidi, atque ad alias, quamvis formosas, quodammodo gelidi. Idem de mulieribus dicimus, non levi rumore aut vana opinione, sed de ipsa experientia certi, imo et illorum testimonio qui se gratiam hanc assecutos agnoscunt et fassi sunt. Nec invenimus cui donum istud tam magnum ac admirabile attribuere valeamus, nisi virtuti sacramentali matrimonii. Quod vero secus accidit in plerisque, peccatis eorum est imputandum, qui non recta intentione contraxerunt, aut a sincera intentione collapsi sunt. Hæc Guillelmus.

DISTINCTIO XXVII

A. *Quæ sint consideranda in conjugio.*

Post hæc advertendum est, quid sit conjugium, et quæ sit efficiens causa conjugii, et causa propter quam contrahi debeat, et quæ sint bona conjugii, et quomodo per ea excusetur coitus carnalis, et quæ sint legitimæ personæ ad matrimonium. Sunt et alia plura in matrimonio consideranda, quæ sub compendio perstringemus.

B. *Quid sit conjugium.*

Sunt ergo nuptiæ vel matrimonium, viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens. Ad individuam consuetudinem vitæ pertinet, quod absque consensu alterius neuter continentiam profiteri potest, vel orationi vacare; et quod inter eos dum vivunt, vinculum conjugale permanet, ut alii se copulare non liceat; et ut invicem alter alteri exhibeat quod quisque sibi. Hac autem descriptione, legitimorum et fidelium tantum matrimonium includitur.

Decret. p. II, caus. 27, q. 2, procem.
Ibid. c. 3.

C. *De consensu qui efficit conjugium.*

Efficiens autem causa matrimonii est consensus, non quilibet, sed per verba expressus; nec de futuro, sed de præsenti. Si enim consentiunt in futurum, dicen-

tes, Accipiam te in virum, et ego te in uxorem; non est iste consensus efficax matrimonii. Item si consentiant mente, et non exprimant verbis vel aliis certis signis; nec talis consensus efficit matrimonium. Si autem verbis explicant quod tamen corde non volunt; si non sit coactio ibi vel dolus, obligatio illa verborum quibus consentiunt, dicentes, Accipio te in virum, et ego te in uxorem, matrimonium facit.

D. *Auctoritatibus probat, quod solus consensus facit matrimonium.*

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 6. Decret. p. II, caus. 27, q. 2, proœm. Ibid. c. 2. Ibid. c. 4. Ibid. c. 5.

Quod autem consensus matrimonium faciat, subditis probatur testimoniis. Ait enim Isidorus : Consensus facit matrimonium. Item Nicolaus Papa : Sufficiat solus secundum leges eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur : qui solus si forte nuptiis defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Item Joannes Chrysostomus : Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas; et ideo non solvit illud separatio corporis. Item Ambrosius : Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. — Ex his apparet quod consensus, id est pactio conjugalis, matrimonium facit; et ex tunc conjugium est, etiam si non præcessit vel secuta est copula carnalis.

E. *Quando incipiat esse conjugium.*

Quod enim ab ipsa desponsatione, in qua pactio conjugalis exprimitur, conjuges sint, Sanctorum testimonia probant. (Ibidem.) Ait enim Ambrosius : Quum initiatur conjugium, conjugii nomen adsciscitur; quum conjungitur viro, conjugium est, non quum viri admixtione cognoscitur. (Ibid. c. 6.) Item Isidorus : Conjuges verius appellantur a prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur conjugalis concubitus. (Ibid. c. 9.) Item Augustinus : Conjux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu non cognoverat nec fuerat agniturus; nec pejerat * nec mendax manserat conjugis * appellatio, ubi non fuerat nec futura erat carnis ulla commixtio. Propter quod fidele conjugium, ambo parentes Christi vocari meruerunt, non solum illa mater, sed etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus; utrumque tamen mente, non carne. — Ex his evidenter insinuatur, quod ex tempore quo intercedit consensus voluntarius ac maritalis, qui solus conjugium facit, veri conjuges sunt sponsus et sponsa.

* periсrat * conjugii

F. *Secundum quosdam non est conjugium ante carnalem copulam, sed sponsi et sponsæ sunt.*

Quidam tamen asserunt, verum conjugium non contrahi ante traductionem et carnalem copulam, nec vere conjuges esse aliquos antequam intercedat commixtio sexus; sed a prima fide desponsationis vir sponsus, et mulier sponsa est, non con-

jux. Sponsos autem et sponsas conjuges frequenter appellari dicunt, non quia sint, sed quia futuri sunt, cujus rei sponsionem invicem fecerunt; et secundum hoc verba præmissarum auctoritatum intelligenda fore tradunt.

G. *Qua ratione utuntur.*

Quod vero inter sponsam et conjugem plurimum intersit, ex eo adstruunt : quia licet sponsæ ante carnalem copulam inconsulto vel nolente sponso monasterium eligere; quo facto, sponso etiam licet aliam ducere. Conjugatus vero vel conjugata, nec continentiam nisi ex communi consensu servare valet, nec monasterium petere, nisi uterque continentiam pariter profiteatur. Quod vero liceat sponsæ monasterium eligere, auctoritatibus Sanctorum probatur. Ait enim Eusebius Papa : Desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere, tamen licet sibi monasterium eligere. Item Gregorius : Decreta legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo penitus censuerunt damno mulctari. Refert etiam Hieronymus, quod Macarius, inter Christi eremitas præcipuus, celebrato nuptiali convivio, quum vespere thalamum esset ingressurus, ex urbe egrediens, transmarina petiit, et eremi solitudinem sibi elegit. Beatus etiam Alexius similiter ex nuptiis divina gratia vocatus, sponsam deseruit, et nudus Christo famulari cœpit. — His auctoritatibus et exemplis liquet, licere sponsis sine consensu suarum sponsarum, et econverso, continentiam profiteri.

Decret. p. II, caus. 27, q. 2, c. 27. Ibid. c. 28. Ibid. c. 26.

H. *Quod conjugatus vel conjugata nequeat continentiam profiteri sine alterius consensu.*

Hoc autem conjugatis nullatenus licet. Non enim potest vir, melioris vitæ propositum sumere sine uxoris consensu, et econverso. Unde Gregorius scribens Theotistæ patriciæ : Sunt qui dicunt, religionis gratia conjugia debere solvi. Verum sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, tamen lex divina prohibuit. Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? Sic enim multos Sanctorum novimus cum suis conjugibus et prius continentem vitam duxisse, et post ad sanctæ Ecclesiæ regimina migrasse. Si vero continentiam, quam vir appetit, mulier non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat; conjugium dividi non potest, quia scriptum est : Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir; similiter et vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier. Idem : Agathosa, latrix præsentium, questa est virum suum contra voluntatem suam in monasterium esse conversum. Quapropter experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquisitione discutias, ne forte ejus voluntate conversus sit, vel ipsa mutare se promiserit. Et si hoc repereris, et illum in monasterio permanere provideas, et hanc, sicut promisit, mutare vitam compellas. Si vero nihil horum est, nec quoddam fornicationis crimen (propter quod licet uxorem dimittere) prædictam mulierem commi-

Ibid. c. 19. I Cor. VII, 4. Decret. loc. cit. c. 21.

sisse cognoveris; ne illius conversio, uxoris relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, etiam si jam tonsuratus sit, reddere debeas, omni prorsus excusatione cessante : quia nisi fornicationis causa, virum uxorem dimittere nulla ratio concedit. Postquam enim copulatione conjugii, viri et mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, et ex parte remanere in sæculo. Decret. p. II, caus. 27, q. 2, c. 22. Item ex octava synodo : Si quis conjugatus converti ad monasterium velit, non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Tales ergo conjuges tunc sine culpa sequuntur Christum, relicto sæculo, si habent ex Ibid. c. 23. pari voluntate castitatis consensum. Item : Si vir et uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine consensu episcopi fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco. Nam uxore nolente, vel altero illorum, etiam Ibid. c. 24. pro tali re matrimonium non solvitur. Item Augustinus : Si abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, et peccatum illius tuæ imputabitur absti- Ibid. c. 26. nentiæ. Item Nicolaus Papa : Scripsit nobis Thaberga * regina, regia se velle dignitate vel maritali copula exui, et sola vita privata esse contentam desiderare. Cui rescripsimus, non hoc aliter fieri posse, nisi eamdem vitam vir ejus Lotharius elegerit. — Ex his patet, quod conjugati sine communi consensu monasterium eligere, continentiam profiteri, vel habitum religionis sumere non valent; et si fecerint, revocari debent. Sponsi vero possunt sine communi consensu monasterium eligere : unde videtur inter sponsum et sponsam conjugium non esse. Ideoque asserunt, a prima fide desponsationis conjuges appellari, non re præsentium, sed spe futurorum : quia ex fide quam ex desponsatione sibi invicem debent, postea efficiuntur conjuges. Præmissas autem auctoritates, quibus asseritur quod consensus matrimonium facit, ita intelligi volunt, ut consensus vel pactio conjugalis non ante coitum faciat matrimonium, sed in coitu. Sicut enim defloratio virginitatis non facit matrimonium, nisi præcedat pactio conjugalis; ita nec pactio conjugalis, antequam adsit copula carnalis. Ex pactione ergo conjugali sponsi et sponsæ fiunt ante coitum, in coitu vero efficiuntur conjuges. Facit enim pactio conjugalis, ut quæ prius erat sponsa, in coitu fiat conjux.

* Thietberga

I. *Responsio ad prædicta cum determinatione superiorum.*

His autem ita respondemus. Fit aliquando desponsatio ubi est compromissio viri et mulieris de contrahendo matrimonio; non est autem ibi consensus de præsenti. Est et desponsatio habens consensum de præsenti, id est pactionem conjugalem, quæ sola facit conjugium. In illa ergo desponsatione ubi est pollicitatio contrahendi matrimonium, sponsi tantum et sponsæ fiunt, non conjuges; et talibus sponsis licet sine communi consensu continentiam profiteri, et monasterium eligere. In ea vero desponsatione ubi est consensus de præsenti, conjugium contrahitur, et ab illius desponsationis prima fide veri conjuges appellantur. Secundum hanc distinctionem desponsationis, de sponsis varie loquuntur doctores.

K. *Quomodo accipiatur sponsa in subditis capitulis.*

Aliquando enim sponsas vocant, quæ talem habuerunt desponsationem ubi fuit pactio conjugalis de præsenti; et illæ veræ conjuges sunt. Unde Gregorius : Si quis uxorem desponsaverit vel subarrhaverit, quanquam postmodum præveniente die mortis ejus, nequiverit eam ducere in uxorem; tamen nulli de consanguinitate ejus licet accipere eam in conjugio; et si inventum fuerit factum, separetur omnino. Item Julius Papa : Si quis desponsaverit uxorem vel subarrhaverit, et vel præveniente die mortis, vel irruentibus quibusdam causis, eam non cognoverit; nec frater ejus nec ullus de consanguinitate ejus eamdem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore. Item Gregorius : Qui desponsatam proximi sui puellam ceperit in conjugium, anathema sit ipse et omnes consentientes ei, quia secundum legem Dei mori decernitur. Nam divinæ legis mos est, sponsas appellare conjuges, ut in Evangelio, Accipe Mariam conjugem tuam; et in Deuteronomio, Si quis alterius sponsam in agro vel quolibet loco oppresserit, vel adduxerit in domum suam, moriatur, quia uxorem proximi sui violavit, non quæ jam uxor erat, sed quæ a parentibus uxor fieri debebat. — Ex his colligitur, quod sponsæ quædam conjuges sunt ante commixtionem sexuum. Sed forte illud movet, quod in fine capituli dicitur, Non quæ jam uxor erat, sed quæ uxor fieri debebat. Quod non ita intelligi debet, quasi uxor vere non fuerit, ex quo pactio conjugalis intercessit; sed quia nondum traducta fuerat, nec res uxoria intercesserat, scilicet concubitus conjugalis.

Decret. p. II, caus. 27, q. 2, c. 14. — Ibid. c. 15. — Ibid. c. 12. — *Matth.* I, 20. — *Deut.* XXII, 23, 24.

L. *Quod aliter accipitur in his et aliis capitulis sponsa.*

Hæc etiam sponsa est, quæ sic viro desponsata est, ut non intercesserit consensus de præsenti, sed sponsio futuri. Secundum quem modum illud decretum intelligitur : Si quis sponsam filii oppresserit, et post filius ejus eam duxerit, pater postea non habeat uxorem, nec mulier virum; filius qui patris facinus ignoravit, aliam ducat. Si conjux illa fuisset (quod utique foret, si in sponsalibus pactio conjugalis intercessisset), non permitteretur sponso aliam ducere. Mœchis autem pœna non nubendi ex rigore infligitur, ut alii terreantur. Idem ex eodem : Quidam desponsavit uxorem et dotavit eam et cum ea coire non potuit, quam clanculo frater ejus corrupit, et gravidam reddidit; decretum est, ut quamvis nupta non potuerit esse legitimo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit; sed mœchus et mœcha fornicationis quidem vindictam sustineant, licita vero eis conjugia non negentur. De illa desponsatione hoc intelligi debet ubi non fuit consensus conjugalis de præsenti : alioqui non liceret eis alia sortiri conjugia. Secundum hoc etiam illud intelligi debet : Statutum est a sacro conventu, ut si quis sponsam alterius rapuerit, publica pœnitentia mulctetur, et sine spe conjugii maneat; et si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alteri non negetur. Apparet hanc fuisse desponsatam sine pactione conjugali de præsenti, et ideo non fuisse conjugem, cui

Decret. loc. cit. c. 32. — Ibid. c. 31. — Ibid. c. 34.

vivente sponso, alteri nubendi licentia non negatur. Sunt enim quædam nuptialia pacta de futuro, ex quibus sponsi et sponsæ vocantur, nec exinde conjuges sunt; et est pactio conjugalis quædam de præsenti, quæ sponsum et sponsam etiam conjuges facit. Et utraque pactio desponsatio vel sponsalia interdum dicuntur; proprie tamen sponsalia dicuntur quædam solennia pacta nuptialia.

M. *Quare non statim tradantur sponsæ.*

Decret. p. II, caus. 27, q. 2, c. 39.

De nuptialibus pactis ubi est tantum sponsio futuri, ait Augustinus : Institutum est, ut jam pactæ sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam [non] suspiravit sponsus dilatam.

N. *Quæ sponsa sit vidua mortuo sponso, et quæ non.*

Gratian. in c. 29.

Et est sciendum, quod illa sponsa quæ tantum in futuro est pacta, mortuo sponso non remanet vidua, quia non fuerat vir ejus : unde si quis eam duxerit, ad sacros ordines conscendere non prohibetur, quia non duxit viduam. Viduæ enim maritus æque sicut bigamus, sacerdos fieri prohibetur. Ex tali autem copula nullus arcetur a sacris ordinibus.

O. *Qui alterius sponsam eo mortuo ducit, ad sacros ordines accedere potest.*

Decret. p. I. dist. 34, c. 20.

Secundum hoc intelligendum est quod ait Pelagius Papa, de illo qui mortuo sponso, ejus sponsam ducit in uxorem : Nihil est, inquit, quantum ad hunc articulum attinet, quod ei obviet de canonicis institutis, quin ad sacros ordines promoveri valeat. Si vero talis sponsa fuisset, inter quam et sponsum ejus consensus de præsenti intercessisset, eo mortuo vidua remansisset : cui copulatus in conjugio ulterius ad sacros ordines non accederet, quum viduam duxerit. Non est ergo ambigendum, quin solus de præsenti consensus conjugium efficiat, et exinde veri conjuges appellentur. Ideo post talem consensum si quis alii se copulaverit, etiam si carnis commixtio illic sequatur, ad priorem copulam revocandus est.

SUMMA

DISTINCTIONIS VICESIMÆ SEPTIMÆ

PRÆCEDENTI distinctione tractavit Magister de matrimonii institutione, et de contentis in eo; hic tractat de cau- A sis ejus, et de bonis honestantibus ipsum, et quando incipiat verum conjugium, de duplici quoque acceptione desponsationis ac nuptiarum; deinde circa hoc, quando et qualiter matrimonialiter juncti religionem valeant ingredi aut continentiam vovere.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur, **Quid sit matrimonium, et utrum consensus per determinata verba expressus, sit causa ipsius.**

Videtur quod inepte definiatur, quum dicitur esse conjunctio aut vinculum, quia hoc nequit intelligi nisi de vinculo spiri- dist. I, q. 1. tuali; sacramentum autem, juxta præhabita, est materiale elementum. — Secundo, matrimonium inter cetera sacramenta videtur grossius esse; conjunctio autem quum sit quædam relatio, est minimæ entitatis. — Tertio, consensus non est nisi ipsa interior unio animorum, et ita est ipsa conjunctio quæ matrimonium appellatur; et constat quod idem non sit causa sui ipsius.

Circa hæc scribit Albertus : Diversæ sunt matrimonii descriptiones. Una Magistri in littera : Matrimonium est viri et mulieris conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens. Secunda juristarum, dicentium : Matrimonium est consortium vitæ communis, et conjunctio divini ac humani juris. Tertia Hugonis, qui ait : Matrimonium est duarum idonearum personarum legitimus de conjunctione consensus. Et quælibet harum conveniens est. Prima namque ponit matrimonii genus, et materiam ejus remotam atque propinquam, et actum. Nec obest quod aliquando fuit inter unum virum et plures uxores, quia (ut asserit Hugo) secundum naturam optime institutam, solum debet esse unus unius : quod in verbis Adæ insinuatur, Gen. II, 23, 24. quum dicitur, Hoc nunc os ex ossibus meis; et erunt duo in carne una. Dicitur quoque maritalis, non uxoralis conjunctio, quia a principaliori denominatio est sumenda : maritus autem in matrimonio principalis censetur, quamvis æquales dicantur quantum ad debiti petitionem et solutio-

A nem. Legitimæ vero dicuntur personæ dupliciter : primo, simpliciter, quibus non obest aliquid impedimentorum eorum quæ personas reddunt illegitimas; secundo, secundum quid, quibus obviat aliquid. Unde non sequitur, Hæc mulier est legitima huic : ergo est legitima simpliciter. Insuper, quod matrimonium nominatur consortium vitæ communis, intelligitur de consortio sola morte dissolubili. Et quod vocatur conjunctio divini atque humani juris, accipitur de conjunctione animorum B et corporum, nisi pari consensu abstineatur; et hoc ex jure divino et humano firmatur. Verumtamen decretistæ de pertinentibus ad subtilem intellectum parum solent curare. At vero ipsemet Hugo suam definitionem satis exponit et glossat, tangens se loqui de matrimonio ut est sacramentum evangelicæ legis. Attamen dici posset, quod nomine unius possunt designari et plures; et rursus, quod matrimonium per se est unius ad unam, per accidens vero ad plures ex dispensatione C divina, quando sunt pauci Deum colentes. Attamen descriptio illa Hugonis datur per causam, nec est ibi prædicatio essentialis, sed magis causalis : veluti si dicatur, Dies est illuminatio solis. — Matrimonium etiam potius accipit nomen a matre quam a patre, quoniam vinculum matrimonii magis onerat matrem, quæ parit cum dolore, et nutrit, portat, ministrat, custodit cum labore. Eadem item res nuncupatur matrimonium et nuptiæ. Etenim nuptiæ dicuntur a matrimonii actu; matrimonium D vero, a bonis : nam mulier juncta viro, munia habet matris in effusione prolis, ac aliorum in quibus communicat viro.

Insuper consensus omnino latens nequit matrimonium facere, sed oportet ut sit expressus per verba. Et quamvis locutio interdum sit nuntius fallax, tamen quia Ecclesia nequaquam ad impossibilia nititur, et impossibile est homini cognoscere cor alterius, nisi in quantum manifestatur ad extra; idcirco oportet consensum exprimi per verba de præsenti, et matrimonium

sic contractum cogit manere. Imo dato quod contrahendo cum prima, non habeat vir intentionem contrahendi cum illa, sed cum alia, Ecclesia tamen judicat eum manere cum prima; ipse tamen potius debet excommunicationem sustinere, quam cum ea manere : ideo vadat cum secunda ad regiones extremas, et commaneat ibi reddendo illi debita ; quod si non potest, sustineat excommunicationem cum dolore cordis, et moriatur cum ipsa. In hoc item contractu, per verba intelliguntur quæcumque signa consensum de præsenti exprimentia. — Hæc Albertus.

At vero Thomas circa hæc multa interrogans, primo ostendit quod matrimonium sit in genere conjunctionis : Conjunctio, inquiens, adunationem quamdam importat. Unde ubicumque est adunatio aliquorum, ibi est conjunctio aliqua. Ea autem quæ ordinantur ad aliquid unum, dicuntur in ordine ad illud adunari : sicut multi homines adunantur ad unam militiam vel negotiationem exsequendam, ex qua dicuntur commilitones ad invicem, vel socii negotiationis. Quumque per matrimonium ordinentur aliqui ad unam generationem educationemque prolis, ad unam quoque vitam domesticam, constat quod in matrimonio sit quædam conjunctio; et vocatur matrimonium, in quantum ordinatur ad tale unum : ad quod consequitur conjunctio corporum. Et quamvis relatio non sit sensibile accidens, tamen causæ ejus possunt esse sensibiles; nec in sacramento requiritur ut sensibile sit id quod est res et sacramentum (ut est prædicta conjunctio), sed verba exprimentia consensum, quæ sunt sacramentum tantum. Dicitur autem matrimonium unum, quoniam ad eamdem generationem ordinatur; non quia sit una numero conjunctio in utroque extremo, sicut nec una numero similitudo in duobus similibus, ut asserit Avicenna.

Si autem quæratur, cur ita nominetur; dicendum, quod in matrimonio tria considerantur. Primum est ejus essentia, puta conjunctio : et ita vocatur conjugium. Se-A cundum est causa ejus, puta desponsatio : sicque vocantur nuptiæ a nubo, quia in ipsa solennitate desponsationis capita velantur nubentium. Tertium est effectus, videlicet proles : et sic matrimonium appellatur, quoniam mulier non debet ad aliud nubere nisi ut sit mater. Vel dicitur matrimonium quasi matris munium, id est officium, quia matri officium incumbit præsertim circa prolem. — Denique, juxta hæc tria quæ in matrimonio attenduntur, tres de ipso descriptiones traduntur : quo-B niam definitio Hugonis tangit matrimonii causam, id est consensum. Definitio Magistri tangit essentiam ejus, quum ait, Conjunctio; et determinatam ejus materiam, addens, Inter legitimas, etc.; differentiam quoque contrahentem, ibi, Maritalis, indissolubilis. Tertia ponit ejus effectum, qui est communicatio in rebus domesticis.

Consensus autem est matrimonii causa. In omnibus quippe sacramentis est aliqua spiritualis operatio, mediante materiali operatione quæ illam designat : quemad-C modum in Baptismo corporalis ablutio interiorem designat et efficit. Quumque in matrimonio sit quædam spiritualis conjunctio in quantum est sacramentum, et quædam corporalis, in quantum est naturæ officium ac vitæ civilis; oportet quod mediante materiali conjunctione fiat spiritualis, divina virtute. Quumque conjunctiones materialium contractuum per mutuum fiant consensum, oportet et matrimonialem conjunctionem seu contractum fieri per consensum hujusmodi. Hinc matrimo-D nium non est ipse consensus, sed unio conjugatorum ad aliquod unum. Et sicut matrimonium est aliquo modo unum, et quodam modo plura, ut tactum est, ita consensus. — Oportet quoque consensum exprimi per verba, ut mutuo innotescat, sicut expositum est, quatenus verborum expres- *Cf.* p. 75D'. sio habeat se ad matrimonium sicut exterior ablutio ad Baptismum. Et quoniam causæ sacramentales significando efficiunt hoc quod designant, ideo oportet ad causandum matrimonium concurrere signifi-

cationem verborum de præsenti : quia A dum aliquis exprimit suum consensum per verba de futuro, non significat se facere matrimonium, sed promittit facturum. Nec homo transfert dominium rei suæ in alium nisi per verba de præsenti. Non enim qui ait, Dabo tibi equum meum, transfert dominium equi sui in alium; sed qui ait, Do tibi, etc. In contractu autem conjugii transfertur dominium corporum contrahentium in alterutrum.

Quæritur quoque, utrum per verba de præsenti matrimonium contrahatur, si in- B terior desit intentio contrahendi. Dicendum, quod sicut se habet exterior ablutio ad Baptismum, ita se habet exterior verborum expressio ad hoc sacramentum. Ideo, sicut accipiens exteriorem ablutionem, non intendens accipere sacramentum, sed jocum et dolum facere, baptizatus non esset; ita exterior verborum expressio sine mentis consensu, matrimonium non facit. Porro in eo qui proferendo verba de præsenti, non intendit contrahere, duo sunt, puta : defectus consensus, qui C defectus sufficit sibi in foro conscientiæ, ut non adstringatur vinculo matrimonii, quamvis non in foro Ecclesiæ, in quo judicatur secundum allegata; secundum est dolus verborum, qui ei non suffragatur, nec in foro pœnitentiæ, nec in foro Ecclesiæ, imo in utroque pro ipso dolo punitur. Rursus, si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte matrimonium est : quia matrimonium consistit in mutua conjunctione. Attamen probabiliter credi potest dolus non esse, nisi evidentia doli D appareant signa : quia de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium. Hinc ille ex cujus parte dolus non est, excusatur per ignorantiam. Ecclesia quoque quamvis interdum decipiatur in facto, non tamen in jure. — Hæc Thomas. Idem Petrus et Richardus.

Quærit quoque Richardus, quid consulendum sit alteri conjugum, quum alter asserit se nunquam consensisse in eum, nec consentire. Respondet : Consulendum est ei ut non credat, quia nec tenetur credere ei : *extra* de Probationibus, Per tuas. Si autem credat illum dicere verum, tenetur ab ejus copula abstinere, stante tali credulitate. Hæc Richardus.

Insuper Bonaventura super his loquitur : Quemadmodum similitudo corporalis sensu percipitur, non ratione sui neque per se, sed ratione qualitatis sensibilis in qua fundatur, ita conjunctio quæ matrimonium nuncupatur. Rursus, quædam conjunctio dicitur vinculum, quædam facit vinculum, quædam est vinculi usus : et hæc tertia iteratur; nec ideo matrimonium toties iteratur, quoties tertia ista conjunctio. Prima autem conjunctio et secunda respiciunt substantiam matrimonii, nec iterantur inter eosdem. — Præterea quidam dixerunt, quod conjunctio ista matrimonialis non denominatur a patre, neque a matre ; sed quum sit vinculum unum, denominatur ab utroque secundum quod uniuntur. Quumque maritus et uxor uniantur ut sit una materia prolis ; ideo sacramentum istud vocatur matrimonium (a materia et μόνος, quod est unum) quasi una materia. Sed istud est contra Isidorum in libro Etymologiarum. — Amplius, sicut Baptismus dupliciter sumitur : primo prout comprehendit exteriorem ablutionem ac interioris characteris impressionem ; secundo pro interiori charactere : sic matrimonium uno modo comprehendit interius vinculum atque exterius signum, sicque matrimonium est consensus expressus, non ejus effectus ; alio modo sumitur pro vinculo interiori, quod habet causam primariam et proximam. Causa ejus primaria, institutio est divina; pactio autem humana est proxima ejus causa, quæ consistit in consensu maris et feminæ. Hinc dicendum, quod consensus est matrimonii causa proxima, sed non tota, imo simul cum institutione divina est causa matrimonii tota. Hæc Bonaventura.

Concordant Durandus et Argentinensis, et addunt, quod quum homo habeat liberum quoddam dominium corporis sui, il-

lud non transfertur in potestatem alterius nisi de suo consensu, et præsertim de consensu institutioneque Dei : in cujus manu sunt omnia, et magis est dominus corporis cujuslibet hominis, quam ipsemet homo. Quumque per matrimonialem contractum una persona transferat corpus suum in potestatem alterius, et econtra, oportet hoc fieri consensu earum, et potissime Dei.

QUÆSTIO II

Restat quærendum, **An alter conjugum possit religionem intrare altero non volente, ante carnalem copulam vel post eam.**

Videtur quod non, ex indivisibilitate matrimonii. — Et rursus, quia per conjugalem contractum unus transtulit sui corporis potestatem in alium : ergo illam alteri non potest illo invito auferre, præsertim quum dicat Salvator, Quos Deus conjunxit, homo non separet. *Matth.* XIX, 6.

Circa hæc scribit Thomas : Ante carnalem copulam est inter conjuges tantum spirituale vinculum, sed post illam est inter eos vinculum quoque carnale. Ideo sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per religionis ingressum ante carnalem copulam : quia religio est mors spiritualis, qua quis sæculo moriens, vivit Deo. Nam et matrimonium ante carnalem commixtionem, signum est spiritualis conjunctionis quæ est inter Christum et animam, quæ conjunctio est solubilis. Denique, ante carnalem copulam unus non transfert simpliciter et omnino corporis sui potestatem in alterum, sed sub conditione si interim alter ad melioris vitæ non evolet frugem. Illa autem translatio per copulam completur carnalem, quia tunc intrat uterque in corporalem sibi traditæ potestatis possessionem. Propterea etiam, ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post matrimonium per verba de præsenti contractum : imo datur ei duorum mensium tempus, propter tria. Primo, ut interim queat deliberare de religionis ingressu. Secundo, ut infra hoc tempus præparentur necessaria ad nuptiarum solennitatem. Tertio, ne maritus vilem habeat datam, quam non suspiravit dilatam. — Porro post copulam carnalem non licet uni religionem intrare sine consensu alterius, quoniam nemo potest oblationem facere Deo de alieno. Quumque conjugati corporis sui potestatem tradiderint mutuo, nullus eorum potest alio dissentiente corpus suum Deo offerre per continentiæ votum, nec alium re sua aut jure suo privare.

Præterea quæritur, an viro ante carnalem copulam religionem ingresso, mulieri liceat alteri nubere. Respondendum, quod sicut corporalis mors viri, hoc modo vinculum matrimoniale solvit, ut mulier nubat cui vult, secundum Apostoli sententiam; ita post spiritualem mortem viri per religionis ingressum, poterit nubere quando voluerit. Quum autem uterque pari voto continentiam vovet, neuter vinculo abrenuntiat conjugali : ideo manet adhuc ; sed dum unus tantum vovet, tunc quantum est in se, conjugali abrenuntiat vinculo : hinc alter a vinculo illo absolvitur. Verumtamen religionem ingressus non intelligitur mortuus mundo, quousque professionem emisit : ideo mulier usque ad illud tempus virum exspectare tenetur. — Si autem objiciatur, quod per Decretalem nonam, professio ante annum emissa, reputatur pro nulla ; ergo si post talem professionem vir redeat ad uxorem, ipsa tenetur eum recipere : dicendum, quod de professione sic emissa, est idem judicium quod de simplici voto. Unde sicut post votum simplex viri, mulier non tenetur ei debitum reddere, ipsa tamen non potest alteri nubere; ita et hic. — Hæc Thomas in Scripto. Concordat Bonaventura in omnibus his. I *Cor.* VII, 39.

Item Richardus. Qui insuper quærit,

utrum matrimonium non consummatum possit dissolvi per mutuum dissensum. Respondet quod non, quantum ad vinculum, quoniam mutuus consensus non est tota matrimonii causa, imo principaliter ad hoc concurrit institutio divina. Et quoniam Deus ordinavit, ut post mutuum consensum vinculum illud non maneat voluntati eorum subjectum, ideo quoad vinculum dissolvi non valet per mutuum consensum, sed quantum ad torum, ut si concorditer a copula carnali voveant abstinere, religionemve intrent.

Iterum sciscitatur, utrum matrimonium non consummatum queat dissolvi per genitalium abscisionem. Et de hoc duas narrat opiniones cum earum motivis, et qualiter utraque valeat defendi prosequitur. De qua quæstione pertranseo, quia vix locum habet, et probabilius reor quod ita non dissolvatur quantum ad vinculum : nam et si miraculose genitalia eis reddantur, non de novo matrimonialiter sociantur.

Præterea respondendo ad hoc, an post matrimonium consummatum alter conjugum alio invito religionem ingredi possit, addit : Ex mutuo consensu dissolvi potest quantum ad torum per religionis ingressum, altero etiam remanente in sæculo, si de incontinentia non sit suspectus ; ita tamen, quod votum castitatis emittat antequam alter profiteatur. Porro si mulier sit tam juvenis, quod de ipsa posset oriri suspicio, si remaneret in sæculo ; vir profiteri non debet, nisi ipsa religionem introeat, quamvis velit castitatem promittere manendo in mundo. Si tamen vir de licentia uxoris castitatem non promittentis profiteatur, et postea ad uxorem revocetur, quæ credebat se posse talem licentiam dare manendo in sæculo, quia nescivit jus ; tunc ea defuncta, tenetur vir ad religionem reverti. Si autem contra voluntatem uxoris in religione professus sit, peccat, et uxore petente revocabitur ; nec ea mortua ad religionem redire cogetur, sed ultra non valebit uxorem ducere, quia

A promisit non exigere debitum. Conformiter dico de muliere religionem intrante contra voluntatem mariti. Unde de muliere quæ credens virum suum mortuum esse, habitum religionis assumpsit atque professa est, et postea ad virum reversum fuit revocata, dicitur, *extra* de Conversione conjugatorum, capitulo Placet, quod quamvis viro suo defuncto, consultius ei sit ad religionem reverti, attamen si ad hoc induci nequiverit, dominus Papa credit eam non esse ad hoc cogendam ; sed ultra non po-

B test ducere virum, quia ad castitatem adstrinxit se. — Hæc Richardus. Consonat Petrus.

QUÆSTIO III

Modo quærendum, **Quid sint sponsalia, et quando contrahi possint, et qualiter dirimi.**

Dicuntur autem sponsalia futurarum nu-

C ptiarum promissio.

Quocirca scribit Thomas : Sicut præhabitum est, consensus in copulam conjugalem per verba de futuro non facit matrimonium, sed matrimonii promissionem : quæ promissio vocatur sponsalia, a spondendo, secundum Isidorum. Nam ante usum tabularum matrimonii, cautiones dabant, quibus spondebant se invicem consentire in jure* matrimonii, et fidejussores dabant. Fit autem ista promissio dupliciter, scilicet : absolute, et sub conditione. Absolute quatuor modis, videlicet : nuda promissione, ut quum dicitur, Accipiam te in meam, et econtrario ; secundo, datis arrhis sponsaliciis, ut pecunia, vel aliquo tali ; tertio, annuli subarrhatione ; quarto, juramento. Si autem fiat præfata promissio sub conditione, distinguendum est : quia aut est honesta conditio, ut, Accipiam te in meam, si parentibus placeat : sicque stante conditione stat promissio, et illa non stante ista non stat ; aut est inho-

Cf. p. 77 A.

* jura

D

nesta, et hoc dupliciter : quia aut est contraria bonis matrimonii, ut si dicatur, Accipiam te, si venena sterilitatis procures : et tunc non contrahuntur sponsalia ; aut non est contraria bonis matrimonii, ut si dicatur, Accipiam te, si furtis meis consentias : et tunc stat promissio, sed tollenda est conditio. Ex tali ergo promissione sponsalium, unus alteri obligatur ad matrimonium contrahendum ; et peccat mortaliter non solvendo promissum, nisi legitimum interveniat impedimentum. Ecclesia quoque cogit ut impleat, pœnitentiam injungendo pro culpa. In foro tamen contentioso non compellit, quoniam matrimonia coacta solent exitus malos habere : nisi forte intervenerit juramentum, quia tunc cogendus est, ut aliqui dicunt, quamvis aliis aliud videatur, præsertim si de uxoricidio timeatur. — Denique conditio quæ apponitur, non tollit matrimonii libertatem. Si enim est inhonesta, est abjicienda, etc., ut dictum est. Interdum autem apponitur conditio pecuniæ per modum pœnæ : et tunc, quum matrimonia debeant libera esse, non stat talis conditio, nec exigi potest pœna illa.

At vero septennium est tempus determinatum a jure sponsalibus contrahendis, et hoc rationabiliter satis. Quum enim sponsalia sint quædam promissio futurorum, oportet quod illorum sint qui aliquo modo promittere possunt : quod non est nisi aliquam habeant prudentiam seu providentiam de futuris, quæ usum rationis requirit, respectu cujus triplex gradus notatur a Philosopho, primo Ethicorum. Primus est, quum quis nec per se intelligit, nec ab alio capere potest. Secundus status est, quum ab alio capere potest, non tamen per se intelligere sufficit. Tertius est, quum et per se potest considerare atque ab alio capere. Quumque ratio paulatim in homine convalescat, secundum quod humorum motus aut fluxibilitas quietantur, ideo primum statum rationis obtinet homo ante primum septennium : idcirco tunc nulli est contractui aptus, ergo ne-

A que sponsalibus. Sed ad secundum statum incipit pervenire in fine primi septennii : propter quod tunc pueri ad scholas ponuntur. Ad tertium vero statum incipit pervenire in fine secundi septennii quoad ea quæ ad suam spectant personam, ad quæ ratio naturalis citius convalescit ; sed quantum ad ea quæ extra ipsum sunt, in fine septennii tertii. Hinc in fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittenda, præsertim de his ad quæ ratio naturalis magis inclinat ; non autem ad
B obligandum se perpetuo vinculo, quoniam nondum habet firmam voluntatem. Hinc in primo septennio contrahi possunt sponsalia ; in secundo conjugia, et consimilia quæ ad personam ipsius spectant ; in tertio potest se obligare de aliis ; atque secundum leges constituitur ei potestas disponendi de rebus vicesimo quinto anno. Quod si ante præfatum tempus sponsalia contrahuntur per alios, possunt pueri reclamare, quum ad ætatem illam pervenerint ; et si non reclamant, intelliguntur
C consentire.

Si autem objiciatur, quod ante septennium est usus rationis et consensus in mortale peccatum, quum quarto Dialogorum sanctus narret Gregorius de puero quinque annorum, quem cum patre suo ludentem ac blasphemantem dæmones rapuerunt ad inferos. Ad hoc aliqui dicunt, quod puer ille non peccavit mortaliter, neque damnatus fuit, et quod visio ac ultio illa temporalis fuit ostensa ad patris sui afflictionem. Sed hoc est expresse contra
D intentionem Gregorii, asserentis, quod pater ille animam parvuli filii sui negligens, non parvum peccatorem gehennæ ignibus nutrivit. Idcirco dicendum, quod ad peccatum mortale sufficit etiam consensus in præsens, in sponsalibus vero est consensus in futurum, ad quod discretio major requiritur. Ideo citius potest homo peccare mortaliter, quam se obligare ad aliquid in futurum. Et quia, ut docet Philosophus nono de Animalibus, puella in duodecimo suo anno ad generationem est apta, puer

in quartodecimo anno; attamen annos discretionis simul accipiunt : ideo idem tempus sponsalium præfixum est eis, non autem idem matrimonii tempus, quia ad matrimonii actum non solum requiritur discretio rationis, sed etiam dispositio corporis. Si etiam modicum desit a completione septennii, pro nihilo reputatur, dum discretio suppleat ætatis defectum.

Insuper sponsalia dirimi possunt per religionis ingressum, magis quam conjugia jam contracta. Et si post sponsalia alter contrahit cum quacumque apta persona per verba de præsenti, matrimonium tenet, quamvis peccet qui promissionem non implet. Dirimuntur autem sponsalia in plurimis casibus et ex variis causis. Primus casus est, dum unus eorum ad longinquam se transfert regionem, nec tempore redit statuto ad matrimonium contrahendum, quia tunc probabiliter creditur non venturus. Secundus casus est propter ægritudinem gravem valde debilitantem, seu propter deformationem enormem, ut est abscisio nasi; vel si infirmitas infectiva sit prolis, sicut est lepra. Tertius, si sponsus cognovit consanguineam sponsæ : ad quod probandum sufficit sola fama, propter scandalum evitandum. Quartus, si sponte et concorditer se absolvant ab obligatione illa sponsalium mutua, quamvis aliqui dicant contrarium. Quintus, si alter interim fornicetur : quia per hoc fit suspectus alteri, quod contracto matrimonio fidelitatem sibi non conservaret. Sunt et alii casus qui assignantur in jure. — In his dictis Thomæ continentur dicta Alberti, Petri, Richardi et aliorum de ista materia.

QUÆSTIO IV

Amplius, **De bigamia inquiritur, an per eam fiat homo irregularis.**

dist. xxv, q.4, p.56 D'. Et de hoc jam supra responsum est quod imo, quoniam impedit ab acceptione ordinis sacri. Contrahitur autem biga- (A) mia, accipiendo successive duas uxores. Et quæritur, an etiam accipiendo corruptam in conjugem; et rursus, utrum cum bigamo liceat dispensari.

Circa hæc multi doctores non scribunt de bigamia. Bonaventura vero breviter sciscitatur circa textum, an ducens in uxorem eam quæ ab alio marito est relicta non cognita, bigamus sit censendus. Et respondet quod non, quia non dividit carnem suam, nec uxor divisit : imo si reli- (B) gionem introeat, consecratur ut virgo. Verumtamen Pelagius Papa et Magister in *Cf.* p. 74 N. littera videntur sentire oppositum. Ad quod respondet, quod ipsi loquuntur secundum juris rigorem, non propter obstaculum quod sit ex parte sacramenti directe. Unde secundum nova jura jam non tenetur, prout libro primo, de Bigamis non ordinandis, habetur. — Et si objiciatur de contrahente cum virgine, qui matrimonium illud consummavit, postmodumque contraxit cum alia quam non cognovit, quod bigamus (C) judicatur; dicendum, quod hoc non est propter defectum sacramenti, sed quia contra ipsum præsumitur de incontinentia : sicut diaconus qui contraxit cum secunda in diaconatu (intellige, quod contraxit de facto, quia de jure non potuit) et cum opere subsecuto, punitur ut bigamus, quum tamen secundum non fuerit matrimonium.

Porro Albertus de his scribit prolixe, cujus scripta in verbis Thomæ continentur compendiose : ideo brevitati studens, ea (D) inducam. Itaque ait : Bigamia causat irregularitatem, in quantum tollit perfectam significationem matrimonii, quæ consistit in conjunctione animorum per consensum, et in conjunctione corporum. Ideo ratione utriusque oportet esse bigamiam quæ causet irregularitatem. Hinc per Decretalem Innocentii Papæ abrogatur quod Magister ait in littera, dicens, quod solus consensus per verba de præsenti in secundam, sufficit ad irregularitatem causandam. Et sunt quatuor modi bigamiæ :

primus est quum quis plures habet uxores A de jure successive; secundus, quum simul habet plures, unam de jure, aliam de facto; tertius, quum habet plures successive, unam de jure, aliam de facto; quartus, quando non virginem ducit in uxorem. Contrahitur autem irregularitas et in secundis duobus modis bigamiæ, quia quamvis in altero non sit matrimonium, est tamen ibi quædam matrimonii similitudo, quæ non est in fornicario et adulterino concubitu. — Sed objici potest, quia contingit quod aliquis antequam cognoscat B carnaliter illam cum qua de jure contraxit, contrahat cum alia de facto, et eam cognoscat, prima vivente vel mortua, et ita contraxit cum pluribus de jure aut facto, nec tamen est irregularis. Dicendum, quod in tali casu non reputatur hujusmodi bigamus, quoniam primum matrimonium non habuit suam perfectam significationem. Tamen si per judicium Ecclesiæ compellatur ad primum redire, primam cognoscendo statim efficitur irregularis : quia irregularitatem non semper C facit peccatum, sed quandoque imperfectio significationis.

Præterea in conjunctione Christi et Ecclesiæ, unitas ex utraque parte invenitur : ideo sive divisio carnis invenitur ex parte viri, sive ex parte uxoris, defectus est sacramenti, diversimode tamen : quia ex parte viri requiritur quod aliam non duxerit in uxorem, non quod ipse sit virgo; sed ex parte uxoris requiritur quod ipsa sit virgo. Cujus ratio a decretistis assignatur, quia sponsus significat Ecclesiam mi- D litantem, cujus curam gerit episcopus, in qua sunt multæ corruptiones; sponsa vero significat Christum, qui virgo fuit : ideo ex parte sponsæ requiritur virginitas, non ex parte sponsi, ad hoc quod aliquis episcopus fieri possit. Verum hæc ratio est *Ephes.* v, 25. directe contra Apostolum, dicentem : Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam. Ex quo apparet quod uxor significat Ecclesiam, et sponsus Christum. *Ibid.* 23. Et item, quia vir caput est mulieris, sicut et Christus Ecclesiæ. — Hinc alii dicunt, quod per sponsum significatur Christus, per sponsam Ecclesia triumphans, in qua nulla est macula. Christus autem primo habuit Synagogam quasi concubinam : et ita non tollitur aliquid de perfectione significationis sacramenti, si sponsus prius habuit concubinam. Sed istud est valde absurdum, quoniam sicut una est fides antiquorum et modernorum, ita et una Ecclesia. — Idcirco dicendum, quod defectus in ipso sacramento causat irregularitatem. Corruptio autem carnis extra matrimonium quæ ipsum præcedit, nullum defectum facit in sacramento ex parte illius in quo est corruptio, sed ex parte alterius : quoniam actus contrahentis matrimonium non cadit super se ipsum, sed super alterum; idcirco specificatur ex termino, qui est respectu illius actus quasi materia sacramenti. Unde si mulier esset Ordinis susceptiva : sicut vir efficitur irregularis ducendo corruptam, non quia corruptus contrahit; ita mulier sumendo corruptum in contoralem, non ex hoc quod corrupta contraheret, nisi in alio matrimonio prius corrupta fuisset. Sicque patet cur vir fit bigamus corruptam ducendo in conjugem.

Sed his objici potest primo, quia si quis aliquam defloravit, et postmodum sumat eam in conjugem, corruptam accipit in uxorem; non tamen est irregularis, quoniam carnem suam non divisit in plures. — Secundo, si quis sumat corruptam in contoralem, quam æstimat virginem, quæritur an fiat irregularis. Videtur quod imo, ex dictis. Oppositum tamen probatur, quoniam nemo efficitur irregularis involuntarius.

Respondendum ad primum, quod in tali casu sunt opiniones diversæ, probabilius tamen est quod non fiat ex hoc irregularis, quoniam carnem suam non divisit in plures. — Ad secundum, quod irregularitas non est pœna inflicta, sed defectus ad sacramentum : ideo potest homo eam incidere involuntarie. Propterea qui uxorem

ducit corruptam, quam virginem credit, A irregularis efficitur dum eam cognoscit.

Porro si post matrimonium contractum mulier fornicetur, non efficitur ex hoc vir irregularis, nisi post corruptionem illius adulterinam iterato eam cognoscat : alias uxoris corruptio nequaquam cadit sub actu viri matrimoniali. Sed etiam si compellatur mulieri debitum reddere, sive per jus, sive ex propria conscientia, uxore id postulante ante condemnationem adulterii, efficitur irregularis, ut probabilior tenet opinio : quia irregularitatem non facit pec- B catum, sed imperfectio significationis.

Circa hoc quæritur, an bigamia per Baptismum tollatur. Dicendum, quod Baptismus aufert peccata, non tollit conjugia. Quumque irregularitas sequatur conjugium, non tollitur per Baptismum. De hoc tamen fuit inter sanctos doctores Hieronymum et Augustinum dissensio, dicente Hieronymo super Epistolam ad Titum : Si quis ante Baptismum plures habuit uxores, vel unam ante, aliam post, non efficitur irregularis, quoniam bigamia solvitur C per Baptismum. Contra quod loquitur Augustinus : Acutius intelligunt qui nec eum qui catechumenus aut paganus habuit alteram, ordinandum dixerunt : quia de sacramento agitur, non de peccato. Unde et iterum protestatur : Femina si catechumena vel pagana fuerit vitiata, non potest post Baptismum inter virgines Dei velari : ergo nec is qui ante Baptismum bigamus est, post Baptismum potest ordinari. Nec enim per Baptismum recuperatur indivisio carnis, sicut nec ipsa virginitas; nec D Baptismus ordinatur ad hoc, sicut ad culpam tollendam.

Insuper, cum bigamis potest dispensari, ut ad ordines promoveantur. Bigamiæ namque non est irregularitas annexa de jure naturali, sed positivo ; nec est de essentialibus Ordinis quod ordinandus non sit bigamus : imo si accedat, characterem recipit. Hinc Papa potest in tali irregularitate dispensare totaliter; episcopus vero quantum ad ordines minores, atque (ut aliqui dicunt) etiam quoad ordines majores circa eos qui volunt religionem intrare, ad vitandum religiosorum discursum. Unde et Lucius Papa dispensavit cum Panormitano episcopo, qui fuit bigamus.

Verumtamen objici potest, quoniam *extra* de Bigamis dicitur : Cum clericis qui quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensare. — Præterea contra jus divinum dispensare non licet. Sed Apostolus ait : Oportet episcopum unius uxoris virum esse. I *Tim.* III, 2.

Et respondendum ad primum, quod per illam Decretalem ostenditur eadem difficultas dispensandi esse cum illis clericis qui de facto cum pluribus contraxerunt, ac si de jure contraxissent; non quod simpliciter subtrahatur Papæ potestas dispensandi in talibus. — Ad secundum, quod contra ea quæ sunt juris divini, non dispensatur quoad illa quæ etiam sunt de jure naturali, et quantum ad ea quæ sunt de necessitate sacramentorum ac fidei. In aliis vero quæ sunt de institutione Apostolorum, id licet, quum Ecclesia nunc habeat eamdem potestatem statuendi ac destituendi quam tunc habuit, per eum qui in Ecclesia tenet primatum.

Et si rursus objiciatur, quod significatio essentialis est sacramento, et illa per bigamiam aufertur; dicendum, quod non quælibet significatio essentialis est sacramento, sed illa quæ ad effectum pertinet sacramenti : et illa per irregularitatem non tollitur. — Hæc Thomas.

Præterea Albertus circa hæc addit : Bigamia secundum antiquos est divisio unius in plures uxores. Dicitur autem bigamus a bis, et γάμος, quod in Græco significat mulierem. Notati sunt autem in jure quatuor modi quibus contrahitur bigamia. Primus, dum quis successive duas ducit uxores, quas ambas cognoscit carnaliter : et iste modus est principalis. Secundus est, quando duas habuit simul, unam de facto, alteram de jure. Tertius, quando unam habuit de jure, illaque mortua, secundam

ducit de facto, non de jure. Quartus, quando quis contrahit cum corrupta. Et isti sunt modi minus principales, dicti per accessum aliquem ad primum modum, secundum quod diversimode privari potest unicus et unius. Aut enim privatur per similitudinem sacramenti, aut sine similitudine tali. Si cum similitudine : aut successive, aut sine successione. Si sine successione, est secundus modus bigamiæ, qui imitatur Lamech; si cum successione, est tertius casus, qui imitatur secundas nuptias, quamvis non habeat exsistentiam seu veritatem earum, nisi sicut id quod est de facto imitatur id quod est de jure. Si vero sit sine similitudine sacramenti Matrimonii quod est inter duas successive in primis et secundis nuptiis, sic est quartus modus. — Hæc Albertus, qui alia multa utilia de his scribit, et casus tangit diversos, qui quæri possunt in eo.

Richardus quoque hic aliqua addit : Triplex est, inquiens, matrimonii significatio. Una est significatio unionis divisibilis inter Deum et animam per caritatem. Alia est significatio unionis indivisibilis inter naturam humanam et Filii Dei personam. Tertia est significatio indivisibilis unionis inter Christum atque Ecclesiam. Prima unio significatur per matrimonium non consummatum ; aliæ duæ, per matrimonium consummatum : non quod ipse concubitus eas significet, sed consummatio matrimonii, quæ est per actum illum. Quumque uni soli personæ divinæ sit unita una sola natura humana, et uni Christo una tantum Ecclesia; ideo consummatio matrimonii cum pluribus, et ducere corruptam ab alio, deficiunt a significationibus istis, et irregularitatem inducunt. Contrahitur autem irregularitas bigamiæ in casibus multis, utpote, in quatuor nunc prædictis. Quinto, dum quis contrahit cum vidua a priori marito cognita, et eam cognoscit. Sexto, dum contrahit matrimoniumque consummat cum corrupta ab alio, sive hoc sciat contrahens, sive non. Septimo, quando propriam uxorem cogno-

A scit postquam ab alio cognita est, sive hoc sciat, sive non. Hæc Richardus. — Concordat Petrus, Durandus, aliique communiter.

Denique circa præhabita, aliqua quærit Henricus Quodlibeto quinto et sexto. Primum est, utrum clericus celebrato matrimonio q. 38. per verba de præsenti, sed nondum consummato, si postea promoveatur in sacerdotem, possit debitum reddere uxori petenti, aut petere ab ea illud. Respondet : In hac quæstione et consimilibus est B aliquid considerandum quod pertinet ad naturam Matrimonii (et similiter sacramenti Ordinis), in quantum pertinet ad jus divinum institutionemque Christi, quod per se pertinet ad considerationem theologi; aliquid quoque quod pertinet ad observantiam ejus accidentalem, in quantum pertinet ad jus humanum et institutionem hominis puri, quod per se ad considerationem pertinet canonistæ. Quantum autem est ex natura Matrimonii secundum quod est institutum a Christo, nulla est C repugnantia actus matrimonialis post ordines sacros susceptos, neque ordinis suscipiendi post matrimonium jam contractum. Ideo clericus talis, quantum est ex natura institutionis Matrimonii a Christo, posset debitum reddere et petere. Si ergo in aliquo sit impedimentum ne valeat reddere, hoc provenit ex aliqua institutione Ecclesiæ. Quocirca sciendum, quod quandocumque Ecclesia circa aliquid statuit aliqua, utendum est eo secundum modum quo jus commune divinum ipso uti D permittit. Quumque in proposito Ecclesia nihil statuerit nisi quod castitatis observantia ordinibus sit annexa, non autem quod eorum susceptio separet matrimonium prius contractum, nondum per copulam consummatum, sicut hoc patet de religionis ingressu : idcirco tenendum, quod talium matrimonium non separaretur per sequentem ordinum susceptionem; et stante matrimonio, mulier non debet per factum viri suo jure privari. Ideo dico, quod vir talis aut tenetur religionem

intrare, ut sit absolutus a muliere, et ipsa A queat alteri nubere; aut tenetur mulieri petenti debitum reddere, quoniam obligatio viri ad castitatem per ordinum susceptionem, non debet juri feminæ in aliquo præjudicare, nisi forte posset illi objicere fornicationem carnalem aut spiritualem. Sed quia ordinibus sponte susceptis ad castitatem se obligavit juxta statutum Ecclesiæ, ideo quantum in se est, castitatem debet servare, nec debitum petere ab uxore.

q. 39. Insuper, respondendo ad istud, utrum B matrimonium in facie Ecclesiæ rite ac solenniter contractum, valeat solvi per religionis ingressum : Sacramentis (ait) Ecclesiæ est utendum secundum modum quo a Christo sunt instituta. Circa dissolutionem autem matrimonii quantum ad tori separationem, habemus Christi statutum, *Matth.* XIX, 9. dicentis : Omnis qui dimiserit uxorem suam, fornicationis causa excepta, etc. Et circa istam dissolutionem Ecclesia non statuit aliam causam, sed solum exponit sicut Christus hoc intellexit, prout hoc Christus C revelavit per Spiritum Sanctum Apostolis, et ipsi tenuerunt in suis observantiis, quamvis non redegerunt in scriptis. Circa dissolutionem vero quantum ad matrimonii vinculum, non habemus in scriptis Christi statutum; sed observantiam Ecclesiæ ab Apostolis descendentem per consuetudinem obtinuimus, quod scilicet per religionis ingressum vir mulierem ante copulam dimittere poterit. Nam et Christus sic creditur usus : dicit quippe Hieronymus in prologo super Joannem, quod D Christus Joannem a nuptiis revocavit. Quumque matrimonia ex natura rei efficaciam non habeant in quantum matrimonia sunt, sed solum ex institutione divina; sicut Christus instituit conjungi per consensum animorum, sic etiam statuit per animorum dissensum posse dissolvi, dummodo non sit ultra processum : et hoc in casibus ab Ecclesia instituendis, licet forte sit aliquis alius quam religionis ingressus. Et sic potius credo, quod vinculum matrimonii omnino dissolvitur per ingressum religionis, quam quod maneat. Quod tamen ponere non oportet : posset etenim dici, quod iste est unus casus separandi torum ante copulam, quemadmodum fornicatio post copulam, vinculo utrobique manente ; et quod separatione facta ante copulam, liceat alteri nubere, non autem post copulam; et quod hoc non sit ex natura rei, sed instituto Dei.

Præterea sexto interrogat Quodlibeto, utrum homicida ante Baptismum, possit q. 20. post Baptismum promoveri ad ordines. Ad quod respondendo, multa pulchra inducit, discutiendo cur bigami ante Baptismum, magis ab ordinibus repelluntur etiam post Baptismum, quam homicidæ ante Baptismum, etiam post Baptismum : quod (ut ait) non est ratione enormitatis bigamiæ, sed ex significatione et sacramenti defectu. Itaque ait : Ad quæstionem breviter dico, quod quantum est de jure divino, homicida ante Baptismum et post promoveri potest, sed quantum est de jure humano et statuto Ecclesiæ, solummodo ante Baptismum exsistens homicida, potest post Baptismum promoveri. — Hæc Henricus. Verum ad ultimum istud quæsitum loco opportuniori plenius poterit responderi. Quod item dixit Henricus, matrimonium nondum consummatum posse dissolvi per solum animorum dissensum, non videtur admodum certum, nec præhabitis consonum.

DISTINCTIO XXVIII

A. *Si consensus de futuro cum juramento faciat conjugium.*

Hugo, de Sacram. lib. II, p. XI, c. 5.

HIC quæri debet, utrum consensus de futuro, addito etiam juramento, conjugium efficiat : ut si quis promittat vel etiam juret alicui se usque ad tempus placitum illam ducturum, et illa promittat vel juret se illi nupturam; numquid talis sponsio eos conjuges facit ? Si mutato proposito alter vel uterque ad alienam copulam transit, numquid ob priorem sponsionem juramento subnixam, secundæ fœderationis pactum scindetur? Considera quia longe aliud est promittere, et aliud facere. Qui promittit, nondum facit. Qui ergo promisit se in uxorem ducturum aliquam, nondum eam duxit uxorem; et quæ spopondit se nupturam, nondum nupsit. Quomodo ergo conjuges appellari possunt, qui nondum contrahunt, sed in futuro se contracturos jurando promittunt? Item, si ex vi juramenti ad futurum pertinentis, mox efficiuntur conjuges, cur jurant in futuro se facturos quod in præsenti efficiunt? Item, si ex quo jurant, mox efficiuntur conjuges, tunc rem hanc efficiunt quam jurant se facturos. Ideo dico, quod conjugium tunc non fuit, sed futurum promittitur. Si vero ille post uxorem duxit, et illa marito nupsit; conjugium utrinque fuit, et non potest dissolvi. Præcedens ergo mendacium vel perjurium pœnitentia est corrigendum, sed conjugium sequens non est dissolvendum. Non autem sic est, quando juramentum conjugii, præsentis consensus attestatione firmatur : quia post talem consensum, si quis alii se copulaverit, etiam si prolem procreaverit, et irritum debet fieri, et ipse ad priorem copulam revocari.

B. *Quæ videntur obviare præmissis.*

Decret. p. II, caus. 30, q. 5, c. 9.

Præmissæ autem sententiæ videtur obviare illud quod leges tradunt : Si quis tactis divinis Scripturis juraverit mulieri se eam legitimam uxorem habiturum, vel etiam si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illi legitima uxor, quamvis nulla dos, nulla alia scriptura interposita sit. Sed hic ostenditur quid fieri vel esse debeat, non quid tunc fiat. Non enim per illud juramentum tunc fit uxor, sed fieri debet, quia juratum est. Potest et de illo juramento hoc dictum intelligi, ubi de præsenti consentiunt ac se invicem suscipiunt. — Illi etiam sententiæ qua dictum est, solum consensum facere conjugium, videtur obviare quod Evaristus Papa ait : Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his qui super feminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus sponsetur, et legibus dotetur, et a sacerdote, ut mos est, benedicatur, et a paranymphis custodiatur, ac solenniter accipiatur. Item : Ita legitima scitote esse connubia, aliter vero præsum-

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 6. Decret. loc. cit. c. 1. Ibidem.

pta ; non conjugia, sed adulteria vel fornicationes sunt, nisi voluntas propria suffragata fuerit, et vota succurrerint legitima. Hoc autem non ita intelligendum est, tanquam sine enumeratis non possit esse legitimum conjugium, sed quia sine illis non habet decorem et honestatem debitam. In hujus enim sacramenti celebratione, sicut in aliis, quædam sunt pertinentia ad substantiam sacramenti, ut consensus de præsenti, qui solus sufficit ad contrahendum matrimonium; quædam vero pertinentia ad decorem et solennitatem sacramenti, ut parentum traditio, sacerdotum benedictio, et hujusmodi, sine quibus legitime fit conjugium quantum ad virtutem, non quantum ad honestatem sacramenti. Sine his ergo non quasi legitimi conjuges, sed quasi adulteri vel fornicatores conveniunt, ut illi qui clanculo nubunt; Hugo, de Sacram. lib. II, p. XI, c. 6. et utique fornicatores essent, nisi eis suffragaretur voluntas verbis expressa de præsenti, quæ legitimum inter eos facit matrimonium. Nam et consensus occultus de præsenti per verba expressus, conjugium facit, licet non sit ibi honestus contractus. Sed matrimonium non sanxit consensus qui in occulto fuit. Si enim alter alterum dimiserit, non cogitur judicio Ecclesiæ redire et commanere quasi cum conjuge : quia non potest probari testibus contractus qui in occulto est factus. Quod si ipsi qui occulto sibi consenserunt, eumdem consensum voluntarie in manifesto profiteantur; tunc utique propria voluntas suffragatur, et legitima vota succurrunt ad sanciendum conjugium quod prius occulte fuerat contractum. Voluntas ergo verbis expressa in occulto, ad hoc suffragatur ut fiat conjugium; manifeste vero expressa, suffragatur ut sanciat et roboret, ac liberum sit Ecclesiæ de hoc judicare, si expedierit.

C. *De qua re sit consensus ille, an de carnali copula, an de cohabitatione, an de alio.*

Hic quæritur, quum consensus de præsenti matrimonium faciat, cujus rei con- Gratian. in caus. 27, q. 2, c. 2. sensus sit ille, an carnalis copulæ, an cohabitationis, an utriusque. Si cohabitationis consensus matrimonium facit, tunc frater cum sorore, pater cum filia potest contrahere matrimonium; si carnalis copulæ, tunc inter Mariam et Joseph non fuit conjugium. Proposuerat enim Maria in virginitate manere, nisi Deus aliter facere juberet, secundum quod videtur angelo dixisse : Quomodo fiet istud, quoniam virum non *Luc.* I, 34. cognosco, id est, me non cognituram proposui? Neque enim quia virum tunc non cognoscebat, necesse erat inquiri quomodo posset habere filium; sed quia se nunquam cognituram proposuerat. Dicit enim Beda, quod in virginitate manere dispo- Beda in Luc. I, 34. suerat. Si ergo contra suum propositum post consensit in carnalem copulam, videtur facta voti rea mente, etsi non opere violata. Dicamus ergo, quod consensus cohabitationis vel carnalis copulæ non facit conjugium, sed consensus conjugalis societatis verbis secundum præsens tempus expressus, ut quum vir dicit : Ego accipio te in meam, non in dominam, non in ancillam, sed in conjugem. Quia enim non ancilla Hugo, de Sacram. lib. II, p. XI, c. 4. vel domina datur, ideo nec de summo nec de imo a principio formata est, sed de

Gen. II, 21, 22. latere viri, ob conjugalem societatem. Si de summo fieret, ut de capite, videretur ad dominationem creata; si vero de imo, ut de pedibus, videretur ad servitutem subjicienda; sed quia nec in dominam nec in ancillam assumitur, facta est de medio, Hugo, de Sacram. lib. II, p. XI, c. 5. id est de latere, quia ad conjugalem societatem assumitur. Quum ergo sic conveniunt, ut dicat vir, Accipio te in meam conjugem; et dicat mulier, Accipio te in meum virum; his verbis vel aliis idem significantibus, exprimitur consensus non copulæ carnalis vel cohabitationis corporalis, sed conjugalis societatis : ex qua oportet eos cohabitare, nisi forte causa religionis pari voto corporaliter separentur, vel ad tempus, vel usque in finem.

SUMMA

DISTINCTIONIS VICESIMÆ OCTAVÆ

CIRCA præhabita movetur hic quæstio duplex. Dictum est enim, quod consensus mutuus contrahentium sit matrimonii causa. Quæritur ergo, an consensus de futuro, præsertim voto seu juramento firmatus, matrimonium faciat. Et ostenso quod non, inquirit, in quid seu de quo sit consensus ille mutuus per verba de præsenti expressus, qui matrimonium facit. Discutit quoque, an consensus mutuus per verba de præsenti in secreto expressus, matrimonium verum constituat.

QUÆSTIO UNICA

HIc quæritur, **An ad matrimonium contrahendum necessario exigatur expressio mutui consensus publica seu solennis, hoc est in facie seu conspectu Ecclesiæ, et consensus in copulam carnalem seu societatem conjugalem, et quid sit illa societas.**

p. 75 D', etc. Sed ad ista pro maxima parte jam ante responsum est.

Et arguitur primo, quod non requiratur expressio mutui consensus per verba de præsenti. Primo, quoniam sufficit expressio talis consensus per verba de futuro, A carnali copula subsequente. — Secundo, nil fortius ligat quam votum seu juramentum, quum dicat Apostolus, quod finis et determinatio omnis controversiæ sit juramentum. Hebr. VI, 16. Si ergo carnalis copula superveniens expressioni mutui consensus per verba de futuro, ad matrimonii veritatem sufficiat, multo plus juramentum superveniens erit sufficiens. — Tertio, hoc est juris divini seu jussio Dei, ut juramentum impleatur; estque ingratum Spiritui Sancto quidquid ei offertur, neglecto illo ad B quod quis tenetur. Qui ergo contraxit cum aliqua per verba de futuro, tenetur illam accipere, ac via juris ad hoc compellendus est, quantumcumque postea contrahat cum alia per verba de præsenti. — Quarto, tres sunt comites juramenti seu voti, secundum Hieronymum, qui sunt : judicium (id est discretio), veritas, et justitia; et quidquid contra hæc aut contra aliquod horum trium promittitur aut juratur, irritum est nec tenet. Sed hoc est contra discretionem atque justitiam, aliquam accipere in suam C per verba de præsenti cum quacumque promissione aut juramento, contra promissionem alteri factam per verba de futuro : ergo non obligat, nec est implendum. — Quinto, matrimonia clandestina ab Ecclesia prohibentur et reprobantur : ergo non tenent.

In oppositum sunt quæ habentur in littera.

Ad hæc Bonaventura respondet : Consensus non facit matrimonium, nisi ex-

primatur per verba de præsenti. Quia si A exprimatur per verba de futuro, non est consensus tunc : ideo non est matrimonii contractio, sed obligatio ad agendum. Idcirco vocantur sponsalia, quæ tunc firmantur quando simplici promissioni additur juramentum ; et secundum jura cogendus est ut mulierem accipiat in uxorem, nisi aliquis interveniat casus qui solvat sponsalia. Si autem carnalis superveniat copula, matrimonium est, quamvis animo constuprandi mulier cognoscatur : præsumitur enim quod eam tanquam uxorem cogno- B scat, ne commodum de sua reportet malitia. Verumtamen, si vir in eam legitime non consentit, imo ut meretricem cognoscit, non est secundum veritatem matrimonium. Attamen, quoniam coitus ille ex præcedenti sponsione est, probabile signum est matrimonialis consensus; estque matrimonium secundum judicium Ecclesiæ, et consulendum est tali ut de novo consentiat et debite sumat in suam, per efficacem et debitam formam verborum. Hæc Bonaventura. C

Qui etiam sciscitatur, utrum consensus conditionatus faciat matrimonium. Et respondet : Consensus conditionatus, si fiat per verba de futuro, judicari habet sicut consensus de futuro. Ideo, sicut consensus de futuro non facit matrimonium, sed desponsationem seu sponsalia, ita nec talis consensus conditionatus. Sed attendendum, quod conditio aut apponitur per modum pœnæ, aut ut determinatio contractus. Si per modum pœnæ, nullius est vigoris, quoniam matrimonia debent libera esse. Nec D tenetur quis ad hujusmodi pœnam, ut si dicat, Promitto contrahere tecum sub pœna centum marcarum; non tenetur ad illam pœnam, quamvis non contrahat secum. Si vero apponitur ut determinatio contractus sive consensus, distinguendum est : quia aut conditio est honesta, aut inhonesta. Si honesta, stant sponsalia, etc., Cf. p. 79 D'. ut dictum est paulo ante. Si autem consensus fuerit per verba de præsenti : aut conditio apposita est præterita, aut præsens, aut futura. Si præterita, ut, Accipio te in meam, si pater tuus est mortuus; vel de præsenti, ut, Accipio te in meam, si virgo es : sic stante conditione, stat matrimonium. Si autem conditio est de futuro : aut est de futuro necessario, ut, Accipio te in meam, si sol cras oriatur, et sic est matrimonium ; aut contingenti, et sic non est matrimonium, quia consensus dependet ex futuro, sicut ipsa conditio, nisi carnalis copula subsequatur, quia per eam intelligitur a conditione apposita recessisse.

Amplius quærit, an consensus tacitus facit matrimonium. Ad quod jam satis pa- p. 75 D'. tuit quod non. — Quærit etiam, an consensus expressus per verba de præsenti in occulto, verum matrimonium facit. Ad quod respondet, sicut in textu habetur, quod imo. Et objecta solvit sicut Magister in littera.

Postremo inquirit, in quid sit ille consensus contrahentium legitime per verba de præsenti. Ad quod respondet, quorumdam fuisse opinionem, quod in copulam carnalem : quod reprobat sicut Magister, Cf. p. 87 C. quia sic inter beatissimam Virginem et S. Joseph non fuisset matrimonium verum. — Aliorum ergo opinio fuit, quod necesse est consentire in copulam carnalem, non in particulari, sed in universali ; nec explicite, sed implicite. Necesse est enim consentire in copulam conjugalem, quæ continet quatuor in se, utpote : cohabitationem, obsequium mutuum, mutuam corporum potestatem, copulamque carnalem. Sed istud non sufficit, quoniam gloriosissima et præelectissima Virgo scivit legem conjugum, et angelo respondens, cogitavit de conjugum actu : aut ergo consensit, aut dissensit. Si consensit, ergo in copulam absolute consensit : quod fuit contrarium ejus voto. Si dissensit, ergo nec in generali neque in speciali consensit. — Tertia opinio est, quod oportet consentire carnalem in copulam absolute, vel sub conditione, videlicet nisi Deus aliter disponat, vel aliter ei placuerit; et sic consensit sacratissima Virgo, ut Augustinus,

infra distinctione tricesima, fatetur. Sed [A] certe omnis qui recte consentit, ita consentit. Et rursus, consensus matrimonium faciens, est absolutus, non conditionatus, præsertim dum conditio non stat. Deus autem nolebat præstantissimam Virginem viro misceri.

Idcirco dicendum, quod consensus matrimonium faciens, est consensus in mutuam suorum corporum potestatem. Et hoc sonant verba, quum dicunt : Accipio te in meam, et, Accipio te in meum. Et sic consenserunt felicissima Virgo et Joseph. [B] Verumtamen aliter datur potestas corporis in contractione matrimonii, aliter in ejus consummatione. Nempe in illa contractione sic datur uni, ut nequeat illo vivente alii dari ; sicque datur contorali, ut habeat jus petendi, et teneatur reddere petenti, nisi moriatur mundo per votum solenne castitatis, aut religionis ingressum. Quoniam ergo deificatissima Virgo, vel divina inspiratione, aut forsan ipsius Joseph relatione, novit quod ipse Joseph nunquam vellet uti potestate illa in cor- [C] pus Virginis summæ, sed potius ejus virginitatem fideliter custodire; ideo potuit dignissima Virgo se illi committere. Nam et sciebat, quod si ille vellet exigere, quod ipsa suum votum publicando posset contraire. Et si volumus istam mutuam corporum potestatem vocare copulam conjugalem, sic Virgo purissima consensit in copulam, sicut et omnes nubentes. In consummatione vero matrimonii transfertur potestas ista omnino, ita quod nec privato neque solenni voto possit petenti debi- [D] tum denegare. Sic ergo sapientissima Virgo consensit matrimonium contrahere, sed certa fuit quod nunquam consummaret : et hoc Spiritus Sancti revelatione, vel Joseph relatione, aut quia confidebat de sui voti publicatione. Et hoc tangitur in libello quem transtulit S. Hieronymus de Nativitate incomparabilis ac unicæ Virginis : qui quamvis apocryphus sit, multa tamen verissima continet. — Hæc Bonaventura.

Concordat his Thomas : Juramentum, inquiens, adhibetur ad confirmationem dictorum; ideo juramentum illud solum confirmat quod in dictis significatur, nec mutat significatum. Quumque verba de futuro ex sua significatione habeant quod non faciunt matrimonium, idcirco nec juramento adhibito faciunt illud.

Insuper de matrimonio possumus loqui dupliciter. Primo, quoad forum conscientiæ : et ita in veritate copula carnalis non habet quod matrimonium perficiat cujus sponsalia præcesserunt per verba de futuro, si interior desit consensus, præsertim quum nec verba de præsenti matrimonium facerent, si consensus deesset interior. Secundo, quantum ad judicium Ecclesiæ. Quumque in exteriori judicio judicetur secundum ea quæ foris apparent : quum nil possit expressius significare consensum quam copula ipsa carnalis; ideo secundum judicium Ecclesiæ, copula carnalis consequens sponsalia matrimonium complet, nisi expressa appareant signa doli aut fraudis. Etenim secundum juris interpretationem, consentit in matrimonium qui post sponsalia sic admiscetur desponsatæ. Quod si sponsa sponsum admittit credens eum velle matrimonium esse et illud consummare, excusatur a culpa, nisi expressa appareant signa fraudis, ut sunt magna distantia in nobilitate, opulentia, et consimilibus. Attamen sponsus peccat in fornicando, et plus in fraude quam facit.

Insuper consensus in occulto per verba de præsenti, facit matrimonium quantum ad ea quæ sunt de ejus essentia, non quantum ad pertinentia ad ejus solennitatem. Prohibentur autem clandestina matrimonia, propter pericula quæ inde proveniunt, quia frequenter in eis est fraus ex altera parte, et sæpe ad alia conjugia transeunt, dum pœnitent de his quæ subito facta sunt ; sed et turpitudinis speciem habent.

Præterea consensus qui matrimonium facit, est consensus in ipsum matrimonium : quia effectus proprius voluntatis est

ipsum volitum. Unde sicut se habet carnalis copula ad matrimonium; ita consensus qui matrimonium causat, est in carnalem copulam. Matrimonium autem (ut *Cf.* p. 90 A. dictum est) non est essentialiter ipsa carnalis conjunctio, sed associatio quædam viri et uxoris in ordine ad copulam illam, atque ad alia quæ ex consequenti spectant ad virum et conjugem, secundum quod eis datur potestas in invicem respectu copulæ carnalis; et hæc associatio conjugalis, copula nominatur. Unde patet quod recte dixerunt dicentes, quod consentire in matrimonium est consentire in copulam implicite, non explicite. Non enim debet intelligi nisi sicut implicite continetur effectus in sua causa : quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas utendi re est causa usus. — Hæc Thomas in Scripto. Idem Petrus.

Et concordat Richardus, qui etiam de matrimoniis clandestinis ait: Matrimonium clandestinum tripliciter dicitur. Primo, quod contrahitur sine præsentia testium. Secundo, quod contrahitur non adhibitis solennitatibus consuetis, quamvis in præsentia testium sit contractum. Tertio, quando fit sine denuntiatione præmissa. Quod autem clandestinum est primo modo, quamvis sit verum matrimonium secundum Dei et conscientiæ judicium, non tamen judicatur verum ab Ecclesia, quæ judicat secundum probata et allegata. Ideo si quis talis postea cum alia persona contrahit in facie Ecclesiæ, præcipitur cum illa alia habitare, et prohibetur ei accessus ad primam : cui tamen præcepto obedire non deberet quantum ad carnalis debiti redditionem, quoniam magis obediendum est judicio Dei et conscientiæ quam ecclesiastici judicis, qui secundum præsumptiones judicat. In quibus tamen obedire posset Ecclesiæ sine peccato, obedire tenetur : ut in subveniendo illi mulieri in necessariis

A vitæ, si illa indigeat et ipse tam illi quam alii mulieri posset sufficere.

Insuper, ad contrahendum matrimonium non est necessarius consensus explicite in id quod non est de essentia matrimonii; et tale est copula carnalis : quia contracto matrimonio, si conjugati voto concordi perpetuo continent, adhuc inter eos est matrimonium verum. Verumtamen, quum in essentia matrimonii contineatur copula carnalis, sicut usus in potestate ordinata ad usum, non necessarie, sed voluntarie;
B ideo aliquo modo implicite requiritur consensus in carnalem copulam ad matrimonium contrahendum, in quantum ad hoc necessarius est consensus mutuus in translationem corporis unius in potestatem alterius conjugis quantum ad concubitum conjugalem. Sed hoc non est consentire in carnalem copulam explicite neque implicite absolute, sed implicite, sub conditione si alter conjux uti voluerit potestate sibi concessa. Nihilo minus sacratissima Virgo contraxit cum Joseph, quoniam ex revela-
C tione Spiritus Sancti fuit certificata quod Joseph nunquam ab ea exigeret debitum. Qui autem contraherent cum ista conditione, quod nunquam sibi debitum reddent, excludunt translationem corporum suorum in potestatem alterius quantum ad copulam; et consensus ad illam translationem ad matrimonium requiritur : ideo tales non contrahere judicantur. — Hæc Richardus.

At vero Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto, testatur, quod Virgo dignis-
D sima consensit in copulam carnalem in universali, non in particulari. Quemadmodum enim est scire in universali, ita et consentire in universali. — Sed istud non apparet, quia si consensisset in copulam carnalem, non consensisset nisi in copulam sponsi seu viri sui, et ita consensisset in eam in particulari. Verum de hac re dicetur plenius infra, distinctione tricesima.

DISTINCTIO XXIX

A. *Coactio excludit consensum conjugalem.*

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 6. Decret p. II, caus. 31, q. 2, c. 3.

OPORTET autem consensum conjugalem liberum esse a coactione. Coactus enim consensus, qui nec consensus appellari debet, conjugium non facit, sicut testatur Urbanus Papa, scribens Sanctio regi Aragonum in hæc verba : De neptis tuæ conjugio, quam te cuidam militi daturum necessitatis instante articulo sub fidei pollicitatione confirmasti, hoc æquitate dictante decrevimus, ut si illa virum illum omnino, ut dicitur, renuit, et in eadem voluntatis auctoritate persistit, ut viro illi se prorsus deneget nupturam, nequaquam eam invitam ac renitentem ejusdem viri cogas conjugio copulari. Idem : Si verum esse constiterit quod nobis legati Jordanis principis retulerunt, scilicet quod ipse coactus et dolens, filiam suam nolentem, flentem et pro viribus renitentem, Rainaldo desponsaverit; quoniam legum et canonum auctoritas talia sponsalia non approbat, ne ignorantibus leges et canones nimis durum videatur, ita sententiam temperamus, ut si princeps cum assensu filiæ, id quod cœptum est perficere voluerit, concedamus. Sin autem, legatus noster utrasque partes audiat, et si nihil fuerit ex parte Rainaldi quod amplius impediat, ab ipso Jordane sacramentum, quo constent hæc quæ dicta sunt, accipiat; et nos canonum et legum scripta sequentes, deinceps non prohibemus quin alii viro si voluerit prædicta ejus filia, tantum in Domino, nubat. — Ex his apparet, conjugium fieri inter consentientes et spontaneos, non inter renitentes et invitos. Verumtamen qui invite et coacte conjuncti sunt, si postea aliquo temporis spatio sine contradictione et querimonia cohabitaverint, facultate discedendi vel reclamandi habita, consentire videntur, et consensus ille consequens supplet quod præcedens coactio tulerat.

(Ibid. c. 1.)

B. *Quis consentire dicatur.*

Hugo, ubi supra. Digest. de Sponsal. l. 7, § 1. Ibid. l. 11. Ibid. l. 12.

Consentire autem probatur qui evidenter non contradicit, secundum illud : In sponsalibus, eorum consensus exigendus est quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen semper patri filia consentire, nisi evidenter dissentiat. Item : Sponsalia, sicut nuptiæ, consensu fiunt contrahentium. Et ideo, sicut in nuptiis, ita et in sponsalibus patrifamilias filiam consentire oportet : quæ si patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur.

SUMMA

DISTINCTIONIS VICESIMÆ NONÆ

DECLARATO quid sit matrimonium, et qualiter contrahatur, jam declaratur qualiter et per quæ impediatur. Et primo nunc panditur, quod coactio illud impediat, et quomodo dupliciter sit consensus in aliquid.

QUÆSTIO UNICA

HIc quæritur, **Utrum coactio impediat matrimonii veritatem.** Quocirca inquiritur quid sit coactio, et quotuplex, et qualiter cadat in virum constantem, quum voluntas tam libera affirmetur, ut nequeat cogi.

Circa hæc scribit Antisiodorensis in Summa, libro quarto : Coactio duplex est, utpote, levis et violenta. Levis non impedit matrimonium contrahendum, nec dirimit contractum. Violenta coactio est, quæ generat justum metum. Est autem justus metus, dum quis metuit suæ vitæ a potestate majori, qua veretur sibi mortem inferri, aut membri mutilationem, aut corporalem servitutem, vel violationem uxoris suæ aut filiæ. In his quatuor casibus violenta coactio impedit matrimonium contrahendum, dirimitque contractum. — Et Augustinus. si objicias, quia voluntas coacta (ut ait auctoritas) est voluntas, ergo et coactus consensus est consensus; consensus autem per verba de præsenti expressus, facit matrimonium : ergo voluntas seu consensio coacta, est matrimonii causa, non impedimentum. Et dicendum, quod coactio violenta prætacto modo, matrimonium impedit duplici ratione. Primo, quia (ut ait Ambrosius) matrimonia coacta fines seu exitus pessimos solent habere. Secunda est propter sacramentum, quoniam matrimo-

A nium carnale, sacramentum est spiritualis matrimonii quod est inter Deum animamque fidelem : cui anima conjungitur non timore servili, sed puro ac spirituali amore, a quo longe est omnis violenta coactio. Matrimonium quoque ex tali timore contractum, non est matrimonium verum, imo nec matrimonium, sicut homo pictus vel mortuus non est homo. Quum ergo asseritur, quod voluntas coacta est voluntas, et similiter consensus coactus ; dicendum, quod non est simpliciter sic, sed secun-
B dum quid; vel intelligendum est de voluntate et consensu coactionis levis et insufficientis. Est autem coactio insufficiens, quæ non cadit in voluntatem, nec in virum constantem. Et est coactio sufficiens, seu inducens aut inclinans, quæ cadere potest in illos. Unde quidam dicuntur coacti Christum negasse, aut aliquid perpetrasse. Hæc Antisiodorensis in Summa, partim libro quarto, partim secundo.

Præterea Thomas diffusius loquens : Duplex est, inquit, coactio seu violentia. Una
C quæ facit necessitatem absolutam : et tale violentum, secundum Philosophum, est violentum simpliciter, ut dum quis alium impetuose impellit ad motum. Alia quæ facit necessitatem conditionatam : et hanc appellat Philosophus violentum mixtum, sicut quum aliquis merces projicit in mare, ne mergatur. Et quamvis id quod fit in hujusmodi violento, non sit voluntarium per se, attamen pensatis circumstantiis particularibus voluntarium est. Quumque actus sint circa particularia, ideo tale opus
D simpliciter voluntarium est, atque secundum quid involuntarium. Hinc violentia seu coactio ista potest esse in consensu, qui est in voluntate; non coactio prima. Et quia coactio ista oritur ex hoc quod formidatur periculum imminens, ideo ista vis idem est quod metus, qui voluntatem quodammodo cogit. Prima vero violentia seu vis cadit in corporalibus actibus. Verum quoniam legislator non solum considerat actus interiores, sed magis exteriores; idcirco per vim intelligit coactionem

simpliciter: propter quod vim dividit contra metum. Verum nunc agitur de consensu interiori, in quem non cadit coactio seu vis quæ a metu distinguitur: ideo quantum ad propositum pertinet, idem est coactio quod metus. Metus quoque, secundum jurisperitos, est instantis vel futuri periculi causa trepidatio mentis. Ex quibus patet an aliquis consensus possit esse coactus.

Præterea, si quæratur, an aliqua coactio metus cadat in virum constantem; dicendum, quod metum in aliquem cadere, est illum metu cogi. Cogitur quoque quis metu, quando aliquid facit quod alias non vellet nec faceret, ad evitandum aliquod malum. In hoc autem constans ab inconstanti distinguitur quantum ad duo. Primo, quantum ad qualitatem periculi quod timetur: quoniam constans rectam sequitur rationem, per quam scit quid pro quo sit dimittendum aut faciendum. Semper quippe minus malum est sustinendum, aut majus bonum eligendum. Ideo constans ad minus malum sustinendum cogitur metu mali majoris; non autem cogitur ad majus malum ut vitet minus malum. Inconstans vero cogitur ad majus malum metu minoris mali, puta ad malum culpæ timore mali pœnæ. Sed pertinax econtrario non potest cogi etiam ad minus malum sustinendum aut faciendum ut vitet majus malum: sicque constans est medius inter inconstantem ac pertinacem. Secundo differunt quantum ad æstimationem periculi imminentis: quoniam constans non nisi ex forti atque probabili æstimatione compellitur, inconstans ex levi. Unde in libro Proverbiorum: Fugit impius nemine persequente. Hinc constans (sicut de forti fatetur Philosophus) intrepidus est, non quod omnino non timeat, sed quia non timet quæ non oportet, vel quando et ubi et quomodo non oportet. — Denique peccata sunt maxima mala: idcirco nequaquam quis cogi debet ad peccandum, quocumque timore pœnarum, sed potius mori quam peccata admittere, ut etiam tertio Ethicorum ait Philosophus. Quædam

Prov. xxviii, 1.

A vero corporalia mala, sunt quibusdam aliis malis minora: inter quæ, præcipua sunt quæ pertinent ad personam, ut mors, verbera, dehonestatio per stuprum, et servitus. Idcirco ex istis cogitur constans ad alia corporalia damna ferenda; nec differt an ista pertineant ad propriam personam, aut uxoris, aut sobolis. Et quamvis infamia sit magnum malum, tamen ei facile potest occurri: ideo metus diffamiæ non reputatur cadere in virum constantem, secundum jura. Rursus, constans non cogi-

B tur ad mentiendum, quum metu promittit quod non vult solvere: quia vult dare quando promittit hoc; intendit tamen repetere, seu judici denuntiare.

Quæritur quoque, quomodo consensus coactus matrimonium tollit. Et respondendum, quod vinculum matrimonii est perpetuum: idcirco quod perpetuitati repugnat, matrimonium impedit. Metus vero cadens in virum constantem, perpetuitatem tollit contractus, quoniam peti potest restitutio in integrum. Constans quoque

C vocatur vir virtuosus, qui est mensura in actibus cunctis humanis, ut tertio Ethicorum habetur. Verumtamen aliqui dicunt, quod si adsit consensus, quamvis coactus, interius matrimonium sit quantum ad Deum, non quoad forum Ecclesiæ, quæ præsumit ibi non fuisse interiorem consensum propter metum. Sed hoc nihil est: quia Ecclesia non debet de aliquo peccatum præsumere quousque probetur. Peccavit autem, si dixit se consentire, nec consensit. Unde Ecclesia præsumit eum

D consensisse, sed judicat consensum illum extortum, non fuisse sufficientem ad matrimonium, ad quod requiritur voluntarium complete. Propter quod asserit Decretalis, quod consensus locum non habet ubi metus vel coactio intercedit. — Insuper, quum juxta præhabita, ad matrimonium exigatur utriusque consensus, non potest matrimonium esse ex parte unius, et non ex parte alterius, quum et matrimonium sit relatio non potens innasci uni extremo quin innascatur et alteri.

Cf. dist. xxvii, q. 1.

Præterea quæritur, an quis præcepto patris sui possit ad matrimonium contrahendum compelli. Videtur quod imo, quum dicat Apostolus : Filii, obedite parentibus per omnia. (Coloss. III, 20.) Isaac quoque præcepit filio suo Jacob, ut contraheret cum filiabus avunculi sui Laban. (Gen. XXVIII, 2.) — Respondendum, quod quum in matrimonio sit quasi servitus quædam perpetua, et filius sit liberæ conditionis, non potest eum pater cogere ad matrimonium. Sed potest ei persuadere pro posse ex rationabili causa; et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad patris præceptum : ut scilicet si causa illa cogat de necessitate vel honestate, præceptum similiter cogat. Porro verbum præallegatum Apostoli exponitur de omnibus in quibus filius non est liber sui, sed patris auctoritati subjectus, videlicet in pertinentibus ad regimen domus et curam rei familiaris. Jacob quoque aliunde tenebatur ad id quod pater suus Isaac sibi mandavit, quia feminæ illæ Chananææ erant superbæ et curiosæ, et earum posteritas erat terra illa privanda.

Sed his objici potest, quia spiritualis pater, Pontifex summus, potest compellere filios suos præcepto ad spirituale connubium, hoc est ad acceptandum episcopatum : ergo et pater carnalis, vel etiam ipse dominus Papa ad corporale conjugium potest præcepto adstringere. — Ad hoc aliqui dicunt, quod Papa non valet præcipere cuicumque quod episcopatum accipiat, quia consensus debet liber consistere. Sed hoc concesso, periret ecclesiasticus ordo. Nisi enim quis cogi posset ad suscipiendum regimen Ecclesiæ, Ecclesia conservari non posset, quum quandoque illi qui sunt idonei præsidere, nolint nisi coacti præesse. Ideo dicendum, quod non est hinc inde consimile, quia in spirituali matrimonio non est aliqua servitus corporalis sicut in corporali, quoniam spirituale matrimonium est tanquam officium quoddam dispensandæ reipublicæ in spiritualibus bonis, juxta illud Apostoli : Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. (I Cor. IV, 1.) — Hæc Thomas in Scripto. In quibus concordare videntur Albertus, Bonaventura, Petrus, Richardus et alii plures, quamvis Durandus et Scotus in his alia quædam imaginentur, quæ modici ponderis reputantur.

DISTINCTIO XXX

A. *De erroribus qui evacuant consensum.*

NEC solum coactio impedit vel excludit consensum, sed etiam error. Non autem omnis error consensum impedit. (Decret. p. II, caus. 29, q. 1.) Est enim error alius personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis : error personæ, quando hic putatur esse homo ille, et est alius; error fortunæ, quando putatur esse dives qui pauper est, vel econverso; error conditionis, quando putatur esse liber qui servus est; error qualitatis, quando putatur esse bonus qui malus est. Error fortunæ et qualitatis, conjugii consensum non excludit. Error vero conditionis, conjugalem consensum evacuat : de qua conditione postmodum tractabimus. Error quoque personæ, consensum conjugalem non admittit : ut si quis feminam nobilem in conjugium petat, et pro ea alia ignobilis tradatur ei, non est inter eos conjugium, quia non consensit

vir in istam, sed in aliam. Ut si quis promitteret mihi se venditurum aurum, et pro auro offerret mihi aurichalcum, et ita me deciperet; numquid dicerer consensisse in aurichalcum? Nunquam volui emere aurichalcum : nec ergo in illud consensi, quia consensus non nisi voluntatis est. Sicut ergo error materiæ excludit consensum, ita et in conjugio error personæ. — Sed objicitur de Jacob, qui pro Rachel septem annis servierat, et supposita est ei Lia. Numquid error personæ exclusit conjugium, quum non in eam, sed in Rachel consenserit? Sed quod ibi factum est, in mysterio gestum non improbe traditur. Ibi tamen etsi non præcessit, secutus est consensus; nec ex illo concubitu qui consensum præcessit, fornicarii judicantur, quum ille maritali affectu eam cognoverit, et illa uxorio affectu debitum persolverit, putans lege primogenitarum et paternis imperiis se illi jure copulatam. Excusatur etiam, quia Dei consilio in mysterio ita actum est. Hodie etiam excusaretur ille cui inscio uxoris soror, lectulum ejus ingressa, se subjiceret : quæ quum sine spe conjugii perpetuo manere censeatur, ille tamen qui cognovit eam per ignorantiam, excusatur. Quod per simile probatur : si enim diabolus transfigurans se in angelum lucis, credatur bonus, non est error periculosus. Quod autem vir ille in illam mulierem non consenserit, ex simili ostenditur. Si quis hæreticus nomine Augustini vel Ambrosii alicui Catholico se offerret, eumque ad suæ fidei imitationem vocaret: si ille assentiret, in cujus sententiam fidei diceretur consensisse? Non in hæreticorum sectam, sed in integritatem fidei, quam ille hæreticus se mentiebatur habere. — Error vero fortunæ, consensum non excludit : quæ enim nubit pauperi, putans illum esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit. Nec error qualitatis, ut si quis ducat uxorem meretricem vel corruptam, quam putat esse castam vel virginem, non potest eam dimittere.

Gen. XXIX, 23.

II Cor. XI, 14.

B. *De conjugio Mariæ et Joseph.*

Præmissis aliquid addendum est de modo illius consensus qui inter Mariam et Joseph intercessit. Sane credi potest, non solum Mariam, sed etiam Joseph apud se disposuisse virginitatem servare velle, nisi Deus aliter juberet; eosque sic consensisse in conjugalem societatem, ut uterque de altero revelante Spiritu Sancto intelligeret, quod virginitatem servare vellet, nisi Deus aliter inspiraret. Sed illam voluntatem verbis non expresserant; postea vero expresserunt, et in virginitate permanserunt. Consensit ergo Maria in maritalem societatem, sed non in carnalem copulam, nisi de eadem specialiter Deus præciperet. Cujus etiam consilio in maritalem consensit copulam; quia virginitatem servare volebat, et ideo non aliter consensisset in conjugalem societatem, nisi familiare Dei consilium habuisset. De qua Augustinus sic ait : B. Maria proposuit se servaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum non expressit in ore. Subjecit se divinæ dispositioni, proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virginita-

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 10.

Decret. p. II, caus. 27, q. 2, c. 3.

tem suam divinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo; postea vero simul cum viro labiis expressit, et uterque in virginitate permansit.

C. *Quod perfectum inter eos fuit conjugium.*

Inter quos, ut ait Augustinus, perfectum fuit conjugium : perfectum quidem non in significatione, sed in sanctitate. Sanctiora sunt enim conjugia pari voto continentium. Unde Augustinus : Quod Deo pari voto et consensu voveratis, ambo perseveranter reddere debuistis : a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem persevera. Non quia pariter temperabatis a commixtione carnali, ideo maritus tuus esse destiterat : imo vero tanto sanctius conjuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita servabatis. Perfectum ergo fuit Mariæ et Joseph conjugium in sanctitate ; perfectum etiam fuit secundum triplex bonum conjugii, fidem scilicet, prolem et sacramentum. Omne enim nuptiarum bonum, ut ait Augustinus, impletum est in illis parentibus Christi, fides, proles, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum ; fidem, quia nullum adulterium ; sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit : quia in carne peccati fieri non poterat sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato ; sine qua concipi voluit qui sine peccato futurus erat. Et licet non intercesserit conjugalis concubitus, conjuges tamen vere fuerunt mente, non carne, sicut et parentes ; quamvis Ambrosius dicat perfectum fieri conjugium per carnalem copulam. In omni, inquit, matrimonio conjunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat et perficit conjunctorum commixtio corporalis. Sed intelligendum est conjugium perfici commixtione corporali, non quantum ad veritatem vel sanctitatem conjugii, sed quantum ad significationem, quia perfectius unionem Christi et Ecclesiæ tunc figurat.

Decret. p. II, caus. 33, q. 5, c. 4.

Ibid. caus. 27, q. 2, c. 10. Aug. de Nuptiis et concup. lib. I, n. 13.

Decret. loc. cit. c. 39.

Ibid. c. 36.

D. *De causa finali conjugii.*

Exposito quæ sit efficiens causa matrimonii, consequens est ostendere ob quam causam soleat vel debeat contrahi matrimonium. Est igitur finalis causa matrimonii contrahendi principalis, procreatio prolis. Propter hoc enim instituit Deus conjugium inter primos parentes, quibus dixit : Crescite et multiplicamini, etc. Secunda est, post peccatum Adæ, vitatio fornicationis. Unde Apostolus : Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam, et unaquæque habeat virum suum. Sunt et aliæ causæ honestæ, ut inimicorum reconciliatio et pacis reintegratio. Sunt etiam et aliæ causæ minus honestæ, propter quas aliquando contrahitur, ut viri mulierisve pulchritudo, quæ animos amore inflammatos sæpe impellit inire conjugium, ut valeant suum explere desiderium. Quæstus quoque et divitiarum possessio frequenter est conjugii causa, et alia multa, quæ cuique diligentiam adhibenti facile est discernere. Nec est assentiendum illis qui dicunt, non esse conjugium quod pro-

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 1.

Gen. I, 28.

I *Cor.* VII, 2.

pter has causas minus honestas contrahitur. Constat enim ex præmissis, conjugium fieri ex communi consensu verbis de præsenti expresso, quamvis amor ad hoc attraxerit. Cujus rei documentum præstat Jacob, qui Rachel decoram facie et venusto adspectu amavit, eamque multum diligens, ait : Serviam tibi pro Rachel septem annis. In Deuteronomio etiam legitur : Si videris in medio captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque uxorem habere, introduces eam in domum tuam, etc.

Gen. xxix, 17, 18. — *Deut.* xxi, 11, 12.

E. *Quod malus finis non contaminat sacramentum.*

Et licet fine non bono contrahatur conjugium, quando species contrahentis movet animum, conjugium tamen bonum est, quia vita mala vel intentio perversa alicujus sacramentum non contaminat. — Habuit autem conjugium Mariæ et Joseph alias causas speciales, scilicet, ut Virgo solatio viri sustentaretur, ut diabolo partus celaretur, ut Joseph esset testis castitatis, defendens eam ab infamia suspicionis, ne ut adultera damnaretur.

Glossa, in Matth. I, 18.

SUMMA
DISTINCTIONIS TRICESIMÆ

HIC tractat Magister de alio impedimento conjugii quod dicitur error, et de quo errore intelligendum sit hoc, ponens distinctionem erroris. Specialiter quoque inquirit de matrimonio beatissimæ Virginis et S. Joseph, an fuit matrimonium verum, deinde an fuit consummatum. Et horum occasione determinat de finali matrimonii causa, et de diversis causis ipsius.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur, **Utrum [disparitas conditionis vel] error impediat matrimonium, et quis error, et qualiter.**

Videtur quod non impediat, quoniam Abraham contraxit vere cum ancilla sua nomine Agar; Jacob quoque cum ancillis principalium suarum uxorum. Sic et legitima cum illegitima vere contrahit omni

A die. — Imo quum hoc sit juris divini, quod uxor subjecta sit viro atque inferior illo, apparet quod error [conditionis] de quo in textu habetur, magis ad matrimonium conferat et coaptet.

In contrarium sunt quæ continentur in littera.

Circa hæc scribit Parisiensis in suo Sacramentali : Per leges et statuta rationabilia occurrendum fuit malis quæ circa matrimonium possunt accidere. Hinc ne-
B cessario condendæ fuerunt leges et statuta de matrimoniis contrahendis, cum eorum accessoriis ac sequelis. Quumque omnis positio et lex consona debeat esse naturæ, oportet leges et statuta hujusmodi naturæ proportionabiliter concordare. Mas aut femina dum matrimonialiter conjunguntur, dant sibi invicem plene dominium corporis sui. Impossibile vero est, duos plenarie aliquid possidere. Hinc qui est in potestate alterius, non potest sine illius licentia et consensu corporis sui dominium transferre
C in alium. Unde error in tali persona matrimonium impedire censetur. Et quoniam circa conjunctiones viri ac mulieris, multæ fiunt corruptiones et commixtiones no-

civæ ac vitiosæ, ad quas proni sunt multi, A necessarium fuit per magistratum Ecclesiæ contra talia providere. Quumque de pertinentibus ad magistratum nihil agendum sit sine dictamine et consilio ejus, constat matrimonia non esse contrahenda, nisi per magistratum cui commissum est matrimonia judicare. Hinc per prælatum Ecclesiæ, qui totius Ecclesiæ vices auctoritatemque gerit, seu per ejus vicarium ad hoc deputatum, est matrimonium contrahendum, non clam, sed palam, ut inquiratur de matrimonii impedimentis, qua- B tenus rite ac legitime, imo et secure in omnibus procedatur. Hæc Guillelmus.

De his plenius scribens Thomas : Quidquid, inquit, ex sua natura impedit causam, impedit et effectum. Quumque consensus sit matrimonii causa, id quod consensum evacuat, matrimonium quoque evacuare cognoscitur. Consensus vero actus est voluntatis, qui præsupponit actum intellectus; et primo deficiente, certum est defectum contingere in secundo. Itaque, quando error impedit cognitionem, sequitur in C consensu defectus, et per consequens in matrimonio. Et sic error, de jure naturali habet matrimonium impedire : nam etsi non contrarietur matrimonio secundum se, tamen contrariatur ei quantum ad causam suam. Hinc matrimonium quod fuit inter Jacob et Liam, non fuit perfectum ex eorum concubitu, qui contigit ex errore, sed ex consensu postmodum accedente, ut ait Magister. Uterque tamen a peccato excusatur, ut in littera continetur.

Quæritur item, an omnis error matrimo- D nium impediat. Respondendum, quod sicut error ex hoc quod involuntarium causat, peccatum excusat, ita habet quod matrimonium impediat ex eodem. Error autem non excusat a peccato, nisi sit illius circumstantiæ cujus appositio seu remotio facit differentiam liciti aut illiciti in actu. Si enim quis percutiat patrem suum baculo ferreo, quem credit ligneum esse, non excusatur a toto, quamvis forsan a tanto; sed si putet percutere filium causa disciplinæ, et percutiat patrem, excusatur a toto, dummodo diligentiam adhibuit debitam. Errorem ergo impedientem matrimonium, oportet esse alicujus eorum quæ sunt de matrimonii essentia : quod duo includit, puta, personas duas, et potestatem unius in aliam. Primum tollitur per errorem personæ; secundum, per errorem conditionis, quoniam servus non potest potestatem sui corporis alteri libere tradere sine consensu domini sui. Idcirco hi duo errores matrimonium impediunt, et non alii. Propter quod error non habet matrimonium impedire ex natura generis, sed differentiæ adjunctæ, videlicet in quantum est error alicujus eorum quæ de essentia matrimonii exstant. — Unde et error circa nobilitatem non evacuat matrimonium in quantum hujusmodi, sicut nec fortunæ diversitas neque varietas qualitatis. Verumtamen si error nobilitatis aut dignitatis redundat in errorem personæ, tunc impedit matrimonium. Hinc si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error de nobilitate ipsius non impedit matrimonium; si autem directe intendit consentire in filium regis, quicumque sit ille, et ei alius præsentetur, est error personæ, et matrimonium impeditur. Imo etiam error aliorum impedimentorum matrimonii, quantum ad ea quæ faciunt personas illegitimas, impedit matrimonium. Sed ideo de errore illorum impedimentorum Magister mentionem non facit, quoniam illa impediunt matrimonium, sive sint cum errore, sive non : ut quum aliqua contrahit cum diacono, sive sciat illum esse diaconum, sive non, non est matrimonium. Conditio autem servitutis non impedit, si servitus cognoscatur, et servus licentiam habeat domini sui. Denique error hæretici qui est circa ea quæ sunt matrimonium consequentia, ut an sit sacramentum, et utrum sit licitum, matrimonium non impedit.

Præterea si quæratur, utrum matrimonium possit esse ex consensu alicujus in aliquam propter causam inhonestam; di-

cendum, quod finalis causa matrimonii potest esse duplex : una per se, alia per accidens. Causa per se, est causa ad quam matrimonium directe per se ordinatur ; et hæc semper est bona, ut procreatio prolis, evitatio fornicationis. Causa vero matrimonii per accidens, est quam ipsi contrahentes intendunt ex matrimonio ipso. Et quia quod ex matrimonio intenditur, ad matrimonium sequitur, et ex posterioribus non variantur priora, sed econtrario ; idcirco ex illa causa non recipit matrimonium bonitatem aut pravitatem, sed ipsi contrahentes, quorum est finis per se. Quumque causæ per accidens sint infinitæ, ideo tales causæ matrimonii possunt esse infinitæ, quarum quædam sunt honestæ, quædam inhonestæ. — Hæc Thomas in Scripto. Consonat Petrus.

Et addit Richardus : Error circa substantialia matrimonii impedit matrimonium, ut error personæ et error conditionis, utpote servitutis ; non error circa accidentalia, ut error fortunæ aut qualitatis : divitiæ etenim et paupertas, pulchritudo et turpitudo, boni et mali mores, matrimonio sunt accidentales. Contrahens demum aliquando errat circa subjectum nobilitatis, aliquando circa nobilitatem subjecti. Primus est error personæ, ut dum intendens contrahere cum filia regis, contrahit cum filia civis : ideo matrimonium impedit. Secundus est error qualitatis, nec impedit illud, ut si contrahat cum persona sibi nota, quam æstimat nobilem, quum non sit. Hæc Richardus.

Idem Bonaventura : Error, inquiens, potest esse duplex in consensu. Primus circa personam, secundus circa proprietates personæ. Primus consensum tollit, et matrimonium impedit : ut qui contrahit cum Titio, credens quod sit Martinus. Et ad talem errorem oportet quod duplex persona occurrat : una in conspectu interiori, alia in exteriori ; et talis error facit consensum et voluntatem diverti ab eo qui apparet exterius, quoniam omnis consensus atque voluntas aliquam sequitur cognitionem.

A Nempe (ut asserit Augustinus) invisa diligere possumus, non autem incognita. Error vero proprietatum personæ non tollit omnino consensum : ideo nec matrimonium impedit, nisi error conditionis. Hæc Bonaventura.

Omnia etiam ista scribit Antisiodorensis, adjiciens errorem qualitatis et fortunæ non impedire matrimonium, quoniam non repugnat matrimonii bonis : quia tam bene concipit fidemque servat deformis et pauper ut pulchra et dives : imo multoties B melius, quoniam pulchritudo et opulentia divitiæque incitamenta sunt lasciviendi. Hæc Antisiodorensis. — Concordant et alii.

QUÆSTIO II

RUrsus hic quæritur, **An inter incomparabilem supermundissimam Virginem et S. Joseph fuerit verum et consummatum matrimo- C nium.**

Et de hoc jam supra dicta sunt aliqua. p. 89 C' et s. Et videtur difficile, quomodo sapientissima Virgo voto virginitatis emisso, potuit absolute contrahere. — Nec videtur matrimonium illud fuisse perfectum, cui non aderant bona conjugii ; nec consummatum, cui non adfuit copula propagativa carnalis.

Verum ad ista et consimilia Magister in littera compendiose respondet, præsertim ex Augustino.

D Insuper Thomas super his scribit, primo respondens ad istud, an sacratissimam Virginem decuit virginitatem vovere : In beata, inquiens, Virgine debuit apparere omne illud quod fuit perfectionis. Virginitas autem quamvis in se optima sit, tamen pro tempore illo matrimonium ei præferebatur, propter exspectationem seminis benedicti, per viam generationis venturi. Ideo beata Virgo vovit virginitatem tanquam quid optimum et acceptissimum sibi ; non tamen simpliciter, sed sub condi-

tione hac honestissima, nisi Deus aliter A secum ordinaret. Nec tamen conditionem istam apposuit quasi dubitans an vellet virgo manere, sed an deberet. Et hoc est quod asserit Augustinus, quod proposuit se virginem perseveraturam, nisi Deus aliter ordinaret. Et istud decentissimum fuit in ipsa, quoniam ipsa fuit confinium veteris Testamenti ac novi, sicut aurora, diei ac noctis. Propter quod votum ejus sapuit novam legem, in quantum vovit virginitatem; et veterem, in quantum adjecit conditionem. Hinc et perfectionem B consiliorum evangelicæ legis decuit inchoari in Virgine tanta; quemadmodum quantum ad consummationem, a Christo et in Christo debuit inchoari.

Deinde respondendo ad id, utrum Virgo beata debuit esse viro matrimonialiter juncta : Conveniens, ait, fuit Matrem Christi matrimonio esse junctam, tum propter causas in littera assignatas, tum propter alias : quarum prima est, ut significaret Ecclesiam, quæ est virgo et mater. Secunda, ut per Joseph genealogia dignissimæ C Virginis texeretur : quia non fuit consuetudo Hebræis, ex parte mulieris genealogiam describere. Tertia, ut virginibus excusatio tolleretur, si de fornicatione diffamentur. Quarta, quatenus Christus sua nativitate conjugium approbaret. Quinta, ut major virginitatis perfectio in gloriosissima Virgine ostenderetur, quæ et in matrimonio mansit virgo.

Verum his objici potest illud Hieronymi : Voventibus virginitatem non solum nubere, sed et nubere velle est damnabile. D — Rursus, consentiens in matrimonium, consentit saltem implicite in copulam carnalem.

Et respondendum, quod post votum virginitatis absolute factum, non licet in matrimonium consentire : quia si sit votum solenne, non fit matrimonium verum; si autem sit votum simplex, verum est matrimonium, attamen peccant sic contrahentes. Votum autem beatissimæ Virginis non fuit solenne, sed simplex, in corde conceptum et conditionatum, ut patuit. Ex speciali quoque et familiari Spiritus Sancti consilio in matrimonium consensit, imo et desuper fuit certificata quod etiam Joseph ejusdem fuit propositi : ideo non se commisit periculo nubens. Nec tamen ob hoc aliquid deperiit veritati, quoniam illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum. Talis quippe conditio quum sit contra matrimonii bonum, utpote prolem procreandam, matrimonium tolleret. — Ad aliud respondetur, quod copula carnalis continebatur implicite in beatissimæ Virginis consensu, quemadmodum actus in potentia continetur implicite. Potentia autem ad copulam virginitati non contrariatur, nec aliquid de ejus minuit puritate. Virgo quoque beata fuit certificata quod actus copulæ nunquam sequeretur in ea.

Amplius, rationes matrimonii Dominæ bene assignantur in littera : primo ex parte concepti, ut scilicet partus diabolo celaretur; secundo ex parte matris, ne lapidaretur; tertio ex parte Joseph, ut obsequeretur matri virgini ac filio ejus, et testis esset virginitatis illius. Verumtamen diabolus cognitione naturali bene perpendisset virginitatem Mariæ, si permissus fuisset. Habet enim naturalia lucida et valde acuta, multo plus quam homo. Sed homo etiam sensu potest cognoscere de puella an sit virgo. Diabolus quoque cognoscit eam virginem esse quæ nunquam conjuncta est viro aliterve corrupta : quod et de beatissima illa bene novisset, nisi prohibitus fuisset.

Verum his objici potest, quod diabolus per Christi miracula sufficienter cognoscere potuit, ipsum esse Filium Dei. Nihilo minus Christus evidenter fecit miracula. — Secundo, beatissima Virgo, quamvis non fuisset nupta, non potuisset lapidari propter simplicem fornicationem quasi adultera : ergo nec propter hoc oportuit eam nuptui tradere. — Imo apparet quod Judæi facilius credidissent Jesum esse Messiam, si mater ejus fuisset viro non tra-

Is. VII, 14. dita, quoniam scriptum noverunt : Ecce A virgo concipiet.

Et respondendum ad primum, quod per illa miracula non potuit diabolus aperte cognoscere Christi deitatem, quoniam simul vidit in eo signa infirmitatis et virtutis : unde quod aliquando aliquid de ejus divinitate confitebatur, magis ex præsumptione quam certitudine fuit. Sed istud propter præcedens vaticinium fuisset signum certissimum adventus Filii Dei. — Ad secundum dicendum, quod ratio illa intelligitur de lapidatione diffamiæ ; vel B quia gloriosa Virgo fuit de stirpe sacerdotali ex parte matris : unde Elisabeth de
Luc. I, 5, 36. filiabus Aaron ejus cognata fuit. Filia au-
Lev. XXI, 9. tem sacerdotis etiam non nupta, in stupro deprehensa, lapidabatur, ut legitur in Levitico. Sed ex parte patris fuit de tribu Juda et semine David. Nam simul contrahere poterant tribus Levi et Juda : imo natæ ex tribu Levi, conjungi poterant quibuslibet viris tribuum aliarum, quoniam non acceperunt hereditatem inter ceteras tribus, divisam ab aliis. Idcirco ex tali con- C jugio non provenit confusio sortium, ob quam vitandam aliæ tribus prohibebantur contrahere invicem. — Ad tertium, quod Christus maluit Judæos dubitare de sua deitate quam de suæ Matris integritate, sciens lubricam esse virginitatis famam, ut ait Ambrosius. — Hæc Thomas.

Attamen, contra solutionem primam illius argumenti objici potest, quod Christus fecit quædam miracula soli omnipotentiæ Dei possibilia, nec minora nativitate ex Virgine, per quæ sufficienter probavit se D
Joann. XV, 24. esse Messiam. Propter quod dixit : Si opera non fecissem quæ nullus alius fecit, pec-
Ibid. X, 37, 38. catum non haberent ; et rursus : Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, etsi mihi non creditis, operibus credite. — Insuper ex adimple-
Dan. IX, 24. tione hebdomadarum a Daniele prætaxatarum de Christi adventu, facile cognovisset diabolus Christum venisse. Similiter ex testimonio angeli ad pastores, et aliis multis, nisi divinitus fuisset prohibitus. Nec ignoravit diabolus prophetatum fuisse Dei Filium incarnandum : ideo quamvis vidit in Christo signa infirmitatis, nihilo minus cognovisset quod Deus esset : imo hinc certius perpendisset in eo duplicem esse naturam, divinam videlicet et humanam. — Hinc cum Augustino dicendum, quod diabolus in tantum cognovit Christum, in quantum permissus fuit cognoscere, prout super Joannem, Matthæum et Lucam diffusius demonstravi.

Quæritur item, an matrimonium illud fuit aliquando consummatum. Apparet quod imo, quum in Evangelio Christus vocetur primogenitus, et fratres habuisse legatur; et rursus, quod Joseph non cognovit eam donec peperit Jesum; et consimilia quædam sint scripta. — Dicendum, quod Mater Christi ante partum, in partu, et post partum in æternum virgo permansit. Sed ejus virginitati ante partum, Ebionitæ ac Judæi contradixerunt, mentientes Jesum ex semine Joseph natum. Virginitati vero ipsius in partu, philosophi derogabant, dicentes duo corpora simul esse non posse in loco eodem. Virginitati autem ejus post partum, Helvidius quidam idiota infelix sacerdos, ausus est derogare, qui loquacitatem putans facundiam, accepta disputandi materia, a blasphemiis Matris Dei incepit, dicens eam post partum a Joseph cognitam : contra quem vilissimum rudissimumque hæreticum gloriosus ac doctissimus scripsit Hieronymus.

Hæc sunt Thomæ.

Matth. I, 25.
Ibid. XII, 46.
Ibid. I, 25.

Ad objecta ergo dicendum, quod hoc ly antequam, in Scripturis non semper denotat ordinem ad illud quod futurum est secundum veritatem, sed quandoque ad illud quod futurum speratur secundum cursum communem, ut quum dicitur : Iste antequam haberet viginti annos, defunctus est. Similiter ly donec, interdum designat hoc quod præcessit terminari, veniente eo quod exspectatur, ut quum dicitur : Sede hic, donec veniam. Quandoque autem non, ut quum ad Corinthios dicitur : Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos, etc. Et in Psalmo : Sede

I Cor. XV, 25.
Ps. CIX, 1.

a dextris meis, donec ponam, etc. Numquid postea non sedebit ? In Scripturis quoque primogenitus interdum vocatur, ante quem nullus est natus, quamvis post ipsum non sit alius natus : alias unigeniti in lege non habuissent jus primogenituræ, nec debuissent Deo offerri. Quod autem Joseph cogitavit Mariam dimittere, fuit non quod aliquid indignum suspicabatur de ea, sed quoniam tantæ sanctitati cohabitare pertimuit. Item, quod Christus legitur habuisse fratres et sorores, intelligendum est de propinquis secundum carnem, eo modo quo cognati in Scripturis vocantur fratres. Nam et Joseph creditur virgo mansisse. — Hæc Thomas.

Idem Petrus. Qui et allegat Bedam dicentem : Beata Virgo proposuit corde virginitatem se servaturam, sed votum ore non expressit; postmodum vero una cum viro suo ore expressit. — Concordat Richardus prædictis per omnia; similiter et Albertus, Durandus, aliique communiter.

Bonaventura etiam addit : Totum quod in matrimonio beatissimæ Virginis gestum est, familiarissimo consilio Spiritus Sancti peractum est. Decuit etenim tam præelectissimam Virginem virginitatem vovere, triplici ratione. Primo, ut esset convenientissimum habitaculum Filii Dei, qui est *Sap.* VII, 26. *Hebr.* I, 3. candor lucis æternæ, splendor gloriæ, sapientia Patris, et sanctitas penitus infinita: unde decuit habitaculum ejus esse purissimum, puritate etiam voto firmata. Secundo, ut esset cunctis mulieribus atque virginibus totius virginitatis et castitatis exemplum : virginitas autem ex voto servata, consistit perfectior. Tertio, quia condecuit in ipsa excellentissima omnium mulierum virginumque regina esse privilegium, complementum, summumque apicem universæ virginitatis ac puritatis. Quum ergo in aliis multis virginitas decoretur, perficiatur et extollatur, in quantum procedit ex voto; rectissimum fuit talem eminentissime esse virginitatem summæ Mariæ, quam oportuit tanta puritate nitere, quod sub Deo major intelligi nequit.

Postremo Scotus : Beata, inquit, Virgo vovit (ut dicitur) virginitatem sub conditione, videlicet, nisi aliter Deus cum ipsa disponeret. Sed contra hoc est, quod in omni voto quantumcumque absoluto, subintelligitur ista conditio, si Deo placet : quoniam nullus debet offerre aliquid Deo, velit ipse vel nolit. Ideo dico, quod absolute vovit. Quod Sancti conjiciunt ex responsione et interrogatione qua dixit : Quomodo fiet istud ? etc. *Luc.* I, 34. Quæ quæstio fuit de supernaturali insolitoque effectu. Ideo nisi jam firmasset in corde suo, nequaquam se cognoscendam a viro, nulla fuisset interrogatio illa. Et ad hunc intellectum angelus ei respondit : *Ibid.* 35. Spiritus Sanctus superveniet in te, etc. — Quomodo ergo potuit contrahere matrimonium ? Responsio : In contractu matrimonii est mutua datio corporum ad copulam carnalem sub conditione implicita, scilicet si petatur. Unde contrahentes cum proposito statim vovendi castitatem, vere contrahunt. Maria autem certificata fuit quod illa copula nunquam ad effectum perduceretur, nec datio illa ad consummationem. Nempe quum in Matthæo legatur, angelum instruxisse S. Joseph, *Matth.* I, 20. Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; multo plus, imo indubitanter concluditur, quod ipsa per angelum, vel immediate a Deo antequam desponsaretur ipsi Joseph, audivit : Noli timere accipere Joseph virum justum in conjugem. Ecce enim Spiritus Sanctus dabit eum tibi custodem et testem tuæ virginitatis, qui tecum pari voto contineat, atque in multis ad custodiam virginitatis tuæ congruentibus obsequatur. Nec mirum de ista probabilitate : quidquid enim factum est in Joseph per visionem angelicam, totum factum est ratione Mariæ, quæ fuit immediata in illa ineffabili et admirabili conceptione Filii Dei. Hæc Scotus.

Et quamvis possint ista teneri, tamen rationes ejus non cogunt; et opinio ejus est manifeste contra Augustinum, dicentem quod sacratissima Virgo promisit virginitatem sub prætacta honestissima con-

ditione : quod utique decenter ac rationabiliter sonat. Quumque objiciatur, quod in omni voto quantumcumque absoluto, intelligitur talis conditio; dici potest, quod sapientissima Virgo explicite et formaliter conditionem illam apposuit, saltem in corde suo. Et constat quod ita non additur in omnibus votis : imo religiosæ personæ utriusque sexus in evangelica lege, absolute, seu sine tali expressa conditione, castitatem promittunt. Ex præta- A cta quoque responsione benedictissimæ et superhonestissimæ Virginis, qua dixit, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco; nil aliud probatur, nisi quod plenissimo cordis proposito statuit omnem virilem vitare amplexum. Ex hoc itidem quod angelus instruxit Joseph, non videtur opinio ista probari, quia illa instructio fuit quando ille bonus Joseph jam vidit Virginem fecundatam : unde voluit occulte dimittere eam.

Luc. I, 34.

DISTINCTIO XXXI

A. *De tribus bonis conjugii.*

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 4. Aug. de Genesi ad litt. lib. IX, n. 12.

POST hæc de bonis conjugii, quæ sint, et qualiter coitum excusent, dicendum est. Tria sunt principaliter bona conjugii. Unde Augustinus : Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne post vinculum conjugale cum alio vel alia coeatur; in prole, ut amanter suscipiatur, religiose educetur; in sacramento, ut conjugium non separetur; et dimissus vel dimissa, ne* causa prolis alteri conjungatur.

* nec

B. *De duplici separatione.*

Glossa, in I Cor. VII, 1.

Separatio autem gemina est, corporalis scilicet et sacramentalis. Corporaliter possunt separari causa fornicationis, vel ex communi consensu causa religionis, sive ad tempus, sive usque in finem. Sacramentaliter vero separari non possunt dum vivunt, si legitimæ personæ sint. Manet enim vinculum conjugale inter eos, etiam si aliis a se discedentes adhæserint. Unde Augustinus : Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges etiam separati, quam cum aliis quibus adhæserunt. Item : Manet inter viventes quoddam conjugale vinculum, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre : sicut apostatæ anima de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit, ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii. Item : Quibus placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut vinculum conjugale inter illos rumpatur : imo firmius hæret*, quo magis ea pacta secum gerunt, quæ carius concordiusque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis animorum affectibus. Et attende

Aug. de Nuptiis et concup. lib. I, n. 11. Ibidem. Ibid. n. 12.

* erit

Hugo, ubi supra.

quod tertium bonum conjugii dicitur sacramentum : non quod sit ipsum conjugium, sed quia ejusdem rei sacræ signum est, id est spiritualis et inseparabilis conjunctionis Christi et Ecclesiæ.

C. *Quod hæc tria adsint omni conjugio.*

Et est sciendum, ab aliquibus contrahi conjugium, ubi hæc tria bona non comitantur. Deest enim fides, ubi vir cum alia, vel mulier cum alio coit. Hoc ergo bonum ita conjugio adhæret, ut ex eo si adsit, amplius commendetur conjugium; si non adsit, non inde annihiletur. Quæ enim adultera est, non ideo conjux non est : imo si conjux non esset, adultera non foret. Non enim est adulterium, nisi quum fides tori violatur legitimi : quod quum fit, culpa committitur, sacramentum vero non cassatur. Bonum quoque prolis non omnibus adest conjugibus. Quidam enim pari voto continentiam servant; alii pro ætatis defectu, vel alterius rei causa generare non valent. Nec omnes illi, etiam qui prolem recipiunt, bonum prolis habent. Nam bonum prolis dicitur, non ipsa proles vel prolis spes quæ ad religionem non refertur, verum ad hereditariam successionem (ut quum quis heredes terrenæ possessionis habere desiderat); sed spes ac desiderium quo proles ad hoc quæritur ut religione informetur. Multi ergo prolem habent, qui tamen bono prolis carent; nec ideo tamen conjugium esse desinit. Sacramentum vero ita inseparabiliter conjugio hæret legitimarum personarum, ut sine illo conjugium esse non videatur : quia semper manet inter viventes vinculum conjugale, ut etiam interveniente divortio fornicationis causa, conjugalis vinculi firmitas non solvatur. Ubi vero non inter legitimas personas contrahitur conjugium, non adest illud bonum quod dicitur sacramentum : quia potest solvi talium copula, de quibus post dicetur. — Quod vero conjugium sit inter eos qui conjugali affectu, non tamen gratia prolis, sed explendæ libidinis conveniunt, nec fornicarii, sed conjuges appellentur, ostendit Augustinus, inquiens : Solet quæri, quum masculus et femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur, ea fide media, ut nec illa cum altero, nec ille cum altera faciat id, utrum nuptiæ sint vocandæ. Et potest fortasse non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit, et prolis generationem, quamvis non ea causa conjuncti sunt, non tamen vitaverint, ut vel noluerint sibi nasci filios, vel etiam opere malo aliquo agant ne nascantur. Ceterum si vel utrumque, vel unum horum desit, non invenio quomodo has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi ad tempus adhibuerit, donec aliquam dignam honoribus aut suis facultatibus inveniat, quam in conjugio adducat, animo ipse adulter est; nec cum illa quam cupit invenire, sed cum ista cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium, adulter est. — Ecce conjuges dicuntur, qui solius concubitus causa conveniunt, si tamen prolis generationem aliquo malo dolo non vitent.

Hugo, de Sacram. lib. II, p. XI, c. 8.

Aug. de Bono conjug. n. 5.

D. *De his qui procurant venena sterilitatis.*

Qui vero venena sterilitatis procurant, non conjuges, sed fornicarii sunt. Unde Augustinus : Aliquando eo usque pervenit hæc libidinosa crudelitas vel libido crudelis, ut etiam venena sterilitatis procuret ; et si nihil valuerint, conceptos fetus intra viscera aliquo modo exstinguat vel fundat, volendo prolem suam prius interire quam vivere ; aut si in utero vivebat, occidi antequam nasci. Prorsus si ambo tales sint, conjuges non sunt ; et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius convenerunt. Si vero ambo tales non sunt, audeo dicere : Aut illa quodammodo est mariti meretrix, aut ille adulter uxoris.

Aug. de Nuptus et concup. lib. I, n. 17.

E. *Quando sint homicidæ, qui procurant abortum.*

Hic quæri solet de his qui abortum procurant, quando judicentur homicidæ, vel non. Tunc puerperium ad homicidium pertinet, quando formatum est et animam habet, ut Augustinus super Exodum asserit ; informe autem puerperium, ubi non est anima viva, lex ad homicidium pertinere noluit. Dicit etiam Augustinus, quod informe puerperium non habet animam ; ideoque mulctatur pecunia, non redditur anima pro anima. Sed jam formato corpori anima datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine derivata. Nam si cum semine et anima exsistit de anima, tunc et multæ animæ quotidie pereunt, quum semen ex fluxu non proficit nativitati. Primum oportet domum compaginari, et sic habitatorem induci. Quum ergo lineamenta compacta non fuerint, ubi erit anima ? Item Hieronymus ad Algasiam : Semina paulatim formantur in utero, et tamdiu non reputatur homicidium, donec elementa confecta suas imagines membraque suscipiant. — Ex his apparet, tunc eos homicidas esse, qui abortum procurant, quum formatum est et animatum puerperium.

Id. Quæst. in Heptateuch lib. II, q. 8.
Decret. p. II, caus. 32, q. 2, c. 9.
Hier. Epist. 121, c. 4.

F. *De excusatione coitus qui fit per hæc bona.*

Quum ergo hæc tria bona in aliquo conjugio simul concurrunt, ad excusationem coitus carnalis valent. Quando enim servata fide tori, causa prolis conjuges conveniunt, sic excusatur coitus, ut culpam non habeat. Quando vero deficiente bono prolis, fide tamen servata conveniunt causa incontinentiæ, non sic excusatur ut non habeat culpam, sed venialem. Unde Augustinus : Conjugalis concubitus generandi gratia, non habet culpam ; concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter tori fidem, venialem habet culpam. Item : Hoc quod conjugati victi concupiscentia, utuntur invicem, ultra necessitatem liberos procreandi, ponam in his pro quibus quotidie dicimus : Dimitte nobis debita, etc. Ubi autem hæc bona desunt, fides scilicet et proles, non videtur coitus defendi a crimine. Unde in sententiolis Xysti Pythagorici legitur : Omnis ardentior amator propriæ uxoris, adulter est. Item Hieronymus : Sapiens judicio amat conjugem, non affectu ; non regnat in eo

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 3.
Aug. de Bono conjug. n. 6.
Hugo, ubi supra.
Hier. Contra Jovin. lib. I, n. 49.

impetus voluptatis, nec præceps fertur ad coitum. Nihil est fœdius quam uxorem amare quasi adulteram. Qui dicunt se causa humani generis uxoribus jungi, imitentur saltem pecudes; et postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos. Idem : In matrimonio opera liberorum concessa sunt, voluptates autem quæ de meretricum amplexibus capiuntur, in uxore sunt damnatæ. Hier. in Ephes. v, 27.

G. *De indulgentia Apostoli, quomodo sit accipienda.*

Sed si concubitus qui fit causa prolis, culpa caret, quid Apostolus secundum indulgentiam permittit? Ita enim ait : Hoc autem dico secundum indulgentiam. I Cor. vii, 6. Cui enim præstatur venia nisi culpæ? Per hoc etiam quidam probare volunt nuptias esse peccatum. Sed ut prædictum est, indulgentia alia est concessionis, alia permissionis. Cf. dist. xxvi D. Egerat Apostolus de nuptiis et de carnali coitu, et ad utrumque retulit illud : Hoc autem dico secundum indulgentiam. Indulgentur enim nuptiæ secundum concessionem, et concubitus nuptialis qui fit tantum causa prolis. Concubitus vero qui est præter necessitatem generandi ob incontinentiam, indulgetur secundum permissionem, quia ibi est aliqua culpa, sed levis. Ideoque non jubetur, nec conceditur, sed permittitur : quia non est laudabilis, sed venialis. De hoc Augustinus sic ait : Forte aliquis dicet, Si veniam concessit Apostolus, ergo peccatum sunt nuptiæ; cui enim venia nisi peccato conceditur? Plane, quod infirmitati permisit secundum veniam, audeo dicere peccatum esse. Veniam namque concedens Apostolus, concubitum attendit conjugatorum ubi est incontinentiæ malum. Incontinentiæ malum est, quod vir cognoscit uxorem etiam ultra necessitatem procreandi liberos, sed et ibi est nuptiarum bonum. Non enim quia incontinentia malum est, ideo conjugium ubi est concubitus præter intentionem generationis, non est bonum. Non propter illud malum, culpabile est hoc bonum; sed illud malum fit veniale propter bonum nuptiale : quod non reprehendit Apostolus, sed malum incontinentiæ. Item : Concubitum qui non fit causa prolis, nuptiæ non cogunt fieri, sed impetrant ignosci; si tamen non ita sit nimius, ut impediat tempora quæ orationi debentur, nec immutetur in eum usum qui est contra naturam. Concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis, et solus ipse nuptialis est. Ille vero qui ultra necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequitur; et hunc non exigere, sed reddere conjugi ne fornicetur, ad conjugem pertinet. Si vero ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt quæ non est nuptiarum; cujus delicti non sunt nuptiæ hortatrices, sed deprecatrices. Decus quidem conjugale est castitas procreandi, et reddendi carnalis debiti fides. Hoc est opus nuptiarum, quod ab omni peccato defendit Apostolus, dicens : Non peccat virgo si nupserit. Quum ergo culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est; quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges debitum carnis exposcunt, non propaginis voluntate, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter

Ap. Lyran. I Cor. vii, 6.
Aug. de Bono conjug. n. 11.
Ibid. n. 12.
I Cor. vii, 28.
Aug. de Nuptiis et concup. lib. I, n. 16.

nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Immoderata ergo progressio secundum veniam conceditur. Quocirca et hinc laudabiles sunt nuptiæ, quia etiam illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se : non enim iste concubitus quo servitur concupiscentiæ, agitur ut impleatur fetus quem postulant nuptiæ. Omnino ergo in genere suo nuptiæ bonæ sunt, quia fidem tori servant, et prolis suscipiendæ causa utrumque sexum commiscent, et impietatem separationis horrent. Sanctitati etiam conjugii nec conjux infidelis obesse potest, sed potius fidelis prodest infideli, ut Apostolus docet. — Ex his ostenditur, quod conjuges qui causa prolis tantum conveniunt, vel qui exigentibus debitum reddunt, defendit a peccato sanctitas conjugii bonumque nuptiale. Si enim absque peccato non posset fieri concubitus conjugalis, non præcepisset Dominus post diluvium eos copulari, dicens, Crescite et multiplicamini, quum jam sine carnali concupiscentia non possint commisceri.

Aug. Contra Julian. lib. III, n. 30. — I Cor. VII, 14. — Gen. IX, 1.

H. *Quod non omnis delectatio carnis peccatum sit.*

Sed forte aliquis dicet, omnem carnis concupiscentiam et delectationem quæ est in coitu, malam esse et peccatum, quia ex peccato est et inordinata. Et nos dicimus, illam concupiscentiam semper malam esse, quia fœda est et pœna peccati; sed non semper peccatum est. Sæpe enim delectatur vir sanctus secundum carnem in aliqua re, ut requiescendo post laborem, edendo post esuriem; nec tamen talis delectatio est peccatum, nisi sit immoderata. Sic et delectatio quæ fit in coitu conjugali, cui adsunt illa tria bona, a peccato defenditur. Videtur tamen B. Gregorius aliter sentire, scilicet quod sine peccato non possit fieri carnalis commixtio, dicens : Vir cum propria uxore dormiens, nisi lotus aqua, ecclesiam intrare non debet. Quamvis diversæ hominum nationes de hac re diversa sentiant, et alia custodire videantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis, et lavacri purificationem quærere, et ab ingressu ecclesiæ paululum temperare. Nec hoc dicentes, culpam deputamus esse conjugium; sed quia ipsa licita admixtio conjugis sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu est abstinendum, quia voluptas ipsa sine culpa nullatenus esse potest.

Hugo. Summa Sent. tract. VII, c. 3. — Decret. p. II, caus. 33, q. 4, c. 7.

I. *Determinat auctoritatem.*

Hoc autem ne prædictis obviet, intelligendum est in illis qui non gratia prolis conveniunt, quorum voluptas non est sine peccato. Et vix aliqui reperiri possunt adhuc amplexus carnales experientes, qui non interdum conveniant præter intentionem procreandæ prolis. Hoc autem quoties fit, ab ingressu ecclesiæ abstinendum est. Et quod ita intelligendum sit, Gregorius consequenter ostendit : Si quis vero sua conjuge, non cupidine voluptatis raptus, sed tantum creandorum liberorum gratia utitur; iste profecto, sive de ingressu ecclesiæ, sive de sumendo corporis

Ibidem.

dominici mysterio, suo est judicio relinquendus, quia prohiberi a nobis non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Quum vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habeant conjuges etiam de commixtione sua quod defleant. Tunc autem vir qui post admixtionem conjugis lotus aqua fuerit, etiam sacram communionem valeat accipere, quum ei secundum præfinitam sententiam, ecclesiam etiam licuerit intrare.

SUMMA

DISTINCTIONIS TRICESIMÆ PRIMÆ

INDUCTO tractatu de causis matrimonium constituentibus, hic tractat de tribus bonis actum matrimonialem, carnalem videlicet copulam, honestantibus, quæ sunt, fides, proles, et sacramentum. Deinde ostendit, quod non in omnibus conjugatis inveniuntur. Quocirca declarat, quando talia perpetrantes, videlicet prolem impedientes, sunt homicidæ, et quando non. Insuper, circa hæc movet difficultatem, quomodo scilicet apostolus Paulus asserit se actum matrimonialem secundum indulgentiam permittere, si per tria hæc bona ab omni excusatur peccato, imo et licite virtuoseque fiat. Consequenter inducit instantiam contra præmissa, ex verbis probans Gregorii, actum illum carnalem exerceri non posse sine peccato, et solvit.

QUÆSTIO UNICA

dist. xxvi, q. 1, 2. PORRO de istis jam supra inductæ ac motæ atque solutæ sunt plurimæ quæstiones. Attamen pro clariori intelligentia veritatis hic quæritur, **Utrum hæc tria bona habeant actum matrimonialem honestare, et utrum ab omni peccato ipsum sufficienter excusent, ita quod sine ipsis non careat culpa.**

Videtur quod fides non sit unum horum trium bonorum, quoniam inter infideles
A est verum connubium, nec illegitimi sunt
filii eorum ac filiæ, sed veri heredes possessionum suorum parentum. — Insuper, inter parentes beatissimi Joannis Baptistæ fuit verum honestissimumque connubium etiam antequam genuerunt tam sacram prolem : imo multorum matrimonia non habentium prolem, commendabiliora sunt quam eorum qui habent prolem. — Amplius, matrimonium est sacramentum : ergo sacramentum non est bonum ipsum
excusans. — Iterum, sicut præhabitum est, p. 62 B.
B actus matrimonialis esse potest, et dum
rite peragitur, est actus diversarum virtutum, videlicet caritatis, justitiæ, latriæ, etc. Actus autem virtutis, in se et per se laudabilis meritoriusque consistit, nec bonis eget extrinsecis quibus honestetur aut excusetur.

Circa hæc scribit Albertus, primo interrogans, in quo genere boni sit matrimonium, hoc est, an sit bonum delectabile, utile vel honestum. Et multipliciter arguit
C quod sit bonum delectabile, quum Salo-
mon dicat : Lætare cum muliere adole- Prov. v, 18.
scentiæ tuæ. Multi quoque desiderio delectationis matrimonium contrahunt, et actui illi natura delectationem præcipuam miscuit, ut ad actum illum homines magis alliciantur, nec horrore oneris conjugii retrahantur. — Ad quod respondet : Matrimonium est de bonis mixtis. Quæ autem sint bona mixta, docet Tullius in fine primi Rhetoricæ, utpote, quæ partim appetuntur intuitu utilitatis, et partim propria vi
D ac propria dignitate seu honestate nos at-
trahunt. Nec concedendum est aliquo modo, judicio meo, quod sit bonum delecta-

A bile : quoniam delectatio non est in ipso nisi sicut incidens bonum, sine quo non exercetur. Hæc vero media bona a digniori denominantur, et vocantur bona honesta. Salomon quoque in verbis præallegatis intendit, ut vir delectetur in conjuge, prout delectatio est adjuncta bono honesto. Et hæc est delectatio in bono rationis, puta in fide conjugali et significatione sacramenti, ac pietate prolis susceptæ. Nec natura admiscuit actui illi delectationem ut finaliter aut principaliter stetur in ea, sed per ipsam attrahatur ad melius bonum, a quo denominatio sumitur.

B Denique tria bona matrimonii, secundum quod sunt matrimonii bona, sunt in genere boni honesti, non tamen in eadem specie honestatis. Sumpta vero seorsum secundum se, non sunt in eodem genere boni : fides enim et proles in diverso sunt genere; nec proles quantum ad suam substantiam est in genere boni honesti, nec sic est matrimonii bonum, sed ut ordinata ac educata ad cultum Dei.

C Si autem quæratur, quid horum trium sit principalius matrimonii bonum ; respondendum, quod aliquid appellatur principalius matrimonii bonum tripliciter. Primo tanquam magis principaliusque intentum ab instituente matrimonium, imo et communiter ab utentibus matrimonio : et sic proles est principalius matrimonii bonum. Secundo, quod principalius participat bonitatis naturam : et hoc est fides. Tertio, quod essentialius ac finalius sequitur matrimonium : et hoc est sacramentum.

D Quæritur quoque, an tria ista sint matrimonii bona secundum quod matrimonium est in remedium culpæ, vel secundum quod est officium naturæ. Dicendum, quod tria ista efficiuntur a matrimonio secundum quod est officium naturæ, sed adjunguntur ei prout est in remedium culpæ : aliter enim nullatenus coitum excusarent. Proles quippe et fides et sacramentalis significatio sunt quidam effectus matrimonii primo modo accepti, seu contrahentium illud. — Fides demum (ut Haymo ait) dicitur a fio, fis : quia per eam fiunt quæ in matrimonio dicuntur seu mutuo promittuntur : ideo actus hujus fidei est, ne aliquis conjugum alteri misceatur. — Hæc Albertus.

Insuper Thomas circa hæc scribens : Nullus (inquit) sapiens debet jacturam aliquam sustinere, nisi pro recompensatione æqualis meliorisve boni. Idcirco electio rei habentis annexam jacturam, indiget adjunctione boni per cujus recompensationem ordinetur et honestetur. Quumque in conjunctione viri ac mulieris, jactura accidat rationis, tum propter vehementiam delectationis rationem absorbentis, tum propter onera, curam et tribulationes matrimonio junctas; electio conjunctionis hujusmodi ordinata esse non valet, nisi per recompensationem bonorum quibus illa honestetur conjunctio : et hæc sunt tria matrimonii bona et quasi intrinseca ei. Dicit autem Philosophus octavo Ethicorum, quod amicitia quæ est inter virum et uxorem, est naturalis, et claudit in se bonum delectabile et utile ac honestum. Etenim ex hoc ipso quod est in officium et remedium, habet rationem boni utilis ac honesti; attamen utrumque horum convenit ei ex hoc quod hujusmodi bona habet, quibus fit officiosum, et contra culpam remedium præbens.

Denique tria hæc bona sufficienter assignantur. Matrimonium namque est in officium naturæ, et est sacramentum Ecclesiæ. Et in quantum est in officium naturæ, ordinatur duobus, quemadmodum quilibet alius actus virtutis: quorum unum exigitur ex parte agentis, et hoc est intentio debiti finis, sicque bonum matrimonii dicitur proles; aliud ex parte actus, qui est bonus ex genere ex hoc quod super debitam cadit materiam, et ita matrimonii bonum est fides, per quam homo accedit ad suam, non ad alienam. Ulterius quoque habet aliquam bonitatem, in quantum est sacramentum, videlicet sacram significationem, quæ et ipso sacramenti nomine designatur. In prole vero non solum insi-

nuatur procreatio, sed et pia ac diligens educatio ejus. Fides quoque non sumitur hic prout est theologica virtus, sed ut est justitiæ pars, qua dicta fiunt in observatione promissorum : quia in matrimonio, quum sit quidam contractus, est quædam promissio, per quam talis vir tali mulieri deputatur. Similiter in promissione illa principaliter continetur ut sibi invicem debitum reddant. Imo fides non accipitur hic proprie pro virtute, sed pro quadam conditione virtutis, ex qua fides nominatur, quæ pars justitiæ ponitur. Sacramentum tandem, quemadmodum Magister testatur, non dicitur hic ipsum matrimonium, sed inseparabilitas ejus, quæ est signum ejusdem rei cujus et matrimonium.

Insuper aliquid nominatur principalius: primo, quoniam dignius ; secundo, quoniam essentialius. Primo modo sacramentum inter hæc tria est principalius, quoniam spectat ad matrimonium in quantum est gratiæ sacramentum ; alia vero duo, in quantum est naturæ officium : et perfectio gratiæ dignior est perfectione naturæ. Si autem principalius nuncupetur id quod essentialius est, distinguo. Fides namque et proles considerantur primo in se ipsis : et sic pertinent ad matrimonii usum, per quem proles producitur, et pactio conjugalis servatur. Indivisibilitas vero, quam sacramentum importat, pertinet ad matrimonium secundum se : quoniam ex hoc quod per pactionem conjugalem conjuges tradunt sibi invicem sui corporis potestatem, sequitur quod separari non possunt. Ideo matrimonium nunquam invenitur sine inseparabilitate; sed invenitur sine prole et fide, quoniam esse rei non dependet a suo usu : sicque sacramentum est essentialius matrimonio quam fides et proles. Secundo considerantur fides et proles, prout sunt in suis principiis, ut per prolem intelligatur intentio prolis, et per fidem debitum servandi fidelitatem : sine quibus nec matrimonium esse valet, quia hæc in matrimonio ex conjugali pactione causantur, ita quod si aliquid his contrarium ex-

A primeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset matrimonium verum. Sicque sumendo prolem et fidem, proles est essentialissimum matrimonio, deinde fides, et tertio sacramentum : quemadmodum etiam homini essentialius est esse naturæ quam esse gratiæ, quamvis esse gratiæ sit dignius.

Præterea si quæratur, an actus matrimonii excusari possit a culpa, etiam sine præfatis bonis ipsius ; dicendum, quod sicut bona matrimonii secundum quod sunt in
B habitu, faciunt matrimonium honestum et sanctum, ita etiam secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honestum, quantum ad illa duo matrimonii bona quæ ipsius actum respiciunt. Unde dum conjuges conveniunt causa prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant (quod ad fidem pertinet), excusantur totaliter a peccato. Tertium vero bonum non pertinet ad matrimonii usum, sed ad essentiam ejus : propter quod facit matrimonium esse honestum, non
C autem actum ejus, ut per hoc actus ejus sit immunis a peccato, quia alicujus significationis causa conveniunt. Ideo solum duobus modis conjuges absque omni peccato conveniunt, utpote, quando conveniunt causa prolis procreandæ, ad Dei obsequium educandæ, et causa debiti persolvendi ; alias semper est peccatum ad minus veniale. Dum autem sola natura movet ad matrimonii actum, non excusatur omnino a peccato, nisi in quantum motus naturæ ordinatur actu aut habitu ultra
D ad prolem, secundum quod proles est matrimonii bonum. Non tamen sequitur, quod actus naturæ sit malus, sed quod sit imperfectus, nisi ulterius ad aliquod bonum matrimonii ordinetur : alias staretur in creatura, quod sine peccato esse non posset. — Si autem quæratur, an peccet qui utitur conjuge solum ad fornicationem vitandam ; dicendum, quod si aliquis per actum illum intendit vitare fornicationem in uxore, non est peccatum : quoniam hoc est quædam redditio debiti, quod ad bo-

num fidei pertinet. Si vero intendit vitare A fornicationem in se, sic est ibi superfluitas aliqua, puta incontinentia quædam; atque secundum hoc est veniale peccatum; nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de venialibus culpis. — Si vero conjugem vir cognoscat causa sanitatis corporeæ, est aliqua culpa, quoniam matrimonium non est institutum ad hoc : quemadmodum qui ex Baptismo solum salutem quæreret corporalem.

Postremo quæritur, an semper peccet B mortaliter qui uxorem cognoscit non intendens aliquod matrimonii bonum, sed solum delectationem. Videtur quod sic, quia (ut ait Hieronymus) voluptates quæ de meretricum ampléxibus capiuntur, in uxore damnandæ sunt. (*Cf.* t. XXII, p. 288 D.) Dictum est quoque super secundum, quod consensus in delectationem, est mortale peccatum. Similiter usum creaturæ non referre ad Creatorem, videtur mortale. — Ad hoc quidam dixerunt, quod quandocumque ad actum conjugalem libido principaliter movet, est C mortale peccatum; sed quando movet ex latere, est veniale; quum vero delectatio omnino respuitur ac displicet, fit actus conjugalis sine culpa omnino : ut sic mortale sit, in actu illo delectationem quærere; oblatam autem acceptare, sit veniale; et ipsam odire, sit perfectionis. Verum hoc stare non valet, quia secundum Philosophum decimo Ethicorum, idem judicium est de delectatione et operatione : quoniam operationis bonæ delectatio bona est, et malæ mala. Quumque actus matrimonialis D non sit secundum se malus, quærere delectationem in eo non est de se peccatum mortale. — Idcirco dicendum, quod si delectatio quæratur ultra honestatem matrimonii, ut si quis uxorem accedat, non quoniam conjux est, sed quia est mulier, utpote paratus cum ea facere, quamvis uxor sua non esset, est mortale peccatum; et talis vocatur uxoris amator ardentior, quia extra matrimonii bona effertur. Si vero delectatio quæratur intra matrimonii limites, ut scilicet in alia non quæreretur quam in propria conjuge, peccatum est veniale. Et hoc Hieronymus vocat meretricias voluptates, quærere eas in uxore, sicut quæruntur in meretrice, utpote ex concupiscentia prædominante. Consensus quoque in delectationem hujusmodi seu in concubitum præcepto prohibitum, est mortale peccatum. Delectatio autem non prohibita, quamvis venialis, potest in quantum non prohibita, referri in Deum. — Hæc Thomas in Scripto. Idem Petrus.

Albertus etiam protestatur, quod ex libidine cognoscens uxorem citra matrimonii limites, obsequitur libidini, non ut fini, sed ut infirmitati, quia vehementia ducitur passionis : ideo in hoc solum venialiter peccat.

Præterea Richardus concordans præhabitis, etiam sciscitatur, an oporteat tria matrimonii bona esse in contrahentium intentione. Respondet quod non, loquendo de esse in intentione actualiter atque explicite; sed sic, loquendo de esse in intentione habitualiter et implicite. — Recitat quoque opinionem dicentium, quod actus matrimonialis fieri queat sine omni peccato, quamvis non fiat causa reddendi debiti nec desiderio prolis, sed causa vitandi fornicationem in se ipso, aut etiam desiderio moderatæ voluptatis. Primo, quoniam quærere moderatam delectationem in facto honesto, nullum penitus est peccatum. Delectatio etenim corporalis non est secundum se mala : aliter non esset virtus moralis eam modificans. Secundo, quoniam matrimonium non solum est officium naturæ, sed et remedium culpæ : ergo licitum est eo uti solum ad hoc quod culpa vitetur. Tertio, quia si quis gravem ægritudinem sustinens quæ curari non posset nisi per concubitum cum sua uxore, et ad hoc cognosceret eam, non videretur peccare. Quarto, quoniam sanctus Apostolus loquitur : Propter fornicationem (supple vitandam) unusquisque suam uxorem habeat. (I *Cor.* VII, 2.) Nec obest quod subdit, Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum im- (*Ibid.* 6.)

perium: quia per hoc videtur innuere quod A liceat, quamvis non præcipiatur. — Hæc Richardus. Verumtamen alia positio præinducta, securior, communior, Augustino quoque et Magistro consonantior esse videtur.

Amplius, Scotus contra præhabita arguit, quoniam somnus diutius privat hominem actu rationis quam actus matrimonialis, nec tamen assignantur bona somnum excusantia. — Ad quam objectionem respondet Richardus, quod somnus est quid naturale, quod vitari non potest, et per ipsum confortatur natura, et ratio vigora- B tur, ita quod somno expleto sit ratio ad suos actus robustior.

Durandus etiam consonat præinductis, excepto quod potius sentit, quod actus matrimonialis possit esse sine peccato, etiam quando fit causa vitandi fornicationem in se ipso, etc., præsertim quoniam vir magis tenetur sibi ipsi providere de evitatione peccati quam conjugi. — Scripta demum Bonaventuræ de his, omnino concordant responsionibus S. Thomæ. Supra quoque, *dist. xxvi.* dicta ipsius Bonaventuræ de his sunt inducta.

DISTINCTIO XXXII

A. *De solutione carnalis debiti.*

SCIENDUM etiam est, quia quum in omnibus aliis vir præsit mulieri, ut caput corpori (est enim vir caput mulieris), in solvendo tamen carnis debito pares *Ephes.* v, 23. sunt. Ideo Apostolus utrique pariter præcipit in hac causa sibi invicem subjici, inquiens : Vir debitum reddat uxori, similiter et uxor viro, quia mulier I *Cor.* vii, 3, 4. non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Quia nec mulier ad alium virum, nec vir ad aliam mulierem potestatem sui corporis habet; nec vir ad continendum nec mulier potestatem habet sine mutuo consensu ; sed alter alterius potestatem habet corporis, ut poscenti alteri non liceat alteri negare debitum. In hoc enim pares sunt, quia nec viro nec mulieri corpus suum licet alii tradere, sed sibi invicem debitores sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio : per quod non dominium tollitur viro, sed vitium. Debent Aug. de Bono conjug. n. 6. enim sibi conjugati, non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causa, quæ prima est in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ ad illicitos concubitus devitandos, mutuam quodammodo servitutem, ut etsi alteri eorum continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit. Ad hoc enim neuter habet potestatem sui corporis. Quod adeo verum est, ut etiam quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis et incontinentiæ causa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa, non sibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas. Reddere enim debitum conjugale, nullius Ibid. n. 7. est criminis ; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ est venialis; fornicari vero vel mœchari, puniendi est criminis.

B. *Quod neuter continere valeat nisi ex communi consensu.*

Quod vero sine consensu uxoris vir continere non valeat, subditis probatur
Decret. p. II, caus. 33, q. 5, c. 1. testimoniis. Ait enim Augustinus : Si dicat vir, Continere jam volo, Nolo autem, uxor; non potest. Quod enim tu vis, illa non vult. Numquid per continentiam tuam illa debet fieri fornicaria? Si alii nupserit, te vivo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus tale damnum compensari. Redde debitum; et si non exigis, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis
Ibid. c. 5. quod debes uxori. Idem : Secundum verba apostolica, etiam si vir continere voluisset, et tu noluisses, debitum tibi reddere cogeretur; et illi Deus imputaret continentiam, si non suæ sed tuæ concederet infirmitati, ne in adulterium caderes. Quisquis ergo compatiens infirmitati uxoris reddit, non exigit debitum; aut si propter propriam infirmitatem ducit uxorem, plangens potius quia sine uxore esse non potuit, quam gaudens quia duxit, securus exspectat diem novissimum. Idem :
Ibid. c. 6. Una sola causa esse potest qua te ad id quod vovisti, non modo non hortaremur, sed etiam prohiberemus implere : si forte tua conjux hoc tecum suscipere, animi vel carnis infirmitate recusaret. Nam vovenda talia non sunt a conjugatis nisi ex consensu et voluntate communi; et si præpropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persolvenda promissio. Non enim Deus exigit, si quis ex alieno
Ibid. q. 4, c. 12. aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum. Idem : Apostolus nec ad tempus, ut vacent orationi, nisi ex consensu, voluit conjuges carnali invicem fraudari debito.
Ibid. q. 5, c. 11. Idem : Manifestum est ita voluisse legem, feminam sub viro esse, ut nulla ejus vota quæ abstinentiæ causa voverit, reddantur ab ea, nisi auctor fuerit vir permittendo. Nam quum ad peccatum ejusdem viri pertinere voluerit lex, si prius permiserit et postea prohibuerit; non tamen dixit, ut faciat mulier quod voverat quia permissa jam prius a viro fuerat. Viri dixit esse peccatum, quia abnuit quod prius concesserat; non tamen mulieri ex hoc jussum dedit, ut quum prius vir ei concesserit, postea si prohibuerit, contemnatur. — Ex his apparet, quod vir vel mulier continentiam Deo offerre non potest sine communi consensu, nec alter alteri debitum negare debet. Si vero quilibet eorum alterum a suo jure absolverit, ad præteritam servitutem numquid revocare poterit? Hoc enim videtur Augustinus supra voluisse. Quibusdam videtur, quod mulier non discedens a domo viri, quæ viro permittente continentiam voverit vel promiserit, eodem prohibente, solvere non valeat; et hoc propter dignitatem viri, qui est caput mulieris. Sed melius hoc intelligitur in tali casu, ubi vir concedit mulieri vovere continentiam, et ante votum prohibet implere.
Ibid. c. 10. Si vero habitum mutaverit, non potest revocare, secundum illud : Qui uxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter convertatur.

C. *Quibus temporibus cessandum sit a coitu.*

Et licet debitum poscenti semper sit solvendum, non licet tamen qualibet die poscere. Unde Augustinus : Christiano cum uxore sua aliquando licet convenire, aliquando non. Propter processionis enim dies et jejuniorum, aliquando non licet convenire, quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit quod postulatur. Idem : Quotiescumque enim vel dies Nativitatis vel reliquæ festivitates advenerint, non solum a concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinete. Item Ambrosius : Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum, quia et dies festi et dies processionis, et ipsa ratio conceptus et partus, juxta legem cessare usum carnis his debere temporibus demonstrant.

Decret. p. II, caus. 33, q. 4, c. 5.
Ibid. c. 2.
Ibid. c. 4.

D. *Hieronymus videtur dissentire a præmissis.*

Illi autem quod dictum est, reddere debitum non esse peccatum, videtur obviare quod ait Hieronymus : Quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec carnes Agni edere. Item : Si panes propositionis ab his qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant; quanto magis panis qui de cœlo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulo ante hæsere complexibus, violari atque contingi ? Non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare a carnalibus operibus debeamus. — Hoc capitulum maxime ad ministros Ecclesiæ pertinere videtur, quibus non licebat sacra officia celebrare atque mysteria tempore conjugalis amplexus, quo etiam præsentia Spiritus Sancti non datur. Unde idem ait : Connubia legitima carent quidem peccato, nec tamen tempore illo quo conjugales actus geruntur, præsentia Spiritus Sancti dabitur, etiamsi propheta esse videatur qui officio generationis obsequitur.

Ibid. c. 1.
Ibidem.
I *Reg.* XXI, 4.
Joann. VI, 51.
Decret. p. II, caus. 32, q. 2, c. 4.

E. *Quibus temporibus non sunt celebrandæ nuptiæ.*

Nec solum in opere carnali observanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis, secundum illud : Non oportet a Septuagesima usque in octavam Paschæ, et tribus hebdomadibus ante festum S. Joannis, et ab Adventu Domini usque post Epiphaniam Domini, celebrare nuptias. Quod si factum fuerit, separentur. Item Nicolaus Papa : Nec uxorem ducere nec conjugia facere quadragesimali tempore, convenire posse ullo modo arbitror.

Ibid. caus. 33, q. 4, c. 10.
Ibid. c. 11.

SUMMA
DISTINCTIONIS TRICESIMÆ SECUNDÆ

JAM supra tractavit Magister de bonis matrimonii, et qualiter actum illum excusent. Hic declarat, qualiter circa ac- A tum illum maritus et uxor consistant æqualis conditionis, quanquam in aliis vir sit caput uxoris : ex quo concludit, quod neuter eorum sine consensu alterius possit se ad castitatem adstringere. Attamen ne ex hoc putetur quolibet tempore amplexi-

bus esse vacandum, ostendit quando inde cessandum sit, et item quibus temporibus a nuptiis celebrandis oporteat abstinere.

QUÆSTIO UNICA

Hic quæritur primo, **Utrum uterque conjugum tenetur ex præcepto alteri debitum reddere indifferenter quocumque tempore; et si non, quibus temporibus ad hoc tenetur, et quibus non.**

Videtur quod non semper teneantur ad hoc, quia hoc ipsum interdum obesset corpori et animæ, ut tempore menstruorum et infirmitatum quarumdam; temporibus quoque communionis et præcipuarum festivitatum, et diebus qui actibus afflictionis, compunctionis et præcipuæ devotionis sunt deputati. — Grave quoque videtur asserere, quod matronæ quædam multum devotæ mortaliter peccent, quæ maritis suis denegant commisceri ex quadam abundantia spiritualitatis ac voluptatum detestatione carnalium, sive ex senectute:
Gen. XVIII, 12. sicut in Genesi loquitur Sara, Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Quasi dicat, Non decet. — Rursus, qui consentit erranti, et cooperatur peccanti, cum ipso in vitiis communicat. Si ergo alter conjugum immoderate indiscreteque petat, non debet ei contoralis præbere consensum.

In oppositum sunt quæ habentur in littera, et quod debitum reddere est actus justitiæ, et cadit sub præcepto.

Ad hæc Thomas respondens: Matrimonium, inquit, principaliter institutum est in naturæ officium; ideo in actu ejus servandus est et considerandus modus naturæ, secundum quem vis nutritiva non ministrat generativæ nisi id quod ad individui conservationem superfluit. Nam istud naturalis ordo requirit, ut res prius in se ipsa perficiatur, deinde de sua perfe- A ctione communicet alteri: quod etiam dictat ordo caritatis et gratiæ, naturam perficiens. Idcirco, quum uxor in virum potestatem non habeat nisi quantum ad generativam virtutem, non quoad ea quæ ad conservationem individui ordinantur; vir tenetur uxori debitum reddere in his quæ ad generationem pertinent prolis, salva in primis propriæ incolumitate personæ. Si igitur uxor quærat immoderate et contra consistentiam congruam vitæ viri, non est petitio debiti, sed injusta exactio. B Hinc quoque si vir impotens fiat reddere debitum ex causa matrimonium consequente, ut ex præcedente debiti redditione, non habet mulier jus petendi plus ab illo: imo petendo, magis ostendit se meretricem quam conjugem. Si vero vir impotens sit ad hoc ex alia causa justa et licita, iterum excusatur, nec illa habet jus exigendi. Si vero causa illa illicita sit, ipse in culpa est, pœnitereque debet: alias crimen uxoris, si ex hoc in adulterium ruat, sibi quodammodo imputatur; ideo operam C dare debet pro viribus, ut uxor contineat.

Verum his objici potest, quod ex redditione debiti, conjuges a communione impediuntur, ad quam certis temporibus tenentur: sicque impletio hujus præcepti ab impletione alterius, imo et majoris præcepti, impediri videtur. — Quæritur quoque, an propter lepram alterius conjugum, alter ab exhibitione debiti excusetur. Quod imo apparet, quoniam ex semine leprosi nascitur proles infecta.

Et respondendum ad primum, quod quis D implens unum præceptum, potest ad tempus inhabilis fieri ad alterius impletionem præcepti, seu ad aliquod officium sacrum implendum: quemadmodum judex reum damnando irregularis efficitur. Similiter, implens præceptum redditionis debiti carnis, fit ineptus ad divina obsequia exsequenda, seu sacra mysteria participanda: non quod actus redditionis illius exsistat peccatum, sed ratione carnalitatis actus illius. Sicque (ut ait Magister) Hieronymus *Cf.* p. 115 D.
loquitur de ministris Ecclesiæ, dicens quod

carnes Agni comedere nequeunt nec orationi vacare qui uxori debitum reddunt. Et de hoc infra dicetur. — Ad aliud respondendum, quod lepra solvit sponsalia, non matrimonium. Ideo uxor viro quamvis leproso tenetur debitum reddere, non tamen tenetur ei cohabitare : nec enim tam cito ex coitu sicut ex frequenti cohabitatione inficitur. Et quamvis inde nascatur proles infirma, tamen melius ei est sic esse quam omnino non esse.

Quæritur quoque, an uxori etiam non petenti teneatur vir debitum reddere. Dicendum, quod dupliciter potest debitum peti : primo expresse, per verba ; secundo interpretative, per signa. Et si uxor petat per signa certa et evidentia, quamvis ex verecundia verbis non exprimat, tenetur ei vir debitum reddere, ac si verbis exprimeret.

Insuper quæri potest, an liceat mulieri menstruatæ debitum petere ; et rursus, an mulier talis debeat debitum solvere viro petenti. Ad horum primum dicendum, quod ad mulierem menstruatam accedere fuit in lege prohibitum, tum propter immunditiam mulieris, tum propter nocumentum proveniens proli ex commixtione hujusmodi. Et quantum ad primum, præceptum fuit cærimoniale; quantum ad secundum, fuit morale, quia quum matrimonium ad bonum prolis principaliter ordinetur, omnis inordinatus matrimonii usus, quo bonum prolis impeditur, prohibetur. Verumtamen fluxus menstruorum est duplex, utpote, naturalis et innaturalis. Naturalis, quem mulieres patiuntur temporibus determinatis, quando sunt sanæ. Innaturalis est, quando inordinate et quasi continue ex aliqua infirmitate fluxum sanguinis patiuntur; et in tali fluxu non est prohibitum mulierem accedere, præsertim in nova lege, quoniam tunc mulier propter infirmitatem nequit concipere, et quoniam fluxus talis perpetuus seu diuturnus consistit : unde oporteret virum semper a conjuge abstinere. Tempore autem fluxus illius naturalis potest concipere uxor, nec

A durat nisi ad modicum tempus : ideo prohibitum est eam tunc accedere, mulieri quoque tunc debitum petere. Unde in Levitico habetur : Ad mulierem quæ menstrua patitur, non accedes. Et super illud *Lev.* XVIII, 19.
Isaiæ, Omnes justitiæ nostræ quasi pannus *Is.* LXIV, 6.
menstruatæ, ait Hieronymus : Tunc viri debent ab uxoribus abstinere, quia tunc concipiuntur membris damnati, cæci, claudi, leprosi, et hujusmodi ; ut quia parentes non erubuerunt in conclavi misceri, eorum peccata pateant cunctis, atque aperte B redarguantur in parvulis. — Et si objiciatur, quod vir fluxum seminis patiens potest debitum petere ; dicendum, quod fluxus seminis in viro ex infirmitate procedit, nec semen sic fluens generationi est aptum, et talis fluxus est diuturnus : ideo non est simile. — Item, quamdiu mulier menstrua patitur, non potest pro certo constare an sterilis sit. Quædam enim in juventute sunt steriles, quæ processu temporis sunt fecundæ.

Ad secundum quæsitum quidam dixe- C runt, quod sicut mulier menstruata non potest debitum petere, ita nec reddere. Quemadmodum enim non teneretur reddere, si infirmitatem haberet in proprio corpore, ex qua periculum immineret ; ita reddere non tenetur, ad vitandum periculum prolis. Verum ista opinio derogare videtur matrimonio, per quod datur viro omnimoda potestas in corpus uxoris quantum ad actum matrimonialem. Nec est simile de periculo prolis et conjugis : quia si conjux infirmetur, certissimum est D quod ex actu carnali periculum ei immineat ; sed hoc non est ita certum de prole, cui forte non ita eveniet. Ideo alii dicunt, quod si vir ab uxore ita disposita debitum petat scienter, debet eum mulier quantum potest precibus monitisque avertere, non tamen ita instanter, ut sit viro occasio incidendi alias corruptiones damnabiles, si ad eas pronus credatur. Si autem petat ignoranter, debet mulier aliquam occasionem prætendere, et infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi viro periculum

timeatur. Tamen si vir non desistat, debet ei mulier reddere debitum. Nec tutum esset quod viro suam passionem insinuaret, nisi de ejus probitate atque prudentia pie præsumeret, ne forte abominationem ad ipsam concipiat. Nec obstat illud Levitici, *Lev. xx, 18.* Si quis ad menstruatam accedat, uterque morte moriatur : quia intelligendum est hoc quando uterque sponte consentit; sed in casu quo mulier invite acquiescit marito, non proprie ei consentit.

Amplius de hoc, an maritus et uxor æqualis sint auctoritatis in petendo reddendoque debitum, dicendum quod æqualitas duplex est : una quantitatis seu æquiparantiæ; alia proportionis. Æqualitas quantitatis est, quæ attenditur penes duas quantitates ejusdem mensuræ, sicut bicubiti ad bicubitum; æqualitas vero proportionis attenditur inter duas proportiones speciei ejusdem, ut dupli ad duplum. Loquendo ergo de prima æqualitate, vir et mulier non sunt æquales in matrimonio, nec quantum ad actum conjugalem, in quo id quod nobilius est, viro debetur; nec quantum ad dispensationem domus, in qua vir regit et regitur uxor. Sed quantum ad secundam æqualitatem, æquales sunt in utroque : quoniam sicut vir tenetur uxori in actu conjugali dispensationeque domus, ad id quod viri est; ita uxor viro, ad id quod uxoris. Sicque fertur in littera, quod sunt æquales in reddendo et petendo debitum. Uxor tamen non tenetur reddere debitum viro non petenti : et hoc per accidens est, quoniam vir non ita erubescit petere debitum sicut uxor.

Ex his patet solutio quæstionis qua petitur, utrum vir et uxor possint votum emittere contra debitum conjugale. Nempe quum vovere sit actus voluntatis, de illis bonis potest esse votum quæ nostræ subjacent potestati ac voluntati. Quumque conjuges sibi invicem teneantur in debiti redditione, non valent contra hoc quidquam vovere. — Et si objiciatur, quod vir potest accipere crucem, et abire in subsidium Terræ sanctæ, etiam uxore nolente,

A et tamen per hoc impeditur a debiti redditione; dicendum, quod satis probabile est quod uxor debeat velle continere ad subveniendum generali necessitati Terræ sanctæ. Ideo in favorem negotii pro quo crux datur, institutum est, quod liceat viro sine uxoris consensu accipere crucem : quemadmodum etiam posset domino suo terreno a quo feudum accepit, sine consensu conjugis militare. Nec tamen in hoc omnino subtrahitur uxori jus suum, quoniam potest virum sequi. — Verum circa B hoc quæritur, an unus valeat sine consensu alterius vovere non petere debitum. Dicendum, quod de hoc est duplex opinio : una quod imo, quoniam petere est potestatis et proprii juris. Alii dicunt contrarium, quia si unus eorum nunquam peteret, ex hoc matrimonium fieret alteri onerosum, dum unus semper subjaceret confusioni petendi hoc debitum. Et istud est verius.

Nunc respondendum ad ista, an liceat temporibus sacris et festivis reddere debi- C tum, et an peccet mortaliter qui tunc petit. Ad quæ dicendum, quod actus matrimonialis, etsi careat culpa, attamen sua delectatione deprimit rationem, et a devotione impedit mentem : idcirco diebus quibus specialiter divinis vacandum est, non est licitum petere. Denique, quum mulier habeat potestatem in corpus viri quantum ad actum illum, et econtra, tenetur unus alteri debitum reddere in quocumque tempore, et hora quacumque, salva debita honestate quæ in talibus exigitur : non enim D oportet statim in publico reddere. Et quamvis peccet qui petit, non tamen qui solvit, quia invite hoc facit. Hoc enim propter lubricum carnis est divinitus ordinatum, ut petenti debitum semper reddatur, ne qua detur peccati occasio. — At vero petere debitum in die festivo, non est circumstantia trahens ad aliam speciem culpæ : idcirco non potest in infinitum aggravare, et idcirco non peccat mortaliter vir seu uxor petens debitum die festivo. Majus tamen peccatum est, petere debitum solo

delectationis amore, quam timore incidendi A lubricum carnis. — Sed objici potest, quod primo Dialogorum sanctus refert Gregorius, mulierem in nocte a viro cognitam, mane a diabolo arreptam quum ad processionem venisset. Et respondendum, quod punita non fuit propter hoc quod debitum reddidit, sed quoniam paulo post contra conscientiam ad divina temere se ingessit.

Postremo quæritur, an nuptiæ interdicendæ sint temporibus in textu expressis. Dicendum, quod quando novæ sponsæ ducuntur, animus conjugum ex ipsa novitate B magis circa curam carnalium ac temporalium occupatur : propter quod in nuptiis solent ostendi multa signa dissolutæ lætitiæ. Hinc temporibus quando homines debent se specialiter ad spiritualia elevare, et compunctioni ac devotioni esse intenti, prohibitum est nuptias celebrari, videlicet ab Adventu usque ad Epiphaniam, præsertim propter communionem quæ secundum antiquos canones, in Natali fit Christi ; a Septuagesima quoque usque octavas Paschæ, propter communionem paschalem ; C et item a tribus diebus ante Ascensionem usque octavas Pentecostes, propter præparationem ad susceptionem adorandi paracleti Spiritus Sancti, et propter communionem tunc suscipiendam. — Hæc Thomas.

Eadem Petrus, qui tamen probabilius arbitratur, quod unus conjugum sine consensu alterius potest vovere non petere p. 118 B'. debitum, propter rationem prætactam.

Etiam sciscitatur, an tempore imprægnationis liceat exigere debitum. Videtur quod non : quia secundum Ambrosium super D Lucam, tempore illo est abstinendum, et fetus concepti ex coitu deformantur. Hieronymus quoque : Qui dicunt se causa humani generis uxoribus jungi, saltem pecora imitentur, et postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios. Pecora enim post conceptionem continent. In oppositum est, quod mulier gravida, secundum physicos, plus appetit coitum quam ante : ergo plus indiget remedio, id est viri sui commixtione, contra fornicationem. — Respondet : Aut sine periculo abortus potest debitum a gravida exigi seu reddi, aut non. Si potest, debet reddi ; et sine peccato mortali potest exigi, quoniam usus matrimonii licitus non solum est officium, sed etiam remedium. Si non potest sine periculo tali reddi, non debet exigi neque reddi, quoniam principalior est institutio in officium quam in remedium. Ambrosius itaque loquitur de debito honestatis, vel in casu quo est periculum prolis. Idem dicendum ad verbum Hieronymi. Nec est simile de homine et brutis, quia brutorum conjunctio solum est in officium, non in remedium.

Iterum quærit, an matrimonium contractum tempore interdicto, sit separandum. Videtur quod sic, quoniam concilium locu- Cf. p. 115 E. tum est : Non oportet a Septuagesima usque octavas Paschæ, et tribus hebdomadibus ante festum S. Joannis, et ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam nuptias celebrari ; quod si factum fuerit, separentur. — Dicendum, quod duplex est prohibitio Ecclesiæ : una simplex, alia irritans et annihilans quod in contrarium agitur. Prima prohibitione non obstante, tenet quod in contrarium agitur, sed peccat qui facit : et talis est prohibitio celebrationis nuptiarum. Secunda dirimit factum, et impedit faciendum. Ad objectum ergo dicendum, quod Ecclesia tripliciter separat matrimonialiter junctos : primo, quoad vinculum ; secundo, quoad torum et cohabitationem simpliciter ; tertio, quoad torum tantum et ad tempus. Primo modo separat personas illegitimas ; secundo modo, non servantes fidem in matrimonio ; tertio, eos qui contrahunt contra interdictum Ecclesiæ. — Hæc Petrus. Concordat omnino Richardus. Verumtamen positio illa S. Tho- Cf. p. 118 B'. mæ de hoc, an alter conjugum potest vovere non petere debitum sine consensu alterius, verior convenientiorque videtur : quia si alter nunquam petat, alius facile suspicatur se non amari ab illo, et quod alium amet tanquam adulter.

Bonaventura quoque tenet sicut ex Pe-

tro et Richardo jam dictum est; atque in ceteris, dictis ex Thoma concordat. — Et quærit, an conjux tenetur debitum reddere fornicanti. Respondet quod non, si constet sibi sic esse, nec ejusdem sit criminis; neque ab Ecclesia est cogendus, si possit probare. Si vero petat, privat se sua libertate, et ad solvendum se obligat.

Albertus item consonat præinductis, atque vituperat promittentem non petere debitum, quoniam periculosum est; et a tali promisso absolvere potest (ut ait) episcopus. — Asserit etiam, quod reddens debitum propter fidem tori atque justitiam, vel exigens propter bonum prolis, non sit a perceptione Eucharistiæ prohibendus, sed de hoc suo relinquendus judicio. Quæ autem in jure videntur contrarium dicere, per modum admonitionis aut consilii exponuntur.

DISTINCTIO XXXIII

A. *De diversis conjugii legibus.*

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 5. QUÆRITUR hic de antiquis patribus, qui plures simul leguntur habuisse uxores vel concubinas, utrum peccaverint. Ad quod dicimus : Pro varietate temporum varia invenitur dispensatio Conditoris. Ab exordio enim temporis, inter duos tantum, Adam scilicet et Evam, inchoatum est conjugium, Deo per os *Gen.* II, 24. Adæ dicente : Homo adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Et secundum inchoationis modum, inter duos tantum per omnem successionem temporum contraheretur conjugium, si primi homines in obedientia perstitissent. Post eorum vero copulam, filii et filiæ eorum matrimonio conjuncti sunt, sed unus uni tantum. Ideo autem fratres sororibus tunc sunt copulati, quia non erant aliæ mulieres vel viri, *Ibid.* IV, 19. quibus Adæ filii vel filiæ jungerentur. Primus omnium Lamech duas legitur simul habuisse uxores; et hoc in eo arguitur, quia pro expletione carnalis voluptatis id fecisse perhibetur. Postea vero, quum jam pene omnes homines falsis diis servirent, paucis in cultu Dei permanentibus, consultum est a Deo plures in matrimonio copulare sibi, ne illis paucis deficientibus, cultus et notitia Dei deficeret. Unde Abraham vivente uxore ad ancillam intravit, et ex ea genuit; Jacob etiam liberis et Gratian in Decret. p. II, caus. 32, q. 4, c. 2. ancillis se copulavit; et filiæ Lot patre ebrio usæ sunt. Quum enim ceteris in idololatria relictis, Abraham et filios ejus in peculiarem populum sibi Dominus elegisset, rite multarum fecunditate mulierum populi Dei multiplicatio quærebatur : quia in successione sanguinis erat successio religionis. Unde etiam in lege maledicta erat sterilis quæ non relinquebat semen super terram. Hinc etiam sacerdotibus conjugia decreta sunt, quia in successione familiæ successio est officii. Non ergo Abraham vel Jacob deliquit, quia præter uxorem filios ex ancilla quæsivit; nec tamen illorum exemplo præter conjugale debitum fecunditatem in aliqua licet alicui quærere, quum illorum conjugia nostrorum æquentur virginitati, et immoderatus usus conjugii nostri temporis, turpitudinem fere imitetur fornicationis illius temporis. De hoc

Augustinus sic ait : Antiquis justis non fuit peccatum quod pluribus feminis ute- Aug. de Bo-
bantur; nec contra naturam hoc faciebant, quum non lasciviendi causa sed gi- no conjug. n. 33.
gnendi hoc facerent; nec contra morem, quia eo tempore ea fiebant; nec contra
præceptum, quia nulla lege erat prohibitum. Idem : Objiciuntur Jacob quatuor Id. Contra
uxores; quod quando mos erat, crimen non erat. Sic Patriarchæ conjugibus exci- Faust. lib. XXII, c. 47,
pientibus semen suum miscebantur, non concupiscentia perficiendæ voluptatis, sed 48.
providentia propagandæ successionis : sicut Apostoli auditoribus suis admirantibus
doctrinam suam condelectabantur, non aviditate consequendæ laudis, sed caritate
seminandæ veritatis. Idem alibi : Antiquis temporibus, quum adhuc salutis nostræ Id. de Bono
mysterium velaretur, justi officio propagandi nuptias contrahebant, non victi libidine, conjug. n. 15.
sed ducti pietate; qui multo facilius continere possent et vellent. Utebantur tamen
conjugibus, et plures uni viro habere licebat, quas castius habebat quam nunc unam
quilibet istorum in quibus videmus quod secundum veniam concedit Apostolus.
Habebant enim eas in opere generandi, non in morbo desiderii. Item Ambrosius :
Dixit Sara ad Abraham : Ecce conclusit me Dominus, ut non pariam. Intra ergo ad Ambr. de
ancillam meam, ut filium facias ex ea. Et ita factum est. Considera primum, quod Abraham, lib. I, n. 23.
Abraham ante legem Moysis et ante Evangelium fuit. Non ergo in legem commisit *Gen.* XVI, 2.
Abraham, sed legem prævenit : nondum enim interdictum videbatur. Secundo con- Ambr. op.
sidera, quod non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ cit. n. 24.
captus decore, ancillæ contubernio conjugalem posthabuit torum, sed studio quæ-
rendæ posteritatis et propagandæ sobolis. Adhuc post diluvium raritas erat humani
generis, erat etiam religionis. Denique et Lot sancti filiæ hanc causam quærendæ
posteritatis habuerunt, ne genus deficeret humanum; et ideo publici muneris gratia
privatam culpam prætexit. Item Augustinus : Justus quamvis cupiat dissolvi et esse Aug. de Bo-
cum Christo, tamen sumit alimentum, non cupiditate vivendi, sed officio consulendi no conjug. n. 17.
ut maneat, quod necessarium est propter alios. Sic misceri feminis jure nuptiarum *Philipp.* I, 23.
officiosum fuit sanctis viris, non libidinosum. Quod enim est cibus ad salutem Aug. op. cit.
hominis, hoc est concubitus ad salutem humani generis; et utrumque non est sine n. 18.
delectatione carnali, quæ tamen modificata, et refrenante temperantia in usum natu-
ralem redacta, libido esse non potest. Quod autem in sustentando vitam illicitus est
cibus, hoc est in quærenda prole fornicarius vel illicitus concubitus; et quod est in
cibo licito immoderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus.

B. *Non præfertur virginitas Joannis castitati Abrahæ.*

Quod vero castitas virginalis non præferatur in merito conjugali castitati Abrahæ,
Augustinus ostendit inquiens : Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui Ibid. n. 27.
passus est, et in Joanne qui passus non est; sic non est impar meritum continentiæ
in Joanne qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham qui filios genuit. Nam
illius cælibatus et istius connubium, pro temporum distributione Christo militave-
runt; sed continentiam Joannes in opere, Abraham in solo habebat habitu. Melior Ibid. n. 28.

est autem castitas cælibum quam nuptiarum ; quarum unam Abraham habebat in usu, ambas in habitu : caste enim et conjugaliter vixit. Esse autem castus sine con-
Hier. Contra Jovin. lib. II, n. 4. jugio potuit, sed tunc non oportuit. Item Hieronymus : Quis ignoret, sub alta dispensatione Dei, omnes retro sanctos ejusdem fuisse meriti cujus nunc Christiani sunt? Quomodo Abraham ante placuit in conjugio, sic nunc virgines placent in castitate.
I Cor. X, 11. Servivit ille legi et tempori suo ; serviamus et nos legi et tempori nostro, in quos fines sæculorum devenerunt. — Ex his apparet, quod sancti patres ante legem sine peccato plures habuerunt uxores vel concubinas. Eas enim nunc uxores appellat Scriptura, nunc concubinas. Rachel tamen et Lia ambæ uxores fuerunt, non concubinæ.

C. *Oppositio.*

Si quis opponat, quod fidem tori non servabant illi patres; dicimus in hoc servasse fidem tori, quia non aliis, sed propriis uxoribus vel ancillis miscebantur.
Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 5. Lev. XVIII, 6 et seq. Deut. XXIV, 1. Matth. XIX, 8. Ecce quæ fuerit consuetudo in hac re ante legem. Legis vero tempore, interdixit Moyses carnalem copulam fieri cum matre, cum noverca, cum sorore, cum nepte, cum amita, cum matertera, cum nuru et aliis quibusdam. Permisit autem divortium fieri, dato libello repudii, in quo vir scribebat causas pro quibus uxorem repudiabat. Permisit autem aliam ducere, dato priori libello : quod propter duritiam cordis eorum permissum Christus dicit, non ut concederetur dissidium, sed ut tolleretur homicidium. Permisit fieri mala, ne fierent pejora; et hoc permittendo non Dei justitiam demonstravit, sed in peccatore minuit culpam.

D. *Cui licebat plures habere vel non.*

Sed numquid sub lege licebat habere plures uxores? Audi quid scriptum est in
Deut. XVII, 17. Aug. Quæst. in Heptateuch. lib. V, q. 27. Deuteronomio : Non habebit rex uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus. Super quem locum ait Augustinus : Manifestum est Salomonem hoc præceptum transiisse; David autem plures habuit, nec præceptum præteriit. Permissum est enim regi plures habere, non plurimas, quæ alliciant animam, multiplicare. Quum tamen
Deut. XVII, 20. additur, Ut non elevetur cor ejus, alienigenas prohibuisse videtur. Verumtamen multiplicatio uxorum generaliter prohibita est. Permissum est autem regi plures
Galat. IV, 4. habere, sed non multiplicare. Veniente autem plenitudinis tempore, quo Christi gratia ubique est dilatata, reducta est lex nuptiarum ad priorem honestioremque institutionem, ut unus uni in figura Christi et Ecclesiæ conjungatur. Nec quæritur electio muneris in successione generis, sed in perfectione vitæ et sinceritate scientiæ; et virginitas fecunditati præfertur, et sacerdotibus continentia indicitur.

E. *De virginitate mentis et carnis.*

Ambr. de Virginibus, lib. II, n. 24. Melior est autem virginitas mentis quam carnis. Unde Ambrosius : Tolerabilius est mentem virginem quam carnem habere; utrumque bonum est, si liceat; si non

liceat, saltem non homini, sed Deo casti simus. Virgo prostitui potest, adulterari non potest; nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam. Idem : Non potest caro ante corrumpi, nisi mens ante fuerit corrupta. Item Isidorus : Non potest corpus corrumpi, nisi prius animus corruptus fuerit; munda enim a contagione anima, caro non peccat. — In fine hujus capituli aperitur quomodo verum sit, nisi anima prius fuerit corrupta, corpus non posse corrumpi, scilicet peccato. Illud etiam Augustini advertendum est : Sicut (inquit) sanctius est mori fame quam idolothytis vesci, ita sanctius est defungi sine liberis quam ex illicito coitu stirpem quærere. Undecumque vero nascantur homines, si parentum vitia non sectentur, et Deum recte colant, honesti et salvi erunt. Semen enim ex qualicumque homine, Dei creatura est; et eo male utenti male erit, non ipsum aliquando malum erit.

Ambr. de Virginibus, lib. II, n. 26.
Id. de Lapsu virg. n. 11.
Isid. Synonym. lib. II, n. 7.
Aug. de Bono conjug. n. 18.

SUMMA
DISTINCTIONIS TRICESIMÆ TERTIÆ

HIC circa prædicta de bonis matrimonii, movet quæstionem de pluralitate uxorum in patribus quos Scriptura commendat, ita ut eos in hac pluralitate a transgressione oporteat excusare, quum tamen ab exordio ex institutione Creatoris conjugium fuerit inter duos, et ex pluralitate uxorum multa mala nascantur. Itaque probat, quod istud non licuit unquam nisi ex dispensatione divina. Deinde commendat veterum patrum castimoniam conjugalem eximie, in tantum ut asserat virginitatem sanctissimi Joannis Baptistæ præferri non posse conjugio Abrahæ. Consequenter declarat non idem esse, habere uxores plures, et plurimas. Deinceps pandit, sanctam virginitatem sub evangelica lege castimoniæ matrimoniali præponi debere.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur primo, **An habere plures uxores sit contra legem naturalem, et an licitum fuerit.**

Videtur quod sit innaturale atque illi-
A citum, quia per matrimonialem contractum maritus transfert corporis sui potestatem in conjugem, et econtra : ergo postquam transtulit sic in unam, non potest transferre in aliam; imo injuriam facit priori, cui aufert quod ejus est, et furtum ac rapinam committit in eam. — Insuper, unus vix sufficit uni solvere debitum conjugale. — Deus quoque, totius ordinis, juris ac potestatis fons, causa et finis, ab exordio instituit unam uni tantummodo sociari. — Imo uni viro plures uxores conjun-
B gi parit inter illas dissensiones, et minuit caritatem. — Lamech etiam qui primus bigamiam induxit, duas ducendo uxores, juste ac plurimum vituperatur.

Circa hæc scribit Guillelmus Parisiensis in suo Sacramentali : Quemadmodum natura unum et unam adunat, et binos tantum conjungit ad perficiendum opus generationis; sic lex binos et binas conjungere matrimoniis seu matrimonialiter debet. Amplius, si extrema consistunt in duobus,
C necessario et media. Quumque extrema in duobus consistant, videlicet vis generativa et proles (proles enim non est nisi duorum, vis quoque generativa duorum ramorum est) : ergo et opus generationis, quod est unum mediorum, in duobus consistit, utpote uno mare et femina una : ergo et reliquum medium, scilicet matrimonium, quod est quasi generandi officium.

Amplius, quum vir et mulier matrimonialiter conjunguntur, aut dant sibi invicem in plenum alter alteri corporis sui dominium ad opus generationis ; aut alter dat, alter non dat; aut in parte seu pro parte sibi invicem hoc concedunt. Si totaliter et integre, manifestum est quod non potest esse matrimonium nisi inter unum et unam : impossibile est quippe duos plene aliquid possidere divisim, ita quod uterque illud pleno jure possideat. Si enim vir pleno jure esset mulieris istius quantum ad usum sui corporis conjugalem, B non nisi de licentia ejus posset alia mulier uti jure eodem : hoc autem falsum est, quum pleno jure esset alterius secundum hoc. Quod si dicatur, quod alter dat plenum jus corporis sui alteri, non econtra, manifestum est quod ex altera parte matrimonium non sit, sed (ut dici solet) ex altera parte claudicatio est propter imperfectionem consensus, et quoniam non dat alteri absolute jus utendi corpore suo, sed ad tempus, ut concubina seu meretrix, aut amator turpis, aut fornicator. Inter quos C quamvis ad tempus sit vinculum societatis, nemo tamen vocat illud matrimonium: consentire namque ad tempus seu dare ad tempus usum corporis sui, nequaquam est matrimonialis contractus. — Hæc Guillelmus. Qui hanc disputationem prolixe ac pulchre prosequitur, non solum in suo Sacramentali, sed etiam libro de Fide et legibus. Ex quibus concludit, quod nec licitum est nunc, nec unquam licuit uni viro simul habere duas uxores aut plures, et quod omnes qui leguntur plures simul D habuisse uxores, non nisi unam veram habuerunt uxorem, ita quod ceteræ omnes fuerunt concubinæ. Quod tamen prima facie horribiliter sonat : idcirco addendum est, quod sine dispensatione omnipotentis Dei nunquam licuerit, prout infra tangetur.

Hinc in Sacramentali idem doctor subjungit : Quæstionem nobis pariunt exempla patriarcharum et regum sanctorum, Abrahæ, Jacob, David, qui non solum plures A uxores, sed et concubinas habuisse leguntur. Ad quod respondendum, viros illos Dei spiritu præditos, nihil sine Dei consilio ac revelatione in rebus tam discriminosis egisse aut attentasse ; Deum quoque altissimum ex certa causa eis ultra communem legem aliquid indulsisse. Sciebat etenim eos velle portare onera multitudinis matrimoniorum (large utendo matrimonii nomine); sciebat eos velle servare fidem multis uxoribus magis quam unum ex hominibus nostri temporis uni soli uxori; sciebat eos velle uti speciositate ac multitudine conjugum ea temperantia qua propagandæ proli, non carnis voluptati inservirent, sicut et divitiarum copia quam contulit eis. Et utique omnium conditor Deus sine injuria cujuscumque potuit in lege matrimonii dispensare, potestatemque conjugum in alterutrum ad beneplacitum suum dilatare, restringere ac mutare, et privilegium dare viris eximiæ sanctitatis ad habendum plures uxores, quos noverat nequaquam causa lasciviæ, sed desiderio sobolis copiosæ ad Dei obsequium educandæ pluralitatem uxorum admittere : tunc præsertim, quando perpauci erant veri Dei cultores, cujus cultum per carnalem propaginem oportuit conservare, ut filii successionis essent et filii religionis ; et hoc quasi solum in una plebe, ceteris gentibus ad idololatriam lapsis. Etenim quantus amor sanctæ posteritatis sanctis mulieribus inerat olim, ostendit quod Sara sanctum Patriarcham, suum maritum, suasit et quasi coegit ingredi ad suam ancillam; atque quod filiæ Lot patre suo dormienti commixtæ sunt, quatenus semen super terram reservarent.

Præterea circa hæc quæstio oritur, quæ sapientes Sarracenorum et aliquos Judæorum non mediocriter movet, quod scilicet unus vir sufficit plures fecundare; quumque tempus perbreve sit quo licitum est uxori misceri, quam post imprægnationem non decet accedere : toto ergo residuo otiosa erit vis generativa, atque incontinentiæ patebit periculis, nisi uxorum multitudi-

ne succurratur, qua et plures agri poterunt seminari, fecundari et fructificare. Ad quod respondemus, quod refrenanda est concupiscentia, et vitanda multa pericula quæ ex conjugum multitudine oriuntur; puritati quoque et continentiæ est studendum ; nec summum principaleve bonum hominis est generationi carnali intendere, sed potius spiritualibus exercitiis summopere insudare, et cordis sui agrum virtutum seminibus, sanctis meditationibus, virtuosis ac fervidis decorare affectibus. — Hæc Guillelmus.

Hinc Thomas : Omnibus (inquit) rebus naturaliter insunt quædam principia per quæ proprias operationes non solum queant efficere, sed etiam fini suo faciant congruentes, sive sint actiones consequentes ex natura sui generis, sive ex natura speciei : sicut magneti ex natura generis sui convenit ferri deorsum, et ferrum attrahere ex suæ speciei natura. Quemadmodum autem in rebus agentibus ex necessitate naturæ, principia actionum sunt formæ, ex quibus prodeunt propriæ operationes fini convenientes; ita in his quæ cognitionem participant, principia agendi sunt cognitio et appetitus. Unde oportet quod in vi cognoscitiva sit naturalis conceptio, et in vi appetitiva naturalis inclinatio, quibus operatio conveniens generi aut speciei reddatur competens fini. Quumque homo præ ceteris animalibus rationem finis cognoscat, proportionemque operis ad finem : ideo naturalis conceptio indita ei, qua convenienter ad agendum dirigitur, lex naturalis seu jus naturale vocatur; in ceteris vero, æstimatio naturalis. Bruta namque ex vi naturæ impelluntur ad operandum, magis quam proprio judicio regulentur. Quidquid vero actionem reddit inconvenientem fini a natura intentum, est contra jus naturæ. Actio quoque inconveniens esse potest fini principali, aut etiam fini secundario; et sive sic, sive sic, hoc potest esse dupliciter. Primo, ex aliquo quod omnino impedit finem : sicut nimia comestio impedit sanitatem, quasi A principalem finem comestionis; et bonam habitudinem corporis in negotiis exercendis, quæ est secundarius finis. Secundo, ex aliquo quod facit difficiliorem seu minus decentem perventionem ad finem principalem aut secundarium, sicut inordinata comestio quantum ad tempus. Si ergo actio sit inconveniens fini primo modo, prohibetur directe per legem naturæ, primis præceptis legis naturæ, quæ sunt in operabilibus sicut communes conceptiones in speculativis. Si autem sit inconveniens fi- B ni secundario quocumque modo, aut etiam principali, tanquam faciens ejus adeptionem magis difficilem et minus decentem; prohibetur non primis præceptis, sed secundis, quæ derivantur ex primis sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis.

Matrimonium autem pro fine principali habet prolis procreationem et educationem : qui finis competit homini secundum naturam sui generis; unde et in aliis animalibus est communis, ut octavo Ethi- C corum dicitur : sicque proles ponitur matrimonii bonum. Pro fine autem secundario, secundum Philosophum, habet in solis hominibus communicationem operum quæ necessaria sunt in vita : et secundum hoc conjugati sibi invicem fidem debent, quæ est unum de matrimonii bonis. Habet demum et alium finem, in quantum est in ipsis fidelibus, in quibus est significatio Christi atque Ecclesiæ : sicque bonum matrimonii dicitur sacramentum. Itaque primus finis correspondet matrimonio homi- D nis, in quantum est animal; secundus, in quantum est homo; tertius, in quantum fidelis. Pluralitas ergo uxorum neque totaliter tollit, nec aliqualiter impedit primum finem, quum unus vir sufficiat plures conjuges fecundare, pluresque proles educare. Secundum vero finem quamvis non totaliter tollit, attamen multum impedit uxorum pluralitas : quia difficile est esse pacem in domo ubi uni viro plures uxores junguntur, quoniam unus vix valet satisfacere illis ad votum ; et quoniam

communicatio plurium in uno officio causat litem, hinc sicut figuli corrixantur, sic plures uxores ejusdem mariti. Tertium autem finem totaliter tollit, eo quod sicut Christus est unus, sic et Ecclesia una est. Ex quibus patet quod pluralitas uxorum quodam modo est contra legem naturæ, et quodam modo non. Idcirco non sequitur, quod semper fuit peccatum, quia (ut Tullius ait) res a natura perfectas et consuetudine approbatas legum virtus et religio sanxit. Unde patet quod ea quæ naturalis lex dictat quasi ex primis principiis legis naturæ derivata, non habent vim coactivam per modum præcepti absolute, nisi postquam lege divina aut humana sancita sunt : propter quod asserit Augustinus, quod non fecerunt contra præceptum, quoniam nulla lege adhuc fuit prohibitum.

Sed objici potest, quia naturale jus appellatur quod natura omnia animalia docuit; sed in multis animalium speciebus, unum mas pluribus feminis commiscetur : ergo non est de jure naturali unum tantum uni conjungi. — Dicendum, quod jus naturale multipliciter dicitur. Primo, a principio intrinseco, quia a natura est inditum, sicque definit Tullius tertio Rhetoricæ, dicens : Jus naturæ est quod non opinio genuit, sed vis quædam innata inseruit. Et quia etiam in rebus naturalibus aliqui motus dicuntur naturales, non quia sunt ex principio intrinseco, sed quoniam sunt a principio superiori movente (ut motus qui sunt in elementis ex impressione cœlestium corporum, naturales vocantur, ut tertio Cœli Commentator testatur); ideo ea quæ sunt de jure divino, dicuntur esse de jure etiam naturali, quum sint ex impressione infusioneque Dei : sicque accipitur ab Isidoro, qui fatetur, quod jus naturale nominatur quod in lege et Evangelio continetur. Tertio dicitur jus naturale non solum a principio, sed a natura, quia de naturalibus est. Et quia natura contra rationem dividitur, idcirco strictissime sumendo jus naturale, illa quæ ad homines tantum spectant, quamvis sint de naturalis dictamine

A rationis, non sunt de jure naturali, sed ea tantum quæ naturalis ratio dictat de his quæ sunt homini aliisque communia : et sic datur prætacta definitio ista, Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit. Pluralitas ergo uxorum, quamvis non sit contra jus naturale tertio modo sumptum, est tamen contra jus naturale secundo modo acceptum, quoniam jure prohibetur divino; et item contra jus naturale primo modo consideratum, quia natura instinctum parit cuilibet animali secun-

B dum modum suæ speciei convenientem. Nam et animalia quædam, in quibus ad educationem prolis requiritur sollicitudo utriusque parentis, naturali instinctu servant et continuant mutuam conjunctionem : ut patet in turture et columba.

Denique unam uxorem habere plures maritos, est contra prima principia juris naturalis : idcirco hoc nunquam licitum fuit. Imo per hoc quantum ad aliquid, totaliter tollitur bonum prolis; et quoad aliquid, impeditur. Quamvis enim procrea-

C tio prolis per hoc non totaliter impediretur, quia contingit post primam imprægnationem mulierem iterum imprægnari, ut dicitur septimo de Animalibus; tamen per hoc multum impeditur, quia vix potest accidere quin corruptio accidat circa utrumque fetum, vel quantum ad alterum. Sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc sequeretur prolis incertitudo respectu patris, cujus cura necessaria est in educando : ideo nulla lege aut consuetudine est permissum, unam mulierem plures habe-

D re maritos.

Insuper patet ex his, quod uxores plures habere, potuit aliquando licitum esse ex dispensatione divina, eo quod non sit contra prima, sed secunda præcepta legis naturæ. Actus quippe humanos variari oportet secundum diversas conditiones personarum, temporum, locorum, circumstantiarumque aliarum : ideo conclusiones ex primis præceptis juris naturalis deductæ, non semper efficaciam habent, sed ut in pluribus. Talis est enim materia in

* tota materia moralis moralibus*, ut ait Philosophus in Ethicis. A Quumque difficile sit tales varietates determinare, idcirco earum determinatio legislatori reservatur, ut præstet licentiam prætermittendi legem in casibus ad quos se legis efficacia non extendit; et talis licentia dispensatio nuncupatur. Lex autem de unitate uxoris est divinitus, non humanitus instituta; nec unquam verbis aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut et alia ad legem naturæ qualitercumque spectantia. Ideo in hoc a solo Deo potuit dispensari per inspirationem inter- B nam, quæ principaliter patribus sanctis est facta, et per eorum exemplum ad alios derivata, tunc quando necessaria fuit major multiplicatio prolis ad Dei cultum, ut
Cf. p. 124 C'. dictum est. — Hoc quoque pensandum, quod naturalis inclinatio in vi appetitiva sequitur naturalem conceptionem in cognitiva. Quumque non sit ita contra naturalem conceptionem intellectivæ, unum virum habere plures uxores, sicut quod una uxor habeat simul plures maritos; ideo uxor non tantum refugit consortium C in viro, sicut econtra. Ideo tam in hominibus quam in brutis invenitur major zelus maris ad feminam, quam econtrario.

Præterea quæritur, an habere concubinam sit contra legem naturæ. Videtur quod sic, quum hoc sit adulterium in persona ligata, vel fornicatio in soluta. In oppositum est quod sancti viri, Abraham, Jacob, David, concubinas habuisse leguntur. — Dicendum, quod quicumque concubitu utitur propter delectationem, non ordinando illum ad finem a natura intentum, exce- D dit. Quumque res denominentur a fine tanquam ab optimo, ideo nomen concubinæ illam conjunctionem designat qua solus concubitus quæritur propter se ipsum. Et si quis quandoque ex tali concubitu prolem quærat, non tamen actus ille conveniens est ad bonum prolis, in quo non solum significatur procreatio prolis, sed etiam educatio atque instructio ejus. Quæ quum longo tempore durent, exigit lex naturæ, ut parentes diu commaneant ad subveniendum communiter proli. Unde et aves quæ communiter nutriunt pullos, ante completam illorum nutritionem non separantur. Hæc autem obligatio tam diuturna, inter marem ac feminam matrimonium facit. Hinc accedere ad feminam matrimonialiter non conjunctam, quæ dicitur concubina, est contra legem naturæ. — Verumtamen quidam gentilium simplicem fornicationem et concubinatum non reputabant illicita, quia in ipsis lex naturæ fuit offuscata quantum ad multa. — Lex demum naturalis non solum prohibet injustitiam, sed etiam opposita omnium virtutum : sicut contra legem naturalem est gulose comedere, virginem violare.

Hinc concubinatus est mortale peccatum, quia per ipsum fœdus amicitiæ inter Deum et hominem et inter ipsos homines violatur, debita quoque ordinatio parentum ad prolem (ut dictum est) : quamvis quidam aliquando plus reputent quædam peccata minora ad quæ tantam inclinationem et incitationem non habent. Sicque Judas mendacium potius exhorruisse videtur, quam fornicationem cum Thamar. Tamen mendacium quod contra promissum esset, sicut et illud fuisset, esset enorme peccatum. Gen. XXXVIII, 23.

Quæritur quoque, an aliquando licuit concubinam habere. Et respondendum, quod secundum quosdam, ante legis Mosaicæ dationem fornicatio simplex non fuit peccatum, ut Rabbi Moyses dixit : quod probat ex hoc quod Judas cum Thamar Ibid. 18. concubuit. Quæ ratio inefficax est, estque falsa opinio illa; nec opus est Judam in hoc excusare, qui et ipsius justi Joseph venditionem consuluit, et ipsum Joseph odisse Ibid. XXXVII, 27. videtur; atque (ut fertur in Genesi) Joseph fratres suos, saltem aliquos, de crimine Ibid. 2. pessimo accusavit. Idcirco concubinam proprie dictam habere, nunquam secundum se licuit, nec etiam ex dispensatione, quum probatum sit concubitum illum in se esse illicitum et contra prolis bonum; et ita est contra prima juris naturalis præcepta, quæ dispensationem non admittunt. Ideo

ubicumque aliqui in veteri Testamento leguntur concubinas habuisse, quos necesse est a mortali excusari peccato, intelligendum est quod legitimæ uxores fuerunt; attamen concubinæ vocantur, quoniam aliquid habuerunt de ratione uxoris, et aliquid de ratione concubinæ. Nempe secundum quod matrimonium ordinatur ad suum finem principalem, qui est prolis bonum, uxor conjungitur insolubili vinculo, aut saltem diuturno; nec contra hoc est dispensatio aliqua. Sed quantum ad finem matrimonii qui est dispensatio familiæ et communicatio operum, uxor jungitur viro ut socia, et hoc deerat concubinæ; et sic illæ uxores habebant aliquid simile concubinis. — Et si objiciatur, quod Abraham ejecit ipsam Agar, ergo non fuit vera ipsius uxor. Dicendum, quod ex divina dispensatione et commissione hoc egit, ad significandum mysterium : quod ad Galatas tangit Apostolus. (*Galat.* IV, 22-31.) Similiter, quod Ismael heres non fuit cum Isaac, ad mysterium pertinebat : quod tangit ibidem Apostolus. Conformiter mysterium fuit, quod Esau filius liberæ non fuit heres, ut ad Romanos habetur. (*Rom.* IX, 10-13.) Sic et mysterium fuit, quod filii Jacob tam ex liberis quam ex ancillis nati, indifferenter fuerunt heredes : quod tangit Augustinus, quoniam Christo nascuntur in Baptismo filii et heredes tam per bonos atque catholicos, qui significantur per liberas, quam per pravos et hæreticos, qui figurantur per ancillas. — Hæc Thomas in Scripto.

Qui item in Summa contra gentiles, libro tertio, multa super his scribit, et primo ostendit, (cap. 122.) quod fornicatio simplex sit mortale peccatum. Quemadmodum enim totus homo ordinatur ad certum finem, ita et quælibet pars ipsius. Semen autem, quamvis sit quantum ad individui conservationem superfluum, est tamen necessarium ad speciei propagationem, et ad hoc ordinatur; nec per coitum emittendum est nisi ad generationem, nisi aliud virtus matrimonialis requirat. Ad prolificationem vero exigitur congrua educatio ac informatio ejus, ad quas (sicut ostensum est) (*Cf.* p. 127 D'.) necessaria est matrimonialis conjunctio. Unde et in Deuteronomio Dominus loquitur : Non erit meretrix de filiabus Israel, neque scortator de filiis Israel. (*Deut.* XXIII, 17.) Et Tobias ait ad filium suum : Attende tibi ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. (*Tob.* IV, 13.) — Deinde probat ibi, quod matrimonium debet esse unius ad unam, (cap. 124.) et quod indivisibile debeat esse; (cap. 123.) et quæ ibi scribit, partim præhabita sunt, cetera paulo post quantum ad sententiam exprimentur.

Concordat Petrus per omnia : Jus (inquiens) naturale dicitur instinctus seu dictamen naturæ, regulans eam ac dirigens ad aliquid faciendum vel non faciendum, per quod assequatur finem intentum. Jus quoque quoddam est impressum in corde, quoddam foris scriptum in codice. Et juxta hoc est dispensatio duplex, videlicet, tacita et expressa. Bigamia autem erat contra jus naturale intus impressum, non scriptum. Idcirco ad illius relaxationem suffecit dispensatio tacita inspirata. Dispensatio etiam duo requirit, videlicet, auctoritatem ex parte dispensantis, et causam recompensantem ex parte ejus cum quo dispensatur. Quumque super jus naturale nullus habeat auctoritatem nisi auctor naturæ, ideo solus ipse in hoc jure potuit dispensare. Causa vero dispensandi fuit multiplicatio hominum et conservatio cultus divini in populo Dei, ut patuit. (*Cf.* p. 124 C'.) Denique malorum actuum quidam in se implicant deformitatem, et in illis non dispensat, quoniam nulla deformitas culpæ subest voluntati divinæ; alii non implicant, et in illis Deus dispensavit interdum. Concubinæ autem quas sancti habuisse leguntur, erant uxores quantum ad torum, quia matrimonialiter junctæ; non quantum ad dignitatem, quoniam non habebant auctoritatem matrumfamilias in regimine domus atque familiæ. Hæc Petrus.

Richardus quoque consentit dictis ex Thoma, excepto quod ratio quam sanctus Doctor assignat, cur concubitus concubi-

narius nulla dispensatione possit fieri sine peccato, ei non placet, quia in aliquo casu talis concubitus bonum prolis non impediret, sicut etiam frequenter patre prolis defuncto, sola mater prolem convenienter enutrit ac instruit; et in tali casu posset conditor legum Deus dispensare. Hinc Richardus aliam indispensabilitatis causam assignat, dicendo, quod talis concubitus semper est cum non sua, idcirco illicitus. Nihilo minus Creator omnipotens, plenitudinem possidens potestatis super omnem virum et mulierem, facere posset quod viro ac mulieri liceret sibi invicem concedere corporum suorum potestatem ad tempus, seu ad totam vitam : quod eis non valet concedi nisi auctoritate divina. — Hæc Richardus. In ceteris consonat præinductis.

Præterea præinductis etiam Bonaventura concordat pro maxima parte. Sed respondendo ad istud, an Deus debuerit dispensare quod liceret uni viro habere simul plures uxores et concubinas, disseruit : Ad dispensationem, ut convenienter ac debite fiat, quatuor ista oportet concurrere, necessitatem, utilitatem, congruitatem et honestatem. Et hæc quatuor fuerunt in illa dispensatione. Primo fuit ibi congruitas, quantum ad tempus, quoniam tempus fuit figuræ : et quoniam Christus generaturus fuit spiritualiter proles per Baptismum, tam in Ecclesia catholica quam in hæreticorum conventiculis; ideo præcedere debuit matrimonium
Cf. p. 128 C. horum præfigurativum, sicut expositum est. Rursus, quia eorum qui ab hæreticis baptizantur, quidam hæresim sequuntur, quidam ad Ecclesiam convertuntur; ideo utriusque figura præcessit : primi in Ismaele, de quo in Genesi habetur, Ejice *Gen.* xxi, 10.
ancillam hanc et filium ejus; secundi in Jacob, cujus filii ex ancillis inter liberos computati sunt. Et istud docet Augustinus libro de Baptismo. Fuit item necessitas, quia tunc pauci erant verum Deum colen-
Cf. p. 124 C'. tes, etc., ut supra. Fuit quoque utilitas, quoniam filii a parentibus erudiebantur,

A et mores patrum servabant. Fuit demum honestas, quia non libidinoso affectu sed casto uxores cognoscebant et concubinas. Hinc dispensatio illa non extendebatur nisi ad eos qui maritali et temperato affectu mulieribus utebantur. Hæc Bonaventura.

Qui in hujus quæstionis distinctione sentit aperte, quod concubinæ illæ non fuerunt sanctorum virorum uxores legitimæ : unde expresse affirmat, quod Agar non fuit legitima Abrahæ uxor. Cujus con-
B trarium communiter dicitur veriusque censetur, præsertim quoniam in Genesi legitur, quod Sara dedit Agar in uxorem *Gen.* xvi, 3.
Abrahæ. Ancillæ quoque quas Jacob duxit, interdum in Genesi vocantur uxores, aliquando concubinæ; similiter in libro Judicum uxor Levitæ nunc uxor nunc con- *Judic.* xix, 1, 9, 10, 24, 25, 27, 29.
cubina vocatur. Et ita ex canonica probatur Scriptura, quod nomen concubinæ ibi accipitur pro minus principali uxore. Istud etiam modestius et exemplarius sonat, et prætactæ consonant rationes.

C At vero Albertus hic scribit multa pulchra, quæ sententialiter ex Thoma et aliis sunt inducta. Et asserit nunquam licuisse viro cuicumque ancillam vel alienam cognoscere, sed ancillam in matrimonium ductam ex instinctu Spiritus Sancti; et ita fecerunt Patriarchæ. Concedit quoque quod Patriarchæ hujusmodi fuerunt bigami; et ait ipsum Lamech non reprehendi de bigamia, quoniam inde reprehensibilis non fuit, sed aliunde. Cujus contrarium communiter dicunt expositores atque do-
D ctores : imo in textu asseritur, quod de- *Cf.* p. 120 in littera.
siderio voluptatis duxerat duas, nec dispensatio Dei se extendebat ad tales. — Et addit : Nunquam licuit unam mulierem habere plures viros. Primo, quoniam nimia concussio matricis facit excidere fetum : ideo etiam cum uno multum coire, est periculosum partui; cum diversis vero coire, omnino contrariatur. Secundo, quia ex nimio fluxu seminis injecti et ejecti lubricatur matrix, ita quod nihil tenet : ideo non concipiunt meretrices. Unde et

feminæ quæ cum uno solo nimis frequentis sunt coitus, minus rariusque concipiunt. Tertio, quia in semine nimis fluente esse nequit debita maturitas ad conceptum et partum requisita.

QUÆSTIO II

De divortio jam quærendum, hoc est, **De libello repudii, seu inseparabilitate matrimonii.**

dist. XXVII, q. 2. p. 111 C, etc. De qua tamen jam dictum est sæpe, quod scilicet vinculum matrimoniale non dissolvatur nisi per mortem. Quo præsupposito, remanet quæstio, quomodo in veteri Testamento licuit dare libellum repudii, seu repudiare contoralem; an etiam facto divortio, liceat separatis cum aliis contrahere. Et de istis leguntur in Evangelio Judæi Christum interrogasse, qui respondit non licere virum ab uxore discedere, causa fornicationis excepta. (*Matth.* XIX, 9.) Quumque objecissent, Cur ergo Moyses præcepit nobis dare libellum repudii ? (*Ibid.* 7.) respondit : Ad duritiam cordis vestri locutus est vobis, etc. (*Ibid.* 8.)

Itaque de his scribit Guillelmus in Sacramentali : De divortiis atque repudiis quam inique et immisericorditer Judæi et Sarraceni agant et sentiant, facile est manifestare. Lex quippe de repudiis, quæ in Deuteronomio legitur, permissio fuit, non præceptio, ob duritiam cordis Judæorum utcumque tolerata, id est, lege non vindicata, ne in uxores proprias grassarentur. Jam autem declaravimus matrimonium esse perpetuum et indissolubile vinculum. Causam vero fornicationis non solum prudenter, sed etiam juste Sapientia Dei Christus excepit : quæ enim fidem non servat tori maritalis, indignam se facit ut ei servetur, et jus tori quod polluit, juste amisit. Deinde ne viri hereditas, quæ jure successionis ad cognatos atque propinquos ipsius pertinet, ad adulteros transeat, hoc A est, ad filios ex uxoris adulterio genitos. Tertia causa potuit esse zelus virorum, qui maxime excandescere solet in uxores propter adulterium. Ut ergo viris parceretur a morte spirituali quam incurrerent uxores occidendo, et uxoribus a morte corporali, permissum fuit divortium. Si ergo fornicata fuerit uxor viri alicujus, aut maneat innupta, aut viro suo reconciliari procuret. Verumtamen ex hac causa non solet divortium celebrari, propter fragilitatem temporum nostrorum, videlicet ne et viri B cum mulieribus se polluant, et ne mulieres amplius fornicentur, et quoniam ista causa quæ ad fortius adstringenda matrimonia introducta est, ea intolerabiliter dissolveret.

Si autem divortium licitum esset, prout Sarraceni asserunt et Judæi, tamdiu durabit conjugium, quamdiu amor atque concordia inter conjugatos, et ita consensus eorum in invicem non conjugalis, firmus et absolutus, sed concubinarius et amatorius, imo turpis et fornicatorius est. Nem- C pe ut ipsi affirmant, sufficientes causæ divortii sunt ira et odium, ex quibus timetur mors uxoris. Secunda est fœditas, qualis est lepra, vel jugis menstruositas, hoc est menstruorum irrestringibilis fluxus. Tertia, deformitas. Quarta, sterilitas. Quamlibet harum dicunt sufficere ad matrimonium dissolvendum, et licere viro ad alia vota transire. Quod si verum est, licebit et mulieribus hoc ipsum, quum non minus consulendum sit eis quam viris, et subsidiis longe magis indigeant. Sed quia D probatum est, solum consensum in perpetuam ac indissolubilem societatem, matrimonium facere, constat propter nullam illarum causarum divortia licite fieri. (*Cf.* dist. XXVII, q. 1.) Amorem quoque illum carnalem temporalem ad contoralem parit lascivia, non vera justitia. Amplius, si tam facilis potest esse uxorum desertio, viri iracundi et invidiosi innumerabiles feminas polluerent, repudiando unam post aliam : imo secundum hoc, non erit matrimonium nisi præsentatio et quasi probatio feminarum. Insuper,

sine suo demerito mulier odio potest haberi, et ita quum fuerit deflorata et aliis contemptibilis facta, a viro suo abjici poterit et repelli. Iniquissime ergo agitur contra mulieres per divortia illa incredulorum. — Hæc Guillelmus, qui ista tam in Sacramentali quam in libro de Fide et legibus diffusius probat.

Præterea Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto : Dicendum est (inquit) de libello repudii, quod fuit contrarium tertio bono matrimonii, utpote sacramento, quod inseparabilitatem requirit. Ille vero libellus separationem effecit : erat namque libellus repudii, charta in qua vir scripsit causas propter quas sponsam seu conjugem repudiare volebat. Quod autem libellum repudii dare, fuit peccatum mortale, probatur : quoniam fuit contra tertium matrimonii bonum, videlicet contra sacramentum. Item, quia contrarium est juri divino ac naturali : quia communis animi conceptio est, ut quos Deus conjunxit, homo non separet. *Matth.* XIX, 6. Sed contra hoc rursus arguitur, quia (ut ait auctoritas) error cui non resistitur, approbatur : ergo quum Moyses non restiterit illi errori, sed potius eum permisit, videtur approbasse eumdem, et esse particeps culpæ, ac causa universorum malorum quæ inde sequuntur. Ad idem valet alia auctoritas, dicens : Qui culpam non redarguit, ei consentit. — Ad hoc respondemus, quod hæ duæ auctoritates intelliguntur, quando prælatus utiliter potest ac debet resistere ac redarguere. Moyses autem nequibat utiliter huic errori resistere, quoniam multitudo fuit in culpa : sicut Ecclesia non potest modo resistere militibus detinentibus decimas, quia si eis resisteret, majus malum in Ecclesia oriretur.

Sed iterum objici potest, quoniam Moyses a Spiritu Sancto accepit legem de repudianda uxore; et illa lex, quum fuerit a Spiritu Sancto, fuit utique bona et justa; nec mulier repudiabatur nisi sententia lata a judice, qui judicavit causas divortii in charta descriptas rationabiles esse : ergo vir sic faciendo non peccavit. — Dicendum, quod Magister distinguit permissionem : quoniam una est concessionis, quando permittitur fieri quod in casu melius est quam suum contrarium, sicut abbas dispensat cum monacho quod comedat carnes tempore ægritudinis. Alia est permissio indulgentiæ, quando permittitur aliquid licitum cujus contrarium melius est : sicut Apostolus permisit secundas nuptias. Est quoque permissio tolerantiæ, quando permittitur peccatum mortale, ne contingat peccatum enormius; et hæc vocatur permissio comparativa. Sic Moyses permisit divortium ac ducere aliam, ne fieret homicidium. Judæi namque erant luxuriosi, crudeles et ad tantum facinus proni. Lex ergo non præcepit divortium fieri absolute ; sed sub conditione mandavit, ut si vellent omnino uxores repudiare, prius describerent causas divortii, ac judici præsentarent, etc.

Et si rursus objiciatur, quia (ut ait Apostolus) non sunt facienda mala ut eveniant bona : *Rom.* III, 8. ergo nec toleranda sunt mala minora ne veniant majora. Imo in proposito ex divortii tolerantia videntur pejora oriri, quum dicat Salvator : Quicumque dimiserit uxorem et duxerit aliam, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur. *Matth.* XIX, 9. — Respondemus, quod non sequitur : Non sunt facienda mala ut veniant bona, ergo nec sunt toleranda mala, etc. Qui enim facit mala, peccat; qui autem tolerat mala, quia utiliter nequit resistere, in hoc non peccat. Uxoricidium quoque excedit mœchationem. Mulier vero repudiata, permittebatur cum alio contrahere, ita quod lex pro hoc eam corporaliter non punivit; prohibebatur vero redire ad primum maritum, præsertim si repudiata fuit a viro secundo. — Hæc Antisiodorensis.

Insuper Thomas circa hæc ait, primo respondendo ad istud, utrum per dispensationem potuit licitum esse uxorem dimittere : Dispensatio in præceptis, præcipue in his quæ sunt aliquo modo de lege naturæ, est sicut mutatio cursus rei natu-

ralis. Qui cursus mutari potest dupliciter. A Primo, ex alia causa naturali, ut patet in his quæ in minori parte aut rarius accidunt : et sic non mutatur cursus rerum quæ semper sunt. Secundo, per causam penitus supernaturalem, ut in miraculis : et ista mutatio potest contingere in naturalibus quæ per naturam semper contin-
Josue x, 13. gunt, ut in statione solis et lunæ tempore Josue. Ista ratio dispensationis in præceptis legis naturæ, quandoque est in inferioribus causis : sicque dispensatio cadere potest supra secunda præcepta legis na- B turæ, non super prima, quia invariabilia
Cf. p. 126 D', et tom. XX, p. 642 C' et s. sunt, ut patuit. Quandoque autem totum est in causis superioribus : et tunc dispensatio potest esse divinitus etiam contra prima præcepta legis naturæ, ratione alicujus divini mysterii significandi aut os-
Gen. xxii, 2. tendendi : quemadmodum Abrahæ jussum fuit occidere filium innocentem. Nec tales dispensationes communiter fiunt ad omnes, sed ad aliquas singulares personas. Si ergo inseparabilitas matrimonii inter prima præcepta legis contineatur, solum hoc C secundo modo cadet sub dispensatione; si vero sit inter secunda præcepta legis naturæ, potuit etiam primo modo cadere sub dispensatione. Videtur autem potius inter secunda præcepta legis naturæ contineri. Inseparabilitas namque matrimonii non ordinatur ad bonum prolis, quod est matrimonii finis principalis, nisi quantum ad hoc quod parentes provident filiis pro tota vita per debitam præparationem necessariorum in vita. Hujusmodi autem rerum appropriatio non est de prima intentio- D ne naturæ, secundum quam omnia essent communia. Idcirco uxoris dimissio non videtur esse contra primam naturæ intentionem : idcirco nec contra prima legis naturæ præcepta. Hinc primo modo sub dispensatione cadere videtur.

Præterea si quæratur, an sub lege Moysis licuit uxorem dimittere; dicendum, quod de hoc est duplex opinio. Una, quod qui dato libello repudii dimittebant uxorem, non excusabantur a peccato, quamvis excusarentur a pœna secundum legem infligenda : propter quod dicitur Moyses libellum repudii permisisse. Sicque ponunt quatuor modos permissionis. Unus, per privationem præceptionis : ut quando majus bonum non præcipitur, sed minus bonum permittitur, sicut Apostolus non *I Cor.* vii, 6.
præcipiendo virginitatem, permisit matrimonium. Secundus modus est per privationem prohibitionis : sicut venialia dicuntur permissa, quia non sunt prohibita. Tertius, per privationem coercitionis : sicque omnia peccata permittuntur a Deo, quia non impedit ea. Quartus, per privationem punitionis : et sic libellus repudii permissus fuit in lege, non propter majus bonum consequendum, sicut pluralitas uxorum, sed propter crimen uxoricidii evitandum, ad quod fuerunt proni Judæi ex corruptione sua in irascibili : quemadmodum etiam permissum eis fuit extraneis fœnerari, propter corruptionem eorum in concupiscibili, ne suis fratribus fœnerarentur; et sicut propter corruptionem suspicionis in rationali, permissum *Num.* v, 15 et seq.
fuit sacrificium zelotypiæ, ne sola suspicio judicium in eis corrumperet. — Sed quia lex vetus, quamvis gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat ut peccatum ostenderet, prout communiter Sancti testantur; ideo aliis apparet quod si repudiando uxorem peccassent, hoc saltem per legem aut Prophetas eis indicari debuisset. Alias neglecti viderentur, si de necessariis ad salutem non fuissent instructi, quum et observatio legis tunc mereretur vitam æternam. Hinc dicunt, quod quamvis repudiare uxorem sit per se malum, licita tamen fiebat ex permissione divina. Quod confirmant auctoritate Chrysostomi, asserentis : A peccato abstulit legislator quando permisit repudium. Et quamvis hoc probabiliter sit prolatum, primum tamen communius sustinetur.

Porro si quæras, utrum repudiatæ licuit cum alio viro contrahere; respondendum quod non, secundum primam opinionem jam tactam, quoniam vinculum matrimo-

niale mansit inter eam et primum maritum, nec potuit simul duos habere maritos, sicut viro licebat duas simul habere uxores. Secundum aliam vero opinionem hoc licuit ex permissione divina, sicut et ipsum divortium. Et si objiciatur quod *Matth.* XIX, 9. allegatum est, quia qui dimissam duxerit, mœchatur; exponit hoc pro tempore novi Testamenti, in quo revocata est illa permissio.

Quæritur demum, an licuit viro repudiatam ad se rursus assumere. Respondendum, quod in lege circa libellum repudii, duo erant permissa, puta uxorem dimittere, et dimissam alteri viro conjungi; duo quoque præcepta, ut libellum conscribere, et quod repudians non posset eam recipere. Quod secundum primam opinionem, factum fuit in pœnam uxoris quæ alteri nupsit, atque in hoc fuit polluta; sed juxta aliam opinionem, in pœnam mariti, ne viri faciliter repudiarent uxores.

Quæritur item de causis repudii. Respondetur, quod causa permissionis repudii, fuit vitare uxoricidium. Quumque crimen hoc immediate oriatur ex odio, ipsum odium fuit proxima causa repudii. Odium vero ex aliis oritur causis, quæ sunt fœditas in corpore, puta infirmitas seu alia notabilis macula; vel in anima, ut fornicatio, vel aliud tale quod in moribus inhonestatem inducit. Alii autem probabiliter magis coarctant has causas, dicentes quod non licebat uxorem repudiare nisi propter aliquam causam post matrimonium supervenientem, nec propter quamlibet talem, sed propter illas dumtaxat quæ bonum prolis impedire valebant, vel in corpore, ut sterilitas et lepra, aut aliquid tale; vel in anima, ut si esset morum malorum, quos filii possent sectari. Quædam Rabanus. etiam glossa super Deuteronomium adhuc magis arctat causas illas, scilicet ad peccatum, quoniam et per fœditatem intelligit culpam.

Postremo causæ repudii in speciali non scribebantur in libello, sed in generali : A non ut ostenderetur justum repudium, sed (secundum Josephum) quatenus mulier habens libellum conscriptum de repudio, alteri nubere posset; alias ei traditus non fuisset. Etenim juxta Josephum, talis fuit scriptura : Promitto tibi quod nunquam tecum conveniam. Sed secundum Augustinum, libellus scribebatur quatenus mora interveniente atque consilio Scribarum dissuadente, vir a proposito repudiandi desisteret. — Hæc Thomas in Scripto.

Præterea intuendum, quod in verbis B præhabitis præsupponi videtur, quod nec in lege nec in Prophetis Deus ostenderit repudium uxoris esse vitiosum : quod non reor concedendum. Quum enim Malachias dicat, Quum odio habueris eam, id est *Malach.* II, 16. uxorem, dimitte, dicit Dominus Deus Israel (dando videlicet ei libellum repudii); videtur quasi rem prorsus licitam non solum approbare, sed etiam jubere. Verumtamen quod his verbis, non imperative, nec pure, sed tantum propter vitandum aliquod deterius, puta uxoricidium, per- C miserit Dominus uxoris dimissionem libellumque repudii, intelligitur ex verbis sequentibus. Nam (ut dixi) quum dixisset, Quum odio habueris uxorem, dimitte eam, mox sequitur : Operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum. Operiet (inquit) iniquitas vestimentum ejus, hoc est, iniquitas hujusmodi viri dimittentis uxorem ex odio vel causa non justa, operiet vestimentum ejus.

Præinductis ex Thoma concordant scripta Petri et Richardi. Sed et scripta Al- D berti continentur in eis; cui tamen plus placet opinio illa, quod libellus repudii licitus fuit ex permissione divina. Bonaventura vero directe tenet contrarium, quod juxta præhabita tutius est tenere, p. 132 D'. communiusque tenetur.

Et addit Bonaventura : Post repudium uxoris, aliquid fuit licitum et concessum, videlicet virum et uxorem manere innuptos, seu etiam invicem reconciliari ante nuptias alias. Aliquid vero fuit licitum et permissum, ut scilicet vir uxore repudiata

vivente, aliam duceret in uxorem : quod non fuit prohibitum, quia non fuit prohibitum plures simul uxores habere. Aliquid fuit illicitum atque prohibitum, ut quod uxor repudiata alium duceret virum priore vivente : quoniam nunquam licuit uni feminæ plures habere maritos, et viro priore vivente, mansit cum illo vinculum conjugale. Hoc tamen non fuit directe prohibitum, sed oblique in pœnam uxoris impositum, ut nunquam posset redire ad maritum priorem, quoniam sponte se polluit cum secundo. Sicque miro modo, quamvis occulte, lex judicavit matrimonium esse inseparabile : quod et magis expresse tangitur apud Jeremiam. Hæc Bonaventura. *Jer.* III, 1.

Thomas quoque de Argentina tuetur, quod non licuit virum mulierem repudiare nisi propter causam seu defectum post matrimonium contingentem, nec ante apparentem. Idem dicit Albertus. Durandus vero præter præhabita nil conscribit. Scotus magis consentire videtur opinioni Alberti, de licentia seu peccato repudii.

QUÆSTIO III

AMplius quæritur, **An virginitas sit virtus, et virtus eximia.**

Videtur quod non sit virtus. Primo, quia secundum Philosophum, naturalissimum est simile sibi generare : ergo non generare videtur innaturale. Imo secundum Philosophum, quum unumquodque perfectum sit seu perfectæ virtutis dum potens est generare simile sibi, videtur ad perfectionem spectare, consimile generare. — Iterum, vis generativa est quædam potentia; potentia autem quæ non perducitur ad actum, imperfecta censetur, et imperfectior perhibetur quam ea quæ perducitur ad actum ad quem naturaliter dicitur ordinata.

Ad hæc respondet Guillelmus : Contra virginitatem et continentiam nequissime A multi senserunt, dicentes : Sicut meretricium et sodomia de medio sunt tollenda tanquam belluæ inimicissimæ naturæ humanæ, et vastatrices sævissimæ fructus seminisque humani; idem videtur dicendum de virginitate et continentia, quoniam nobilissimam arborem naturæ humanæ non sinunt fructificare. — Ad quod respondemus, quod virginitas et continentia non impedimentum aut destructionem hujus fructus quærunt, sed immanissimam belluam, imo horrendissimam voraginem carnaB lis voluptatis formidantes, semen retinent, et ab opere illo se continent. Quemadmodum si agricola sciret leonem aut lupum sibi insidiari, atque ob id hortum aut agrum ingredi non auderet nec seminare, non ob hoc inimicus esset seminationis fecunditatisque agri et horti : sic virgines et casti nequaquam inimici sunt fecunditatis et propagationis humanæ, sed potius sibi ipsis prospicientes ac cauti; et hoc propter efficacissimas rationes, ut purius vivant ac deiformius conversentur. C Quumque femina sit sicut ager humanæ seminationis, et masculus sicut agricola, huicque agro insidietur fallacissima bestia voluptatis, et etiam ipsi agricolæ, utpote viro; constat quod continentia atque virginitas, quæ hujusmodi agricolam non ab agro aut ejus seminatione, sed a faucibus insidiantis belluæ avertunt, amicæ sunt ipsius agricolæ. Imo plerumque multo sublimior est virginitatis et castitatis intentio. Nempe qui amore et honore Sponsi cœlestis omnem despicit voluptatem ac D fructum carnalem, ne impedimento sint ei vacandi sincerius atque liberius Sponso superno, offert se ipsum et omnia Deo : quemadmodum David rex aquam cisternæ quam concupivit, noluit bibere, sed Domino eam libavit. Sodomitæ autem et publicæ prostitutæ in ipsas fauces belluæ irruunt, et in volutabrum spurcissimæ voluptatis se demergunt. Denique, quum optimum hominis sit Deo vacare, et per supremas animæ suæ vires, summi et incomparabilis boni contemplationibus in- II *Reg.* XXIII, 16.

hærere, ac in ejus purissimo divinissimoque amore quiescere, ad quod sancta virginitas summe disponit, et a quibus bonis conjugium per curas et onera, per occupationes, voluptates, imo et tribulationes sibi annexas, potissime impedit; sequitur, virginitatem conjugio excellenter omnino præferendam. Et maxime ab omni perfectione divina ac puritate interna impedit bestialis et irrefrenata illa conjunctio viri unius cum mulieribus plurimis, quam Sarraceni commendant et amplectuntur. Hæc Guillelmus in suo Sacramentali.

Insuper Thomas circa hæc loquitur, primo respondendo quid sit virginitas: Quemadmodum (inquiens) ex verbis patet Ambrosii, virginitas est quædam integritas. Ideo dicitur per privationem corruptionis quæ in actu commixtionis contingit : in quo triplex corruptio accidit. Una corporalis tantum, in hoc quod claustra pudoris franguntur. Alia spiritualis et corporalis, ex hoc quod per decisionem motumque seminis, delectatio generatur in sensu. Tertia spiritualis solum, ex hoc quod ratio huic delectationi se subjicit, in qua internam integritatem amittit : quoniam consideratio mentis necessario interrumpitur ibi, quum impossibile sit in ipsa delectatione aliquid intelligere actu : unde ipsa absorptio rationis nominatur corruptio. Quum ergo virtus et vitium in actu rationis consentientis aut dissentientis consistant, in omnibus prætactis corruptionibus non invenitur sufficiens ratio vitii aut virtutis, sed coexigitur consensus dissensusve rationis. Quumque virginitas sit in genere moris pertinens ad virtutem, recte dixit S. Lucia: Non inquinatur corpus nisi de consensu mentis, inquinatione videlicet opposita puritati virginitatis. Itaque prima corruptio, quæ est corporalis tantum, non est materia virtutis aut vitii, nisi per accidens, mediante aliqua passione animæ. Nam si per aliquam incisionem claustra pudoris frangerentur, non plus præjudicabit virginitati, quam si manus aut pes incida-

A tur. Corruptio vero secunda et tertia sunt materia virginitatis et oppositi vitii, quemadmodum aliæ passiones sunt materia virtutum moralium oppositorumque vitiorum. In actu autem rationis eligentis vel repudiantis, finaliter completur inquinatio quam excludit ac privat virginitas. Hinc Augustinus in definitione virginitatis: Virginitas, inquit, est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio; ponens meditationem quæ ex parte est rationis, pro genere, et actum pro habitu sumens. B Incorruptionem vero ponit quasi materiam seu objectum; sed addit subjectum determinatum, addendo, In carne corruptibili, quoniam habitus et privatio sunt circa idem.

Porro personæ quæ sine concubitu se corrumpunt, ut in vitiis contra naturam, virginitatem amittunt, etiam quantum ad id quod est materiale in ea : quia etsi non adsit concubitus, adest tamen delectatio quæ in concubitu facit virginitatis corruptionem. Si autem luxuria contra naturam C tempus perfectæ ætatis præveniat, quum non adsit decisio seminis, et per consequens nec perfecta delectatio mentem suffocans, non amittitur virginitas quoad id quod est materiale in ea. — Denique, quum passiones partis sensitivæ non sint materia virtutum, nisi prout ordinabiles sunt a ratione medium in ipsis ponente : hinc delectatio quæ est in somnis cum seminis effusione, non est virtutis materia. Unde nec talis corruptio aufert incorruptionem, quæ materia virginitatis consistit : idcirco D nec ratione talis pollutionis virginitas perditur. Idem dicendum de mulieribus quæ dormientes aut inebriatæ aut amentes cognoscuntur a viris, nisi forsan hac intentione irent dormitum, ut a viris cognoscerentur. Idem dicendum de his quæ per violentiam opprimuntur a dæmone incubo, si renitantur pro posse ut corpus suum conservent a corruptione immune, vel saltem animum a consensu. Verumtamen quum in significationibus sacramentorum potius attendatur quod exterius geritur,

quam quod intus efficitur; idcirco irregularis fieret qui virginem violenter defloratam in conjugem sumeret, præsertim quum in illa delectatione difficillimum sit animum a consensu reprimere : propter quod præsumitur consensisse.

Insuper virginitas est virtus moralis, quia per ipsam homo a præcipuis delectationibus se propter Deum refrenat, quatenus spiritualibus ac divinis perfectius vacet, et dicit electionem conservandi incorruptionem. Una autem virtus, quantum ad actum, et etiam quantum ad habitum, potest dici major seu excellentior alia dupliciter, puta, per se et per accidens : per se, ratione objecti; per accidens, ex circumstantiis variis. Hinc virtutes quæ sunt circa bonum spirituale, potissime quæ sunt circa bonum et verum increatum, præstantiores sunt virtutibus moralibus A quæ circa actus et passiones corporales aut corporalibus adjunctas versantur. Castitas vero præcipue commendatur, quoniam ad virtutum intellectualium ac divinarum adeptionem, profectum et perfectionem eminenter disponit, præsertim virginitas. Unde et Commentator septimo Physicorum fatetur, quod castitas maxime valet ad scientias speculativas. — Hæc Thomas, qui de his hic et in secunda secundæ scribit diffuse.

Sed non est intentionis meæ his immo- B rari, de quibus in aliis diversis opusculis plenius scripsi ; sed et de sancta virginitate specialem compilavi tractaculum : de qua gloriosi et sancti doctores Cyprianus, Ambrosius, et alii in suis de Virginitate tractatibus eleganter scripserunt. Bonaventura etiam, Petrus, Richardus et alii de ea hic bene scribunt.

DISTINCTIO XXXIV

A. *De personis legitimis.*

NUNC superest attendere, quæ personæ sint legitimæ ad contrahendum matrimonium. Legitimæ judicantur personæ secundum statuta patrum, quæ diversa sunt. Aliæ namque fuerunt legitimæ ante legem, aliæ sub lege, aliæ in tempore gratiæ. Item, in primitiva Ecclesia quædam erant legitimæ, quæ modo non sunt. Earum vero quæ modo legitimæ sunt vel illegitimæ, quædam sunt plene legitimæ, quædam omnino illegitimæ, quædam mediæ. Plene legitimæ sunt, quibus non obviat votum continentiæ, vel ordo sacer, vel cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturæ frigiditas, et si quid est aliud. Penitus vero illegitimæ sunt per votum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. Mediæ vero sunt, nec plene legitimæ, nec omnino illegitimæ, per frigiditatem, per conditionem. Si enim tales junguntur ignoranter, commanere possunt quibusdam accedentibus causis, et eisdem deficientibus dividi.

B. *De frigidis separandis vel non.*

De his enim qui causa frigiditatis debitum reddere non possunt, consulit Gregorius ut permaneant. Sed si mulier causatur, dicens, Volo esse mater et filios pro-

creare; decrevit, ut uterque eorum septima manu propinquorum juret, quod nunquam carnaliter convenerint, et tunc mulier secundas nuptias contrahat; vir autem qui frigidæ naturæ est, absque spe conjugii permaneat. Ait enim sic : Interrogasti de his qui matrimonio juncti sunt et nubere non possunt, si ille aliam vel illa alium ducere possit. De quibus scriptum est : Vir et mulier si se conjunxerint, et post dixerit mulier de viro, quod coire non possit cum ea : si potest probari quod dicit per justum judicium, alium accipiat; si vero ille acceperit aliam, separentur. Item : De his requisisti qui ob causam frigidæ naturæ dicunt se non posse invicem operam carnis dantes commisceri. Iste vero, si non potest ea uti pro uxore, habeat eam quasi sororem. Quod si retinaculum conjugale voluerint rescindere, maneant uterque innupti : nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conveniet ? Igitur si vir aliam uxorem vult accipere, manifesta patet ratio : quia suggerente diabolo odii fomitem, exosam eam habuerit, et ideo eam dimittere mendacii falsitate molitur. Quod si mulier causatur et dicit, Volo esse mater et filios procreare; uterque eorum septima manu propinquorum, tactis sacrosanctis reliquiis, jurejurando dicat, quod nunquam per commixtionem carnis conjuncti, una caro effecti fuissent. Tunc videtur mulierem secundas posse contrahere nuptias; humanum dico propter infirmitatem carnis eorum. Vir autem qui frigidæ naturæ est, maneat sine conjuge. Quod si et ille aliam conjugem acceperit, tunc hi qui juraverant, perjurii crimine rei teneantur, et pœnitentia peracta, priora cogantur recipere connubia. Et hoc servandum est, quum uterque idem fatetur. Sed vir si asserit se debitum reddidisse uxori, et illa diffitetur; cui potius fides habenda sit, merito quæritur. De hoc ita statutum est : Si quis ita acceperit uxorem, et habuerit eam aliquo tempore, et ipsa femina dicit, quod nunquam coisset cum ea, et ille vir dicit, quod sic fecit; in veritate viri consistat, quia vir est caput mulieris. Hoc de naturali impossibilitate statutum est.

Decret. p. II, caus. 33, q. I, c. I.

Ibid. c. 2.

Rom. VI, 19.

Decret. loc. cit. c. 3.

C. *De his qui maleficiis impediti coire non possunt.*

De maleficii autem impedimento, hoc tenendum decernitur, quod si per sortiarias et maleficas concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus illa eveniunt, ut spiritu contrito et humiliato Deo et sacerdoti de omnibus peccatis confessionem faciant, et lacrimis atque eleemosynis, orationibus et jejuniis Domino satisfaciant; et per exorcismos ac cetera ecclesiasticæ disciplinæ munimina ministri Ecclesiæ tales sanare procurent. Quod si non potuerint, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis viventibus quibus post junctæ fuerint, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. — Quod in fine hujus capituli continetur, ex rigore magis dictum intelligendum est, quam ex canonica æquitate; vel intelligendum est, non posse reconciliari prioribus nisi judicio Ecclesiæ, quo divisio facta fuerat.

Ibid. c. 4.

D. *De furiosis addit.*

Decret. p. II, caus. 32, q. 7, c. 26. Furiosi quoque, dum in amentia sunt, matrimonium contrahere non valent. Unde Fabianus : Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt; Ibid. c. 25. sed si contractum fuerit, non separentur. Item Nicolaus Papa : Hi qui matrimonium sani contraxerunt, et uni ex duobus vel ambobus amentia vel furor vel infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem talium conjugia solvi non possunt. Similiter est etiam sciendum de his qui ab adversariis excæcantur, vel membris truncantur, vel a barbaris exsecti fuerint.

E. *De his qui cum duabus sororibus dormiunt.*

De his etiam qui cum duabus sororibus, vel quæ cum duobus fratribus dormiunt, videndum est quid censeant canones. Ibid. caus. 27, q. 2, c. 30. Qui dormierit cum duabus sororibus, et una ex illis ante fuerit uxor, neutram ex ipsis habeat; nec ipsi adulteri unquam in Gratian. ibid. conjugio copulentur. Item : Nec propriæ uxori licet sibi reddere debitum, quam sibi reddidit illicitam, sororem ejus cognoscendo; neque post mortem uxoris licet ei vel Decret. p. II, caus. 32, q. 7, c. 24. adulteræ copulari in conjugium. Item Zacharias Papa : Concubuisti cum sorore uxoris tuæ; si fecisti, neutram habeas; et uxor tua, si non fuerit conscia sceleris, et continere non vult, nubat in Domino cui vult. Tu vero et adultera sine spe conjugii maneatis, et dum vivitis, pœnitentiam agite. Quod ait, Cui vult nubat, intelligendum est post mortem viri. Ibid. c. 22. Unde Gregorius : Qui uxores suas in adulterio deprehendunt, nec ille nec illa aliam uxorem accipiat, vel alium virum, quamdiu ambo vivunt. Si vero adultera mortua fuerit, vir ejus si vult nubat; adultera vero nunquam, etsi mortuus fuerit vir ejus, sed omnibus diebus pœnitentiæ lamenta persolvat. — Hic de illo adulterio agitur quod cum cognato viri vel cum cognata uxoris committitur.

F. *Non est dimittenda uxor pro aliqua macula seu deformitate corporis.*

Illud etiam sciendum est, quod pro aliqua infirmitate vel macula corporali non licet viro uxorem dimittere, et econverso, sed debet alter alteri subsidia providere. Ibid q. 5, c. 18. Unde Augustinus : Si uxorem quis habeat sterilem, sive deformem corpore, vel debilem membris, vel cæcam, vel claudam, vel surdam, vel si quid aliud, sive morbis vel laboribus doloribusque confectam, et quidquid, excepta fornicatione, excogitari potest vehementer horribile, pro societate fideque sustineat.

SUMMA

DISTINCTIONIS TRICESIMÆ QUARTÆ

JAM ante tractavit Magister de matrimonio et causis ipsius; nunc loquitur de personis ad contrahendum aptis, et non aptis; qualiter etiam diversæ personæ diversimode sunt ineptæ. De his primo agit in generali, deinde per diversa hujus distinctionis capitula in speciali, utpote: de impedimento frigiditatis, de impedimento maleficii, de impedimento furiæ, et de impedimento incestus.

QUÆSTIO PRIMA

QUæritur ergo de istis impedimentis correspondenter ad litteram, primo in generali, deinde in speciali.

De his scribit Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto: Impedimentorum matrimonii quædam sunt substantialia, quædam accidentalia. Substantialia sunt, quæ omni tempore impediunt matrimonium; accidentalia, quæ in aliquo casu impediunt illud, et in aliquo non. Et primo de substantialibus est dicendum. Hæc impediunt matrimonium contrahendum, dirimuntque contractum. — Hæc Antisiodorensis, qui ordine suo ista prosequitur. Sed non ita procedit Magister: ideo ejus processum sequendo, aliqua hinc inde ex præfati summa doctoris accipiam.

Itaque de frigiditate seu impotentia coeundi affirmat: Hæc impotentia duplex est: una naturalis, alia accidentalis. Naturalis est triplex: prima est naturalis frigiditas; secunda, defectus ætatis; tertia, arctatio naturæ. Quælibet harum impedit matrimonium, et dirimit contractum. De defectu ætatis constat, quod non valent sibi invicem debitum reddere; similiter, si quis sit naturaliter frigidus in tantum, ut nec naturaliter nec per medicinalia adju-

A tus queat coire; similiter, si mulier sit tam arcta, ut nec per medicinalia, nec per violentiam, ut per sectionem aut per aliquid simile, possit idonea fieri ad hoc ut cognoscatur, nequit contrahere: et si de facto contrahat, matrimonium nullum est. — De his doctor iste bene prosequitur. Verumtamen, quoniam Doctor sanctus de eisdem planius ac compendiosius loquitur, scripta ejus inducam, in quo et aliorum scripta pro maxima parte comprehenduntur.

Quædam, inquit, sunt de essentia matri-

B monii, et quædam de solennitate ejusdem. Quumque remotis his quæ sunt de solennitate sacramenti, adhuc verum permanet sacramentum; ideo impedimenta contrariantia his quæ sunt de solennitate sacramenti, non efficiunt quin sit matrimonium verum. Et talia dicuntur impedire contrahendum, non tamen contractum dirimere: ut sunt prohibitio Ecclesiæ, et tempus feriatum. Et de hoc sunt versus hi:

> Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum
> Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

C De aliis quoque impedimentis sunt versus isti:

> Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
> Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
> Si sis affinis, si forte coire nequibis:
> Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Horum numerus seu sufficientia sic accipi potest. Matrimonium impediri potest aut ex parte contractus ipsius matrimonii, aut ex parte contrahentium. Si primo modo,

D quum contractus matrimonii per voluntarium fiat consensum, qui tollitur per ignorantiam et violentiam; sic erunt duo matrimonii impedimenta, utpote vis, id est violentia seu coactio, et error ex parte ignorantiæ. Hinc de his duobus impedimentis supra tractavit Magister, agendo de matrimonii causis. Nunc tractat de impedimentis ex parte contrahentium, quæ taliter distinguuntur. A matrimonio contrahendo potest homo impediri vel simpliciter, vel respectu certæ personæ. Si

Cf. dist. XXIX, XXX.

simpliciter, ita quod cum nulla possit contrahere, hoc non potest esse nisi quoniam impeditur ab actu matrimoniali : quod contingit dupliciter. Primo, quia non potest de facto : sive quia omnino non potest, et sic impotentia coeundi ponitur impedimentum; vel quia libere non potest, sicque ponitur impedimentum conditio servitutis. Secundo, quoniam licite non potest, et hoc secundum quod ad continentiam obligatur. Quod contingit dupliciter : primo, ex suscepto officio, et sic est impedimentum ordinis; vel ex voto emisso, et sic impedit votum. Si autem quis impeditur a matrimonio contrahendo non simpliciter, sed respectu alicujus personæ : vel hoc est propter obligationem ad personam alteram, sicut qui uni personæ matrimonialiter junctus est, non potest alteri jungi, et ita est ligamen, videlicet matrimonii; vel quoniam deficit proportio ad aliam personam. Et hoc potest esse tripliciter. Primo, propter nimiam ab ipsa distantiam : et ita est disparitas cultus. Secundo, propter nimiam propinquitatem : et sic ponitur triplex impedimentum. Primum est cognatio; secundum est affinitas, quæ importat propinquitatem duarum personarum ratione tertiæ matrimonio junctæ ; tertium est publicæ honestatis justitia, in qua est duarum propinquitas personarum ratione tertiæ personæ per sponsalia junctæ. Tertio, propter indebitam conjunctionem ad ipsam prius factam : sicque impedit crimen adulterii prius commissi cum illa.

Verum circa hæc quæri potest, cur sacramento Matrimonii potius quam aliis sacramentis assignantur impedimenta. Et respondendum, quod etiam alia sacramenta poterunt impediri, si quid subtrahatur quod sit de essentia sacramenti, aut de solennitate ipsius. Matrimonio tamen specialiter impedimenta assignantur. Primo, quia consistit inter duos : ideo pluribus potest modis ac rationibus impediri, quam alia quæ uni personæ singulariter competunt. Secundo, quoniam matrimonium habet causam in Deo atque in nobis, sed alia quædam sacramenta solum in Deo : unde et pœnitentiæ, quæ etiam aliquo modo causam habet in nobis, Magister aliqua impedimenta assignavit supra, distinctione sextadecima, videlicet hypocrisim, ludos, etc. [Dist. xvi, q. 3.] Tertio, quia de aliis sacramentis est consilium seu præceptum, tanquam de bonis perfectioribus; de matrimonio autem est indulgentia, tanquam de bono minus perfecto. Idcirco ut detur occasio proficiendi in melius, plura ponuntur matrimonio impedimenta quam aliis sacramentis. — Præterea personæ dicuntur ad contrahendum illegitimæ, quia sunt contra legem qua constitutum est matrimonium. Matrimonium quippe in quantum est officium naturæ, lege statuitur naturali; in quantum sacramentum, statuitur jure divino; in quantum vero est in officium communitatis, statuitur lege civili. Hinc a qualibet harum legum potest persona ad matrimonium illegitima reddi. Quumque lex naturalis, secundum diversos status diversas recipiat determinationes, jus quoque positivum varietur secundum diversas hominum conditiones ; ideo ait Magister, in diversis temporibus diversas personas illegitimas fuisse. — Dicuntur demum impedimenta quædam matrimonium contractum dirimere : non quod matrimonium verum possit dissolvi personis viventibus, sed quia matrimonium quod non fuit verum matrimonium, utpote non de jure contractum, faciunt irritari, ita quod ostenditur verum matrimonium non fuisse. Sic et quædam impedimenta dicuntur matrimonia contrahenda impedire, contracta non dirimere seu non dissolvere : non quin verum matrimonium contrahatur, etiamsi impedimenta illa concurrant, sed quia illicite fiunt, et peccat sic contrahens : sicut si quis consecret pransus, vere consecrat, quamvis peccet contra Ecclesiæ jussionem agendo. — Hæc Thomas in Scripto.

At vero Petrus : Omnis (ait) effectus qui constituitur ex causis impedibilibus, po-

test impediri. Matrimonium autem constituitur non solum ex causis divinis, sed etiam humanis, quæ impediri multipliciter possunt. Sufficientia vero impedimentorum matrimonii accipi potest penes quatuor matrimonii causas. Nam penes causam efficientem, quæ est consensus mutuus per verba de præsenti expressus, accipiuntur tria impedimenta, quæ sunt, error personæ, error conditionis, atque coactio. Penes causam vero finalem, quæ duplex est, utpote, generatio filiorum ad Dei obsequium educandorum, et remedium fornicationis, sumuntur alia tria. Nam contra officium generationis est impotentia coeundi; contra educationem prolis ad cultum Dei est disparitas cultus; contra remedium morbi, enormitas criminis, qua se facit indignum conjugio. Penes causam materialem sumuntur tria : quoniam matrimonium est conjunctio personarum, tam corporum quam animorum; et quia natura in tali opere nimiam propinquitatem abhorret, ideo nimia propinquitas impedit matrimonium. Et hæc triplex est, utpote, per cognationem, per affinitatem, per publicæ honestatis justitiam. Penes causam quoque formalem tria accipiuntur, quia matrimonium est vinculum societatis indissolubilis, qua transfertur potestas corporum. Quam translationem seu vinculum impediunt tria, utpote : ordo, in quo homo se tradit divino officio; votum solenne, quo se tradit in obedientiam alterius hominis; et ligamen, in quo potestatem sui corporis tradit alteri conjugi. Hæc Petrus. — Concordant Albertus, Bonaventura, Richardus et alii, secundum quos sunt duodecim matrimonii impedimenta, quæ partim sequuntur.

QUÆSTIO II

NUnc addendum de matrimonii impedimentis in speciali.

De quibus Thomas scribit, et primo de frigiditate : In matrimonio, dicens, est qui-
A dam contractus quo unus alteri obligatur ad debitum. Unde sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si quis se obligat ad id quod non potest dare aut facere seu implere; ita non est conveniens matrimonii contractus, si fiat ab aliquo qui debitum carnis solvere nequit. Quod impedimentum vocatur impotentia coeundi, nomine generali : quæ potest esse ex causa intrinseca naturali, et ex causa extrinseca accidentali, ut per maleficium, sicut dicetur. Si est ex causa naturali, hoc
B potest esse dupliciter : quia aut est temporalis, cui subveniri potest remedio medicinæ aut ætatis processu, et tunc non solvit matrimonium; vel est perpetua, et tunc solvit illud, ita quod talis de cetero maneat sine spe conjugii, alter nubat cui vult in Domino. *I Cor.* vii, 39. Denique, ad cognoscendum utrum impedimentum exsistat perpetuum, Ecclesia statuit tempus determinatum, in quo hujus rei possit haberi experimentum, puta triennium : ita quod si post triennium, in quo fideliter dede-
C runt operam copulæ carnali, inveniatur matrimonium non esse consummatum, judicio Ecclesiæ dissolvatur. Attamen in hoc quandoque errat Ecclesia, quoniam infra triennium aliquando experiri sufficienter non valet perpetua impotentia ista. Unde Ecclesia si inveniat se deceptam per hoc, quod ille in quo fuit impedimentum, inveniatur carnalem copulam cum eadem aut alia perfecisse, reintegrat matrimonium primum, dirimitque secundum, quamvis de ejus licentia sit effectum. — Et si obji- *Cf.* p. 66 C, 91 A.
D ciatur, quod carnalis copula non est de essentia matrimonii; dicendum, quod quamvis sit ita, tamen potentia ad hoc est de matrimonii veri essentia : quia per matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpus alterius respectu copulæ.

Verumtamen his rursus objicitur. Primo, quoniam sicut nimia frigiditas, ita et nimia caliditas vehementer desiccans, carnalem impedit copulam, et tamen non ponitur impedimentum conjugii. — Secundo, vetuli sunt frigidi, et tamen permittuntur

contrahere. — Tertio, si mulier scit virum **A** esse frigidum dum contrahit cum eodem, verum est matrimonium : ergo frigiditas non impedit per se. — Quarto, contingit in aliquo esse caliditatem sufficientem ad cognoscendum corruptam, non autem ad cognoscendum virginem, quoniam calidum celeriter evaporat ratione suæ debilitatis, ita quod ad virginem corrumpendam non sufficit. Similiter in aliquo sufficiens consistit caliditas ad cognoscendum formosam, non ad cognoscendum deformem, quia formosa concupiscentiam plus inflam- **B** mat. Ergo frigidus respectu alicujus, non universaliter a matrimonio impeditur. — Quinto, mulier universaliter frigidior est viro, nec tamen impeditur a connubio.

Et respondendum ad primum, quod caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum. Si tamen inveniretur, quod per triennium copulam impediret carnalem, judicaretur perpetuum. Nihilo minus, quia frigiditas intensius atque frequentius impedit matrimonium (nam impedit non solum seminum mixtionem, sed **C** membrorum quoque rigorem); idcirco magis hic ponitur matrimonii impedimentum quam caliditas, quum et omnis defectus naturalis ad frigiditatem reducatur. — Ad secundum, quod vetuli, quamvis interdum non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, habent tamen sufficientem ad copulam : ideo conceditur eis matrimonium secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in naturæ officium. — Ad tertium, quod in omni contractu universaliter ob- **D** servatur, quod impotens ad solvendum, non reputatur idoneus ad contractum quo ad solutionem se obligat. Tamen quis dicitur tripliciter impotens ad solvendum. Primo, quia non potest solvere de jure : et talis impotentia facit contractum penitus nullum, sive sciat is cum quo facit contractum, sive ignoret impotentiam istam. Secundo, quia non potest de facto : et sic si ille cum quo contrahit, scit impotentiam istam, patet quod alium quærit finem ex contractu, ideo stat contractus; si autem nescit, non stat contractus hujusmodi. Hinc frigiditas causans impotentiam talem quod non valet de facto solvere debitum, atque conditio servitutis per quam homo non potest de facto libere solvere, impediunt matrimonium. Impedimentum autem per quod quis non potest de jure reddere debitum, ut consanguinitas, annihilat matrimonium, sive alter sciat, sive non : ideo dicit Magister, quod hæc duo faciunt personas non omnino illegitimas. Cf. p. 136 A in littera. — Ad quartum, quod non potest esse perpetuum impedimentum in viro respectu unius personæ et non respectu alterius. Si vero non possit carnalem actum explere cum virgine, et posset cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustrum pudoris solvere, et sic ei conjungi. Nec hoc esset contra naturam, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum. Porro abominatio mulieris non est causa naturalis, sed accidentalis extrinseca : idcirco de ea est idem judicium quod de maleficio, de quo mox dicetur. — Ad quintum, quod mas in generatione est agens, et femina patiens. Hinc ad opus generationis major caliditas requiritur in viro quam muliere. Unde frigiditas quæ virum facit impotentem, non redderet impotentem uxorem. Aliunde tamen potest impedimentum esse in femina naturale, utpote ex arctatione : sicque idem judicium est de arctatione mulieris, et frigiditate mariti. — Hæc Thomas in Scripto.

Qui consequenter de impedimento maleficii addit : Quidam dixerunt maleficia nil esse nisi in hominum æstimatione, qui naturales effectus quorum causæ occultæ sunt, maleficiis deputabant. Sed hoc est contra auctoritates Sanctorum, dicentium quod dæmones si desuper permittantur, potestatem habent super corpora imaginationesque hominum, ita quod per eos malefici aliqua signa facere queunt. Denique opinio illa ex infidelitate procedit, quia non credunt dæmones esse nisi in vulgi æstimatione, ita quod terrores quos homo

sibi ipsi ex sua æstimatione ingerit, dæmoni imputet; et quod etiam ex vehementi imaginatione, figuræ quædam appareant in sensu tales quales homo intra se cogitat, tuncque dæmones apparere creduntur. Verum hæc omnia falsa et ficta esse cognoscimus, et contra experientias certas, ut super secundum ostensum est.

Cf. dist. VII, q. 5.

Sunt quoque contra catholicam fidem qua angelos corruisse, et dæmones factos esse certissime scimus, atque ex subtilitate et agilitate suæ naturæ multa scire et posse quæ nos nec scimus nec possumus : propter quod qui ipsos ad talia facienda inducunt, malefici appellantur. — Alii ergo dixerunt, per maleficia præstari posse impedimentum copulæ carnali, tamen nullum tale esse perpetuum, ideo non dirimere matrimonium contractum, et jura antiqua aliter dicentia, esse revocata. Sed hoc est contra experimenta et jura nova, quæ antiquis concordant. — Ideo distinguendum : quoniam impotentia coeundi ex maleficio veniens, aut est perpetua, et sic matrimonium dirimit; aut non est perpetua, et ita non dirimit. Atque ad hoc experiendum, eodem modo ab Ecclesia constitutum est tempus triennii, sicut de frigiditate est dictum.

Cf. p. 141 B'.

Hæc tamen inter frigiditatem maleficiumque differentia assignatur : quia qui impotens est ex frigiditate, ita est impotens ad unam sicut ad aliam; idcirco cum alia contrahere prohibetur. Impotens vero ad unam ex maleficio, potest esse ad aliam potens; idcirco dum per Ecclesiam separantur, datur utrique libertas quærendi aliam copulam.

Præterea advertendum, quod quia prima peccati corruptio, per quam homo diaboli servus effectus est, in posteros per actum generativæ descendit, ideo maleficii potestas permittitur a Deo justissimo per diabolum exerceri potissime in actu generativæ : quemadmodum et in serpentibus magis ostenditur virtus maleficiorum, ut dicitur, quam in animalibus aliis, quoniam per serpentem tentavit diabolus hominem. — Maleficium quoque est ita

A perpetuum, quod non potest humano opere habere remedium, quamvis omnipotens Deus possit præstare subsidium dæmonem compellendo, seu dæmon desistendo. Nec semper oportet ut quod per maleficium factum est, possit per maleficium aliud destrui, ut et ipsi malefici confitentur. Et quamvis per maleficium posset remedium adhiberi, nihilo minus perpetuum reputaretur : quoniam nullo modo debet quis auxilium dæmonis per maleficia invocare. Nec oportet quod si propter peccatum ho-

B minis data sit potestas diabolo in hominem, cessante peccato cesset hujusmodi plaga : quia frequenter durat pœna cessante culpa. Exorcismi quoque Ecclesiæ non semper valent ad reprimendum omnes corporales molestias a dæmonibus introductas, exigente hoc justo Dei judicio; semper tamen valent contra illas dæmonum infestationes contra quas sunt principaliter instituti. — Amplius, per maleficium potest induci impedimentum quandoque ad unam tantummodo mulie-

C rem, quandoque ad plures : quia diabolus est voluntaria causa. Sed et impedimentum maleficii potest procedere ex dæmonis impressione in imaginatione viri, ex qua aufertur ab eo concupiscentia ad unam aut aliam, vel ad plures.

Insuper, furia matrimonium sequens, nequaquam dirimit matrimonium. Si autem præcedat, tunc aut furiosus habet lucida intervalla, aut non. Si habet, tunc potest contrahere, quamvis non sit tutum, quum sit ad educationem prolis ineptus;

D si non habet, non potest contrahere, quia non adest consensus ubi non adest usus seu actio rationis.

At vero si quis cognoscat sororem aut cognatam alicujus mulieris ante matrimonium cum illa, oportet matrimonium separari etiam post sponsalia, ratione affinitatis contractæ. Si vero post matrimonium contractum et consummatum, non debet totaliter separari, sed vir amittit jus petendi debitum, nec potest petere sine peccato, sed reddere : quoniam uxor jus pe-

tendi non perdit. Post mortem demum A suæ uxoris debet sine spe conjugii permanere, nisi ob ejus fragilitatem dispensetur cum eo, quando de ejus periculo formidatur. Quod si sine dispensatione contraxerit, matrimonium non est separandum, quamvis peccet contra statutum Ecclesiæ hoc faciendo.

Sed propter sterilitatem uxoris matrimonium non potest dissolvi : quoniam etsi matrimonium non habet suum effectum in sterili secundum quod est in naturæ officium, habet tamen secundum quod est B in culpæ remedium.

Porro divortium sic fieri debet in casu impotentiæ. Dum coeundi impotentia allegatur, et vir et uxor confitentur, si est evidens impedimentum, quemadmodum in eunuchis, possunt mox separari. Si vero non sit evidens impedimentum, præcipiendum est eis, ut adhuc cohabitent, bona fide operi carnali operam dantes. Quod si usque triennium fieri nequit, jurabit uterque quod bona fide operi illi operam dantes, non potuerunt conjungi carnaliter; et C ne divortium facile celebretur, requiritur ut septem de propinquis qui hoc melius sciunt, et qui de hoc per signa probabilia possunt veritatem cognoscere, jurent quod credunt ipsos verum dixisse. — Hæc Thomas.

Concordat Petrus, et addit : Perpetua impotentia coeundi, aut matrimonium antecedit, et sic impedit contrahendum, et dirimit contractum; aut sequitur, et ita nec dirimit nec impedit. Et hæc dupliciter noscitur : primo certive, per corporis ad- D spectum; secundo probabiliter, si triennio cohabitantes, etc., ut supra. Aut ergo uterque proclamat ad judicium, et profitetur impedimentum : et tunc propter periculum illusionis, uterque jurabit sic esse ut jussum fuit (quod scilicet operam dederunt ad copulam, nec potuerunt), cum septima manu, id est cum septem propinquis, ut tactum est. Aut alter confitetur, alter negat. Aut ergo vir provocat ad separationem, aut mulier : si vir, incumbit ei probatio uxore negante, nec creditur ei soli; si mulier provocat, viro contrarium sentiente, creditur viro, quia vir caput est (I *Cor.* xi, 3.) mulieris, nisi mulier adspectu corporis possit probare virum esse mentitum. Separatione autem facta, mulieri datur licentia contrahendi cum alio; frigidus sine spe manebit conjugii. Quod si contraxerit et cognoverit eam quam sumpserit, cogetur redire ad primam. Hæc Petrus.

Et in his continentur scripta Bonaventuræ et Richardi de istis. Bonaventura tamen affirmat, quod impedimentum frigiditatis interdum est ex parte utriusque. Cujus oppositum videtur in verbis Thomæ haberi, quum ait quod femina in actu commixtionis est patiens, et mas agens, etc. (p. 142 C'.) Et verum quod nec ita frequenter, neque tam evidenter potest ex parte mulieris frigiditas allegari aut objici.

De his multa scribit Albertus, ex quibus dicta S. Thomæ sunt sumpta, et ait : Nullum est dubium multos esse maleficiatos dæmonum potestate; quod constat omnibus qui de necromantia et factis imaginum aliquid norunt. Et hanc potestatem accepit diabolus propter hominum patientium peccata permissus, vel ad exemplum aliorum. Virtute namque divina fit compulsio, et est potius vindicta et pœna gravissima peccati, quam exauditio maleficii, ut qui in sordibus est, sordescat adhuc, et (*Apoc.* xxii, 11.) accipiat cooperationem erroris, qui credere noluit veritati. Unde compulsio fit per Deum et angelos sanctos, operatio vero per dæmonem. Et interdum effectus non sequitur, quia (ut puto) Deus ex misericordia sua dæmonum potestatem restringit : cujus rei aliam causam necromantici tradunt, de qua nihil ad præsens.

Si autem quæratur, utrum maleficium excludendum sit per maleficium; videtur quod sic, quia necromantici docent unum maleficium excludi per aliud, ut patet in libro Hermetis qui de Secretis Aristotelis intitulatur. In contrarium, quod lex Dei præcipit eos occidi qui consulunt magos, (*Lev.* xix, 31; *Deut.* xviii, 10, 11.) et quærunt a mortuis veritatem; et ut ha-

betur in littera, per orationes atque jejunia est talibus resistendum. — Et respondendum, quod nullo modo quærenda est medicina per incantatorem, sed potius tolerandum est maleficium. Et ad objectum dicendum, quod illi tanquam pestiferi docent nocere; et dum dæmones cessant a læsione, dicuntur curare, ut in vita S. Bartholomæi narratur. Curari quoque maleficiatus potest, si totum conferat se ad Deum per orationem, compunctionem et satisfactionem.

Communiter quoque tenet Ecclesia, quod maleficiatus ad unam, non est maleficiatus ad aliam. Et si non juvatur orationibus devotorum, datur utrique licentia contrahendi cum alio, nec unquam ista licentia revocatur. — Verumtamen objici potest, Thebit. quia in libro Imaginum docetur fieri imago quæ maleficiat simpliciter : facit enim diligere castitatem, atque abscindit universaliter coitum. Et respondendum, quod hoc fieri nequit, nisi quis omnino infrigidetur. Bene tamen inducitur amor castitatis per necromantiam, et abominatio coitus; attamen manet motus in aliquam, propter fomitis incendium, nisi infrigidetur quis penitus. — Hoc item pensandum quod jura dicunt, adulterum non posse contrahere cum ea quam prius polluit per adulterii crimen, nisi in casibus qui in littera ponuntur. — Hæc Albertus.

Durandus demum circa hæc addit : Quando propter arctationem mulieris separatur matrimonium, mulier debet sine conjugio remanere. Si autem nubat alteri et cognoscatur ab illo, quæritur an reintegrabitur matrimonium primum. Dicendum quod imo, si primus vir et secundus sint similis naturæ et complexionis : quoniam sicut cognoscibilis est a secundo, ita cognoscibilis fuit a primo; et sic loquitur quædam Decretalis. Decretal. lib. IV, tit. 15, c. 6 in fine. Si vero sint complexionis notabiliter distantis, ratione cujus mulier nunquam cognoscibilis fuit a primo immediate, non debet restitui illi primo : quoniam mulier arcta simpliciter inepta est cum illo contrahere a quo immediate cognosci non potest. Non enim licet ut cognoscibilis ei fiat per alium secum coeuntem. Hæc Durandus.

DISTINCTIO XXXV

A. *Eodem jure utitur vir et mulier.*

HOC etiam notandum est, quod quum Dominus concedat uxorem dimitti causa fornicationis viro, eadem licentia non tollitur feminis. Unde Hieronymus : Præcepit Dominus uxorem a viro non dimitti, excepta causa fornicationis; et si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad feminas. Non enim adultera uxor dimittenda est, et vir mœchus tenendus. Item : Apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris; et eadem servitus pari conditione censetur. — Ex his ostenditur, quod mulier potest super fornicatione virum convenire, ut vir mulierem. Unde Innocentius Papa : Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat; sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, viri autem liberius uxores suas adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt; et ideo mulieribus, prodito earum crimine, omnino negatur communio; virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus arcetur; qui tamen submovebitur, si ejus flagitium detegatur.

Decret. p. II, caus. 32, q. 5, c. 19. — Ibid. c. 20. — Ibid. c. 23.

B. *Quod fornicariam nequit dimittere vir, nisi et ipse expers fornicationis fuerit, et econverso.*

Si vero quæritur, an adulter adulteram possit dimittere causa fornicationis; dicimus, quia nequit adultera uxor dimitti a viro, nisi et ipse expers fornicationis exsistat, et econverso. Unde Augustinus : Nihil iniquius est quam causa fornicationis dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud : In quo alterum judicas, te ipsum condemnas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus : quod similiter et de femina dixerim. Idem : Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas, quum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet et virtute vincere et exemplo regere feminas. — Ex his apparet, quod adulter adulteram dimittere non valet, et econverso.

Decret. p. II, caus. 32, q. 6, c. 1. *Rom.* II, 1. Decret. loc. cit. c. 4.

C. *Quod possunt reconciliari qui separantur causa fornicationis.*

Si quis autem fornicationis expers fornicariam dimiserit, alii copulari non potest, sed continere oportet, vel ad dimissam redire : sic est et de femina. Unde et Apostolus : His qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et de viro addit : Et vir uxorem non dimittat. Sed Ambrosius ait : Ideo non subdit de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere. Sed hoc a falsariis in Ambrosii libro positum creditur. Supplendum enim esse in viro quod de uxore præmisit, aperte dicit Augustinus sic : Quare non addit de muliere quod præmisit de viro, nisi quod similem formam vult intelligi, ut si dimiserit, quod causa fornicationis permittitur, maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori? Idem : Si nec nubere illi conceditur, vivo viro a quo recessit, nec huic alteram ducere, viva uxore quam dimisit; multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere. Idem : Ut non facile dimittatur uxor, Dominus solam fornicationis causam excepit; ceteras vero universas molestias, si quæ exstiterint, jubet pro fide conjugali et pro castitate fortiter sustineri; et mœchum dixit, qui a viro solutam duxit. — Ex his ostenditur, quod si causa fornicationis fit separatio, non potest vir vel mulier in aliam transire copulam. Possunt autem reconciliari et cohabitare sicut prius, si dimissum alter revocare voluerit.

I *Cor.* VII, 10, 11. Ambrosiast. in I Cor. VII, 11. Decret. loc. cit. c. 3. Ibid. c. 4. Ibid. c. 6. *Matth.* XIX, 9.

D. *Quæ prædictis videntur obviare.*

Dicit tamen Joannes Chrysostomus : Sicut crudelis et iniquus est qui castam dimittit, sic fatuus est et iniquus qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est qui celat crimen uxoris. Item Hieronymus : Quum mulier unam carnem in aliam diviserit, et se fornicatione a marito separaverit, non debet teneri, ne virum quoque

Decret. loc. cit. q. 1, c. 1. Ibid. c. 2.

sub maledicto faciat, dicente Scriptura : Qui tenet adulteram, stultus est et insipiens. Idem ad Amandum presbyterum scribens de quadam quæ viro suo vivente alii nupserat, sic ait : Rem novam loquor, imo non novam, sed veterem, quæ veteris Testamenti auctoritate confirmatur : Si reliquerit secundum virum mulier, et reconciliari voluerit priori, non potest. *Prov.* xviii, 22. Hier. Epist. 55, n. 4. *Deut.* xxiv, 4.

E. *Determinatio.*

Sed hæc omnia intelligenda sunt de illa quæ ab adulterio recedere noluit, nec per pœnitentiam peccatum delere : quod si vir scienter patitur, consentire videtur. Si enim in adulterio perseverare elegerit, patronus turpitudinis et lenocinii reus maritus habebitur, nisi eam adulterii ream facere voluerit. Si autem a peccato recesserit, et per pœnitentiam illud purgaverit, poterit viro reconciliari. Unde Augustinus : Quod tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjux, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos credimus pœnitentia esse sanatos ? Idem : Non erit turpis nec difficilis, etiam post patrata et purgata adulteria, reconciliatio conjugii, ubi per claves regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum : non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium adultera non vocetur. Item Gregorius : Debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit, sed non sæpe. Item Hermes : Si vir scierit uxorem suam deliquisse, et non egerit pœnitentiam mulier, sed permanet in fornicatione sua, et vivit communiter cum illa, vir reus erit et particeps peccati ejus. Quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam, et voluerit ad virum reverti, debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit, sed non sæpe. Gratian. in caus. 32, q. 1, c. 10. Decret. p. ii, caus. 32, q. 1, c. 7. Ibid. c. 8. Decretal. lib. v, tit. 16, c. 3. Hermas, Pastor, lib. ii, mandat. 4, c. 1.

F. *De illis qui se ante polluerunt per adulterium.*

Solet etiam quæri, an valeat duci in conjugium quæ prius est polluta per adulterium. De hoc Leo Papa ait : Nullus ducat in matrimonium quam prius polluit adulterio. Item : Relatum est auribus sanctorum sacerdotum, quemdam alterius uxorem stupro violasse, et insuper mœchæ juramentum dedisse, quod post legitimi mariti mortem si superviveret, duceret eam in uxorem : quod et factum est. Tale ergo connubium prohibemus et anathematizamus. — His aliisque auctoritatibus vetantur in conjugium copulari qui se prius adulterio maculaverunt. Sed econtra Augustinus ostendit, dicens : Denique mortuo eo cum quo fuit verum conjugium, fieri potest conjugium cum qua præcessit adulterium. Idem : Posse fieri sane licitas nuptias ex personis illicite conjunctis, honesto placito subsequente, manifestum est. Decret. p. ii, caus. 31, q. 1, c. 1. Ibid. c. 4. Ibid. c. 2. Ibidem.

G. *Determinatio.*

Sed hæc ultima auctoritas de concubinis loquitur, perhibens concubinas posse transire ad honestum placitum nuptiarum, si castitatem et fidem servare velint.

Prima vero auctoritas Augustini de illis agit qui de peccato pœnituerunt, et nihil in mortem viri machinati sunt ; nec vivente viro fidem adulteræ dedit mœchus quod eam in conjugio duceret, si superviveret. Qui vero hæc faciunt, aliis præmissis auctoritatibus prohibentur copulari.

SUMMA

DISTINCTIONIS TRICESIMÆ QUINTÆ

In hac distinctione docetur, qualiter propter adulterii crimen, conjugati ab invicem separantur. Et primo ostendit Magister, quod in hac re conjugati sunt juris ejusdem, ita quod sicut vir potest uxorem dimittere ob ejus adulterinam fornicationem, sic econtrario. Deinde circa hoc addit, quod maritus uxorem adulteram non potest abjicere, nisi ipse tanti sit criminis expers dum habuit eam. Et pandit, qualiter intelligenda sit separatio ista, utpote quantum ad cohabitationem seu torum, non quantum ad vinculum conjugale. Discutit quoque, an liceat viro non abjicere sed secum tenere adulteram. Postremo scrutatur, qualiter adulterium impedit matrimonium contrahendum.

QUÆSTIO UNICA

Hic quæritur, **An propter fornicationem unius conjugum, alius possit illum abjicere; et utrum teneatur ad hoc, vel magis expediat quod reconcilientur.**

Videtur quod propter fornicationem non liceat separare matrimonialiter junctos, nec unus eorum se ab alio possit retrahere. Primo, quia ex hoc sequitur sæpe major confusio, et filii aut filiæ præter propriam culpam diffamantur tanquam proles adulteræ matris. Inde quoque consequitur odium, et alii scandalizantur. — Secundo, quia debemus pro malis retribuere bona. — Tertio, quia ut ait Apostolus,
A debemus esse imitatores Dei sicut filii *Ephes.* v, 1.
carissimi. Deus autem altissimus animas sibi per fidem desponsatas atque per caritatem viscerose unitas, si fornicentur cum dæmone et cum rebus inanibus, semper paratus est ad veniam capere, imo hortatur ut redeant, et frequenter post reditum gratiosius sibi conjungit : ergo vir non statim pro una fornicatione aut pluribus, debet se ab uxore retrahere, nec implacabilem exhibere. — Quarto, quia si post separationem, cum aliis contrahere
B prohibentur, erit separatio ista multorum adulteriorum occasio : ergo si Deus fragilitati humanæ sufficienter providit, oportebit licitum esse post separationem, cum aliis inire connubium, aut invicem indulgere et commanere.

In oppositum sunt quæ habentur in littera.

Ad hoc Bonaventura respondet : Propter fornicationem licet inter conjugatos divortium fieri, altero (utpote innoxio) postu-
C lante, quoniam Dominus hoc concessit. Id- *Matth.* xix, 9.
circo quoque concessit hoc, quoniam non servanti sed frangenti fidem, non tenetur vir fidem servare. Et quia directe peccavit contra actum matrimonialem, in eodem est punienda, exigente æquitate juris matrimonialis : quia privavit contoralem jure quod in ipsius adulterantis habuit corpore, et hoc sine alterius demerito. Unde non ex quacumque fornicatione fit divortium, sed ex vitiosa, atque ex parte alterius singularis, ita quod uterque non est adulterii
D reus. Si etenim fornicetur per violentiam aut ignorantiam facti, ut dum eum cui miscetur, suum putat exsistere contoralem, aut ipsum æstimat mortuum, excusatur. Si autem prostituit contoralem, aut in eodem est crimine, aut fovet adulteran-

tem, aut personam talem cognoscit dum A scit quod adultera sit, particeps criminis perhibetur, nec illam potest dimittere, imo se privat jure dimittendi illam. Hæc Bonaventura.

Eadem scribit quoque Thomas, verbis parum permutatis : Uxorem, inquiens, Christus concessit dimittere propter fornicationem, in pœnam illius qui fidem fregit, et in favorem ejus qui fidem servavit. Hinc septem casus excipiuntur in quibus non licet viro uxorem dimittere ob fornicationem : in quibus vel uxor immunis B est a crimine illo, vel in eo uterque culpabilis est. Primus est, quando vir similiter reus est criminis hujus. Secundus, dum eam prostituit. Tertius, dum uxor probabiliter credidit eum mortuum esse, et ideo alteri nupsit. Quartus, si latenter cognita est ab altero lectum ejus sub specie mariti intrante. Quintus, si opprimatur. Sextus, si viro fuit reconciliata, ac deinceps cognita ab eodem. Septimus, si matrimonio in infidelitate cum viro contracto, vir dedit uxori libellum repudii, et illa alteri C nupsit : tunc namque si convertatur uxor ad fidem, vir tenetur illam recipere. — Denique, propter fornicationem specialiter fit divortium, quoniam fornicatio est directe contra matrimonii bona. Impedit enim certitudinem prolis, et frangitur fides, nec significatio observatur, dum una persona dividit carnem suam in plures : hinc alia crimina, quamvis forsitan graviora, non causant divortium. Sed quum infidelitas sit fornicatio spiritualis, et matrimonii bono contraria, quod est proles D ad Dei obsequium educanda, ideo causat divortium; aliter tamen quam fornicatio corporalis : nam propter unam fornicationem carnalem, ad divortium potest procedi, non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem quæ pertinaciam monstrat, in qua infidelitas ipsa perficitur. — Sed quæri potest, an et propter scelus contra naturam possit divortium celebrari; et si sic, cur non exprimitur hoc. Respondendum, quod potest; non tamen exprimitur : primo, quoniam passio illa ignominiosa innominabilis est; secundo, quoniam rarius accidit; tertio, quia non causat incertitudinem prolis. Hæc Thomas in Scripto.

Qui insuper quærit, utrum vir tenetur uxorem adulteram dimittere. Et respondet : Dimissio uxoris fornicantis inducta est ad corrigendum crimen ipsius. Pœna autem corrigens non requiritur ubi emendatio jam præcessit. Idcirco si mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere; si vero non pœniteat, tenetur dimittere illam, ne consentire videatur, dum peccato illius correctionem debitam non apponit. Pœnitentem quoque potest aliter corripere quam ipsam abjiciendo, videlicet verbis et ictibus.

Insuper si quæratur, an vir proprio judicio possit illam dimittere ; dicendum quod sic, quantum ad torum, si constet sibi crimen illius; nec tenetur reddere debitum, nisi per Ecclesiam compellatur, et taliter reddens nullum sibi præjudicium facit. Non autem simul quantum ad torum et cohabitationem : nam ita non potest dimitti nisi Ecclesiæ judicio. Et si aliter dimissa fuerit, cogendus est vir ut eam recipiat ad cohabitationem, nisi in continenti possit probare mulieris adulterationem. Et ista dimissio divortium appellatur : ideo concedendum, quod divortium non valet nisi judicio Ecclesiæ celebrari. — Denique maritus potest accusare uxorem dupliciter de adulterio. Primo, ad tori separationem, coram judice spirituali : tuncque inscriptio fieri debet sine obligatione ad pœnam talionis, quia sic consequeretur suum intentum in utroque eventu. Secundo, ad punitionem criminis, in judicio sæculari : et sic oportet inscriptionem præcedere, per quam ad pœnam se obligat talionis, si in probatione defecerit. — Rursus, ut loquitur Decretalis, tribus modis proceditur in criminibus. Primo, per inscriptionem, quam debet præcedere clamorosa insinuatio, quæ locum tenet accusationis. Secundo, per accusationem, quam

Decretal. lib. v, tit. 1, c. 24.

præcedere debet inscriptio. Tertio, per denuntiationem, quam debet præcedere fraterna correptio. Et in hoc tertio modo servandum est quod ait Salvator de ordine fraternæ correptionis. *Matth.* XVIII, 15-17.

Præterea quæritur, an in causa divortii vir et uxor ad paria judicentur. Dicendum quod imo, ita ut idem sit licitum et illicitum uni quod alteri; non tamen pari causa judicantur ad illa, quum causa divortii sit major in uno quam in alio. In utroque tamen sufficiens est. Divortium namque est adulterii pœna, in quantum adulterium est contra matrimonii bona. Quantum autem ad bonum fidei, ad quam conjuges sibi invicem tenentur æqualiter, adulterium unius tantum est contra matrimonium quantum adulterium alterius; et hæc causa in utroque sufficit ad divortium. Sed quantum ad bonum prolis, plus peccat adulterium uxoris quam viri : ideo major causa divortii est in uxore quam in viro. Sicque ad æqualia, sed non ex æquali causa judicantur seu obligantur; non tamen injuste, quoniam in utroque est causa sufficiens ad hanc pœnam : quemadmodum duo latrones ad idem genus supplicii deputantur, quamvis unus alio multum deterior sit. — Et si objiciatur, quod divortium in nova lege conceditur loco repudii quod fuit in veteri lege, ut patet apud Matthæum; *Ibid.* XIX, 7, 8. in repudio autem vir et mulier non judicabantur ad paria (vir enim potuit repudiare uxorem, non econtrario) : ergo nec in divortio sunt ad paria judicandi. Dicendum, quod repudium non permittebatur nisi ad vitandum homicidium, de quo magis fuit periculum ex parte virorum quam conjugum : ideo viris permittebatur repudiare uxores, non econtrario.

Præterea quæri potest, quis gravius peccet, vir adulterando, an mulier. Et respondendum, quod in adulterio idem invenitur de ratione peccati quod in fornicatione simplici, et plus, videlicet matrimonii læsio. Si ergo consideretur id quod commune est adulterio et fornicationi simpli- A ci, peccatum viri et uxoris se habent sicut excedentia et excessa : quia in muliere est plus de humore, propter quod magis ducibiles sunt a concupiscentiis; in viro autem est plus de calore, qui concupiscentiam excitat. Simpliciter tamen loquendo, et ceteris paribus, vir in simplici fornicatione plus peccat, quia plus habet de rationis bono, quod præponderat quibuscumque motibus passionum; sed quantum ad læsionem matrimonii, quam adulterium fornicationi addit, ex qua divortium causat, plus pec- B cat mulier, ex cujus adulterio sequitur prolis incertitudo. Hinc simpliciter loquendo, plus peccat adultera mulier quam vir, ceteris paribus.

Amplius, si quæratur, an post divortium vir alteri nubere possit; dicendum quod non, quoniam vinculum matrimoniale non potest dissolvi nisi per mortem. Potest tamen mulier post divortium continentiam vovere, etiam viro invito, nisi videatur deceptam esse Ecclesiam per falsos testes sententiando de ipso divortio, quia in tali C casu, etiam si votum professionis emisisset, restitueretur viro, et teneretur ei reddere debitum; non tamen liceret ei exigere.

Ulterius quæritur, utrum post divortium uxor possit viro reconciliari. Et respondendum quod imo, si ipsa pœniteat et se emendet. Sententia namque Ecclesiæ divortium celebrantis, non cogit ad separationem, sed ad eam præbet et præstat licentiam. — Quocirca poterit quæri, an adultera separata possit revocari a viro. D Dicendum, quod id quod inducitur in favorem alicujus, non facit ei præjudicium. Quumque divortium sit concessum in viri favorem, non aufert ei jus petendi debitum et revocandi uxorem : ideo uxor tenetur viro id reddere, atque ad ipsum (si revocetur) redire, nisi de licentia ejus continentiæ votum emiserit. — Porro propter adulterium quod vir prius innocens, postea committit, hoc est post divortium, secundum juris rigorem non est cogendus ad recipiendum uxorem prius adulteram;

attamen secundum juris æquitatem judex A ex officio suo debet eum cogere, ut caveat periculo animæ ejus et scandalo aliorum, quamvis uxor non possit reconciliationem petere.

Insuper agnoscendum, quod plura sunt crimina quæ propter sui enormitatem impediunt matrimonium contrahendum. Primum est incestus; secundum, uxoricidium; tertium, raptus sponsæ alienæ; quartum, dum quis insidiando matrimonio, proprium filium levat de sacro fonte; quintum, interfectio sacerdotis. Non tamen propter B hæc crimina dirimitur matrimonium contractum. Nihilo minus quædam sunt crimina quæ etiam dirimunt matrimonium contractum, ut dum quis cum aliqua conjugata concubuit, et ex hoc machinatur in viri mortem : tunc etiam si contraxerint, separantur. Secundum est, quando præstat fidem adulteræ quod ducet eam in uxorem et ducit eam : quod intelligendum est, quando tam adulter quam adultera sciebant impedimentum; alias non dirimeretur contractum. Tertium est, quando C contrahit cum ea de facto. Primum enim matrimonium facit quod secundum non stat : ideo si primum non fuisset verum matrimonium, secundum staret. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat in omnibus Bonaventura, qui et allegat Hieronymum protestantem, Si vir cognoscit uxorem deliquisse, et illa in fornicatione permanserit, et ipse vivit cum illa, particeps est iniquitatis illius; Chrysostomum quoque dicentem, Sicut crudelis est et iniquus qui castam dimittit, sic D iniquus et stultus est qui retinet meretricem. Unde rursus effatur Hieronymus : Quum mulier fornicatione se separavit a viro, teneri non debet, ne virum quoque sub maledicto constituat, dicente Scriptura : Qui tenet adulteram, stultus et impius est. Istæ autem et consimiles auctoritates sunt cum moderamine intelligendæ, juxta distinctiones inductas. *Prov.* XVIII, 22.

Iterum addit Bonaventura : Quum Matrimonium sit magnum sacramentum, idcirco divortium fieri debet in facie Ecclesiæ, coram judice, non quocumque, sed episcopo, ut in Carthaginensi concilio fuit statutum, cui interfuit Augustinus. Idemque statuit Nicolaus Papa. Et si aliter eam dimisit, tenetur eam resumere, nisi possit mox comprobare.

Si demum quæratur, an possit divortium fieri sine prævia culpa; dicendum, quod divortium fieri potest dupliciter : primo, ut in eodem statu persistant; secundo, ut ad frugem vitæ convolent melioris. Primo modo fieri non debet nisi manifesta culpa præcedat, tum propter periculum, tum propter scandalum. Si secundo modo, tunc aut uterque est voluntarius, aut alter invitus. Si uterque voluntarius, tunc fieri potest sine culpa præcedente, ita tamen quod uterque votum solenne emittat, et habitum religionis assumat : nisi sit persona talis de qua nulla possit oriri suspicio, quæ voto solenni castitatis emisso poterit manere in domo; sin autem, oportet utrumque converti. — Hæc Bonaventura. Qui etiam sciscitatur, cujus adulteratio enormior sit, viri aut mulieris. Ad quod respondet satis concorditer cum Thoma. *Cf.* p. 150 D.

Idem Petrus et Richardus, secundum quos non potest quis ducere in uxorem eam cum qua adulterium perpetravit, si in mortem mariti ejus est machinatus, vel si promisit eam ducere post mortem mariti : ne viri sint proni machinari in mortem virorum, desiderio uxorum ipsorum.

DISTINCTIO XXXVI

A. *Si pro servili conditione valeat uxor separari a viro, et econverso.*

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 14.

NUNC de conditione videamus, an valeat conjugium dividere. Ad quod dicimus, quia non negatur ingenua posse nubere servo; sed si nescitur esse servilis conditionis, libere potest dimitti quum servitus ejus fuerit deprehensa, secundum illud : Si quis ingenuus homo ancillam alterius in uxorem acceperit, et æstimat quod ingenua sit : si ipsa femina fuerit postea in servitute detecta, si eam a servitute redimere potest, faciat; si non potest, si voluerit, aliam accipiat. Si vero ancillam eam scierat et collaudaverat, post eam ut legitimam habeat. Item ex eodem : Si femina ingenua acceperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum : quia omnes unum Patrem habemus in cœlis, una lex erit viro et feminæ. Quum dicitur, Sciens illum servum, datur intelligi, quod si nescierit illum servum esse, non cogitur manere cum ipso. Si enim conditionis dolum patitur, non cogitur adhærere ei cujus fraude decepta est. Si autem scierit vir conditionem mulieris, vel econverso, non valet eam dimittere. Unde Zacharias Papa : Si quis liber ancillam in matrimonio acceperit, non habet licentiam dimittendi eam, si consensu amborum conjuncti sunt, nisi ob fornicationem. De illis agit quibus alterutrius conditio nota est quando conjunguntur.

Decret. p. II, caus. 29, q. 2, c. 4. — Ibid. c. 5. — Ibid. c. 6. — Ibid. c. 2.

B. *De copula servi et ancillæ diversorum dominorum.*

Hugo, ubi supra. Decret. loc. cit. c. 8. — Matth. XIX, 6.

Quæritur etiam, si servus unius ancillam alterius acceperit, an sit inter eos conjugium. De hoc etiam ita statutum est : Dictum est nobis, quod quidam legitima servorum matrimonia, potestativa quadam præsumptione dirimant, non attendentes illud, Quod Deus conjunxit, homo non separet. Unde nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiam si diversos dominos habeant; sed in uno conjugio permanentes, dominis serviant suis. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit et per voluntatem dominorum. — Attende finem hujus capituli, ubi videtur innui, præter voluntatem dominorum inter servum et ancillam non posse contrahi conjugium, vel si contrahitur, non esse ratum. Quibusdam tamen videtur, inter eos posse fieri conjugium dominis ignorantibus.

C. *De viro qui se facit servum ut dividatur ab uxore.*

Decret. loc. cit. c. 7.

Illud etiam notandum, quod si mulier virum liberum acceperit, et ille ut causam præstet dissidii, se alicujus servum fecerit; nec ille uxorem dimittere, nec illa ob vinculum conjugii in servitutem redigi poterit. Unde illud : Perlatum est ad

sanctam synodum, quod quidam ingenuus ingenuam acceperit uxorem, et post filiorum procreationem, occasione divortii, cujusdam servum se fecerit. Utrum et mulierem necessario tenere debeat, et si tenuerit, an illa etiam servituti subjici debeat, quæsitum est. Judicatum est uxorem minime debere dimitti; non tamen ob Christi legem mulierem in servitutem redigi, dum ille non ex consensu conjugis se servum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat.

D. *De ætate contrahentium.*

Hoc etiam sciendum est, quod pueri ante quatuordecim annos et puellæ ante duodecim annos secundum leges matrimonium inire nequeunt. Quod si ante prædicta tempora copulam inierint, separari possunt, quamvis voluntate et assensu parentum juncti fuerint. Qui vero in pueritia copulati, post annos pubertatis nolunt se relinquere, sed in conjunctione permanere, jam ex hoc efficiuntur conjuges, et deinceps nequeunt separari. Item : Sponsalia ante septennium contrahi non possunt; solo enim consensu contrahuntur, qui intervenire non potest, nisi ab alterutra parte intelligatur quod inter eos agitur. — Duo illa exsecuti sumus cum aliorum quorumdam adjectione, quibus conjugium solvi potest, nec tamen solvi semper necesse est. Nunc de illis quæ personas illegitimas penitus faciunt, addendum est, et primum de ordine.

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 15.

Decret. p. II, caus. 30, q. 2, prooem.

SUMMA

DISTINCTIONIS TRICESIMÆ SEXTÆ

JAM agitur de alio contrahendi obstaculo, quod servitus appellatur, de qua et dicta sunt aliqua ante. Modo itaque investigatur, utrum et qualiter servitutis conditio matrimonialem valet impedire contractum. Et circa hoc movet aliquos casus: an scilicet servus et ancilla diversorum dominorum possint contrahere; et de viro jam uxorato qui se vendit in servum, ut hac occasione separetur a conjuge cum qua invite moratur. Subjungit quoque de impedimento ætatis, et exprimit in qua ætate homines utriusque sexus primo contrahere queunt.

dist. XXX, q. 1; XXXIV, q. 1.

QUÆSTIO UNICA

HIc quæritur, **An soli liberi possint contrahere.**

Videtur quod non, quoniam ipsum maA trimonium est servitus quædam; et qui nubunt, libertatis deserunt statum, atque pergrande servitutis subeunt jugum : nam corpus unius in potestatem redigitur ac transfertur alterius. Consimilium autem conjunctio convenientior esse videtur. Ergo servis et ancillis potissime convenit matrimonialis contractus. — Item, ut Seneca contestatur, nobilior pars hominis, scilicet mens, semper libera manet : ergo nemo in tantum est servus, quin vere maneat liber, et sufficientis libertatis ad redB dendum debitum carnis.

In oppositum sunt quæ dicuntur in textu, et quod dictum est conjugatos oportere simul manere. Cf. p. 127 D, etc.

Circa hæc loquitur Thomas : In contractu matrimonii, contrahentes se obligant mutuo ad reddendum debitum carnis; idcirco si quis obliget se ad hoc, nec potens sit solvere, tunc ignorantia impotentiæ hujus in eo cui se obligavit, tollit contractum. Quemadmodum autem per impoten-

tiam coeundi fit quis penitus impotens ad solvendum debitum illud ; ita per servitutem, ut libere illud reddere nequeat. Hinc sicut impotentia coeundi ignorata impedit matrimonium, non autem si sciatur ; ita et servitus. Contrariatur quoque conditio servitutis bono prolis, quæ ex servitute parentis efficitur conditionis pejoris. Verumtamen, quoniam unusquisque in eo quod sibi debetur, perpeti potest spontanee detrimentum ; idcirco si alter conjugum scit ab ante servitutem ejus cum quo contrahit, tenet connubium. Conformiter, quum in matrimonio sit æqualis obligatio ex utraque parte ad debiti redditionem, non potest aliquis majorem requirere obligationem ex parte alterius, quam ipsemet facere possit : hinc si servus contrahit cum ancilla quam æstimat liberam, non impeditur conjugium. Itaque patet quod servitus non impedit matrimonium, nisi quando est ignorata ab alio conjuge, et si alius ille sit liberæ conditionis : idcirco nil prohibet inter servos esse conjugia, nec inter liberum et ancillam. Nec servitus ita est contra seu præter naturam, ut impediat matrimonium : postquam enim homo peccavit, justum fuit eum diversis pœnalitatibus subdi, quarum una est servitus.

Ex his respondetur ad quæstionem qua quæritur, utrum servus aut ancilla queat contrahere sine consensu et scitu domini sui. Jus etenim positivum derivatur a jure naturali ; ideo servitus, quæ de jure est positivo, præjudicare non valet his quæ de lege sunt naturali. Quemadmodum autem appetitus naturæ est ad conservationem individui, ita est ad conservationem speciei per generationem. Unde sicut servus non subditur domino suo ita, quin libere possit comedere et dormire, et consimilia quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conservari non valet ; ita nec taliter subditur illi, ut non possit contrahere libere, etiam suo domino nesciente aut contradicente. Nec servus est res domini sui nisi quoad superaddita naturæ, non quoad naturalia, in quibus

A omnes consistimus pares. Nec tenetur suo domino in omnibus obedire, sed in pertinentibus ad jurisdictionem seu auctoritatem domini sui super ipsum, non in aliis. — Denique, si servus domino suo volente contraxit, prætermittere debet sui domini jussionem, et reddere debitum contorali : quia per hoc quod dominus suus concessit sibi matrimonium contrahere, intelligitur ei concessisse omnia quæ requirit conjugium. Si autem ignorante aut contradicente domino suo contraxit, non tenetur

B reddere debitum, sed potius suo domino obedire, si utrumque simul esse non valeat. Attamen in his multa particularia sunt pensanda, sicut in ceteris actibus humanis, videlicet periculum castitatis conjugi imminens, impedimentum quoque obediendi domino ex redditione debiti carnalis proveniens, et consimilia : quibus omnibus rite consideratis, judicari poterit cui magis servus debeat obedire, domino an uxori. — Verum his objici potest, quod dominus potest vendere servum in regio-

C nem longinquam, ubi eum uxor sequi non poterit : ergo servitus matrimonium impedit. Respondendum, quod in tali casu cogendus est dominus ita vendere servum, ut non faciat onera matrimonii graviora, quum non desit facultas vendendi servum ubicumque voluerit, pretio justo.

Præterea quæritur, an servitus possit matrimonio supervenire, ita quod maritus se in servum vendere possit, ac per hoc a conjuge separari. Dicendum, quod vir subditur uxori solum in his quæ spectant ad

D actum naturæ, in quibus conjugati sunt æquales, ad quæ se servitutis conditio non extendit : ideo vir, nolente uxore, potest se alteri dare in servum ; non tamen ex hoc matrimonium dissolvetur, quoniam nullum impedimentum matrimonio superveniens, potest ipsum dissolvere. Et si vir hoc facit in fraudem, fraus sua redundabit in ipsum, et ei nocebit, nec poterit alteri præjudicium facere. Unde si in fraudem uxoris vendat aut det se alicui in servum, ipse mox perdit bonum inæstimabile li-

bertatis; uxori vero ejus ex hoc nullum A potest præjudicium generari, quin obligetur ei ad debiti redditionem, et ad omnia quæ matrimonium exigit : non enim potest retrahi ab his præcepto domini sui. Quumque in pertinentibus ad dispositionem domus et ad hujusmodi superaddita, vir caput sit mulieris, et habeat eam corrigere, non econtra; idcirco non potest se dare uxor alicui in ancillam, viro suo invito.

Amplius quæritur, an filius sequitur ventrem, vel potius patris conditionem. B Dicendum, quod secundum leges civiles, proles sequitur ventrem : et hoc rationabiliter, quoniam proles habet a patre complementum formale, sed a matre substantiam corporis. Servitus autem est conditio corporalis, quum servus sit quasi instrumentum domini in operando : hinc proles in libertate et servitute sequitur matrem. In his vero quæ spectant ad dignitatem, secundum quod est forma rei, sequitur patrem, ut in municipiis atque honoribus, in hereditate aliisque similibus : et his C concordant canones, lexque Mosaica. In quibusdam vero terris, quæ jure civili non reguntur, partus sequitur partem deteriorem : ut si pater sit servus, quamvis mater sit libera, filii servi sint; non tamen si post matrimonii contractum pater se dedit in servum, nolente uxore; similiter, si sit econverso. Si autem uterque sit servilis conditionis, et ad diversos pertineant dominos, tunc dividunt filios, si sint plures; et si est unus dumtaxat, unus dominorum recompensabit alteri de pretio, et accipiet D prolem natam in sui servitium. Non tamen credibile est, quod talis consuetudo posset esse tam rationabilis ut id quod multorum sapientum determinatum est studio diuturno. Nam et in naturalibus, receptum est in recipiente secundum modum recipientis, non dantis : ideo rationabile est, quod semen receptum in matre, ad ipsius conditionem trahatur.

Præterea de ætate contrahentium advertendum, quod quum matrimonium sit quidam contractus, ordinationibus subjacet legis positivæ : ideo determinatum est legibus, ut ante illud tempus discretionis quo uterque contrahentium possit de matrimonio sufficienter deliberare, et debitum sibi invicem reddere, matrimonia non contrahantur; et nisi sic fiant, dirimuntur. Hoc autem ut in pluribus, est in masculis in quartodecimo anno; in feminis autem, in duodecimo : cujus ratio assignata est supra, vicesima septima distinctione. Quo- *Cf.* p. 80 C. niam tamen præcepta juris positivi sequuntur id quod in pluribus est, si aliquis ad debitam discretionem pertingat ante annos prætactos, ita quod vigor naturæ ac rationis suppleat in eo ætatis defectum, matrimonium non dissolvitur. Et quia natura ad istum inclinat contractum, non requiritur in eo tanta ætas ut in contractibus aliis. Hinc juxta novam constitutionem, nemo potest ante octavumdecimum annum facere in religione professionem, quum talis professio sit de his quæ sunt supra inclinationem naturæ. Major etiam ætas in mare requiritur, quoniam mulier citius ad annos pervenit pubertatis quam vir, ut nono de Animalibus dicitur. — Hæc Thomas in Scripto.

His prorsus concordant scripta Bonaventuræ, dicentis : Secundum jus novum conditio servitutis non impedit matrimonium, etiam domino contradicente, quoniam sacramenta ecclesiastica omnibus exsistunt communia, et servus etiam conjugatus potest suo domino servitia debita exhibere; idcirco per matrimonium non subtrahitur a domini potestate. Nec sic dominium corporis sui transfertur in mulierem, ut derogetur dominio domini super servum hujusmodi. — Insuper error conditionis est triplex, videlicet : paris, ut dum servus contrahit cum ancilla quam æstimat liberam, qui non habet ex hoc quod abjiciat eam; aut melioris, ut dum servus contrahit cum libera quam putat ancillam (et tunc sua conditio melioratur); aut deterioris, ut dum liber cum ancilla. In primis duobus casibus error non

impedit matrimonium; in tertio impedit et A dirimit, nisi post cognitionem conditionis consenserit verbo aut facto. Et hoc est in favorem libertatis, quæ secundum jus civile, est inæstimabile bonum, quod nemo perdit non volens; in favorem quoque causæ matrimonialis, quoniam servitus est contra bonum prolis. Quumque jura matrimonio faveant, præsumunt errantem in conditione non consentire.

Considerandum quoque, quod matrimonium est in officium et in remedium et *Cf.* dist. xxvi, q. 2. in signum, ut dictum est sæpe. Quumque B ante annos pubertatis masculus et femina nequeant officium generandi habere, neque indigeant remedio conjugali contra concupiscentias carnis, nec animi firmitate ac stabilitate designent indissolubilem unionem utriusque naturæ in Christo; ideo ante tempus illud non sunt apti contrahere. Et istud, ut in pluribus, ita est. Jura namque judicant atque instituunt, non secundum ea quæ semper, nec secundum ea quæ raro, sed secundum ea quæ fiunt frequenter: quia in hoc differunt constitutiones juris et demonstrationes disciplinarum, quod demonstrationes sunt de his quæ fiunt semper; et si fiant de his quæ fiunt frequenter, non tamen ut frequenter, sed ut semper, ut de eclipsi; constitutiones autem juris sunt de his quæ fiunt sæpe. — Hæc Bonaventura. Concordant alii communiter. Richardus vero et alii quidam multas hic faciunt quæstiones, de quibus pertranseo, quum materia ad juristas magis pertineat.

DISTINCTIO XXXVII

A. *In quo ordine nequeat fieri conjugium.*

SUNT igitur quidam ordines in quibus nullatenus potest contrahi conjugium; et si intercesserit copula, fit divortium: ut sacerdotium, diaconatus et subdiaconatus. In aliis vero permittitur sortiri conjugium, nisi religionis habitum Decret. p. i, dist. 32, c. 14. sumpserint, vel continentiæ votum fecerint. Unde Leo Papa: Clericos, lectores, ostiarios, exorcistas, acolythos, si extra votum et habitum inveniuntur et continentiam profiteri nolunt, uxorem ducere virginem Ecclesia Romana permittit; non viduam vel repudiatam, quia deinceps nec ad subdiaconatum provehi poterunt, nec laicus uxorem sortitus nisi virginem, vel bigamus, ad clericatum. Item ex Carthaginensi concilio (Ibid. c. 13.): Placuit episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos etiam ab uxoribus abstinere: quod si non fecerint, etiam ab ecclesiastico removeantur officio; ceteros vero clericos ad hoc non cogit. Item Leo Papa (Ibid. dist. 31, c. 10.): Lex continentiæ eadem est ministris altaris quæ episcopis et presbyteris: qui quum essent laici vel lectores, licite uxores ducere potuerunt; sed quum ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere quod prius licuit. Item in sexta synodo (Ibid. dist. 32, c. 7.): Si quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali lege mulieri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciat. Item Calixtus Papa (Ibid. dist. 27, c. 8.): Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, monachis, concubinas habere seu matrimonium contrahere penitus interdicimus; contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, et personas ad pœnitentiam debere

redigi, juxta sanctorum canonum definitionem judicamus. Item Gregorius : Nullum facere subdiaconum episcopi præsumant, nisi qui se caste victurum promiserit : quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Decret. p. I, dist. 28, c. 1.

B. *De interfectoribus suarum conjugum.*

His adjiciendum est de occisoribus suarum conjugum, de quibus Nicolaus Papa scribit Radulpho Bituricensi archiepiscopo : Interfectores suarum conjugum sine judicio (quum non addis, Adulterarum, vel aliquid hujusmodi), quid aliud habendi sunt quam homicidæ ac per hoc ad pœnitentiam redigendi, quibus penitus denegatur conjugium ? Hic videtur Nicolaus permittere maritis, pro adulterio aut alio hujusmodi, uxores suas interficere. Sed ecclesiastica disciplina spirituali gladio, non materiali, criminosos feriri jubet. Unde idem Nicolaus : Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito ejus secundum mundanam legem interficere liceat ? Sed sancta Dei Ecclesia nunquam mundanis constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem. Item Pius Papa : Quicumque propriam uxorem absque lege et sine causa interfecerit aliamque duxerit, armis depositis, publicam agat pœnitentiam ; et si contumax exstiterit, anathematizetur, usquequo consentiat. Decret. p. II, caus. 33, q. 2, c. 6. Ibidem. Ibid. c. 7.

SUMMA

DISTINCTIONIS TRICESIMÆ SEPTIMÆ

HIC introducitur aliud matrimonii impedimentum, videlicet ordo, secundum quod ordo est sacramentum. Et docet Magister, qui ordo impediat matrimonium, et qui non ; subjungit quoque de interfectoribus suarum uxorum. Et tota ista materia videtur præhabita, saltem pro maxima parte, quæ et in Decreto plenius continetur, sicut et alia quæ in hoc quarto de sacramentis dicuntur.

Cf. p. 25 A' et s., 139 C' et s.

QUÆSTIO PRIMA

QUæritur ergo, **An soli ordines sacri matrimonialem contractum impediant.**

Videtur quod non : quia aut ordo impe-

A dit in quantum ordo et sacramentum, vel in quantum sacer. Si primum : ergo quilibet ordo impediret. Si secundum : ergo Græci et Armeni non sunt vere ordinati. — Rursus, si in sacris ordinibus constituti aut constituendi, prohibentur legitimas habere uxores, cur concubinas habere sinuntur ? — Item, si matrimonium non stat simul cum ordine sacro, multo minus concubinatus.

Circa hæc scribit Albertus : Congruit or-

B dinem sacrum impedire matrimonium, non tamen est necessarium. Sicque hic ordo de se habet congruitatem ad continentiam ; necessitas vero seu obligatio continendi causata est a rationabili institutione Ecclesiæ. Nempe cogitare et tractare solum ea quæ Dei sunt, et dividi mente ad cogitandum et agendum ea quæ sunt mundi et carnis, et circa provisionem uxoris ac sobolis, non congruunt simul. Clericorum autem et omnium qui in sacris sunt ordi-

nibus constituti, est solum spiritualia et divina attendere; conjugatorum vero est distrahi circa diversa, et sollicitari circa terrena et complacentiam quamdam ad invicem. De his dictum est supra diffusius, (Cf. p. 2[illegible] et s.) assignando rationes cur sacris ordinibus annexa sit continentia. Unde et Augustinus undecimo de Civitate Dei allegat Apuleium Platonicum ex dictis Platonis dicentem, quod Deum deorum conspicere possint viri sapientes, quum se a carne removerint. Impedit autem ordo sacer a matrimonio non solum ratione voti, sed item ex incongruentia ordinis sacri et actuum ejus ad matrimonium et opera ejus: ergo non impedit a matrimonio in quantum sacramentum, sed ex causis nunc tactis. — Denique impedimentum istud matrimonii non est universale, nec semper fuit: quia ex instituto Ecclesiæ cœpit, nec obligat Græcos. Ordines vero minores non impediunt matrimonium, quum non sint tantæ eminentiæ, nec tantam exigant sanctitatem ut ordines sacri, qui etiam non solum impediunt matrimonium contrahendum, imo dirimunt et contractum: quod per congruentiam habent ex se, sed ex ordinatione Ecclesiæ habet hoc exsecutionem et actualem obligationem. Hæc Albertus, qui plura super his scribit, quæ in sequentibus concludentur.

At vero Thomas: Ordo sacer, ex institutione Ecclesiæ habet quod matrimonium impedit. Aliter tamen apud Latinos et Græcos, quoniam apud Græcos impedit matrimonium contrahendum, tantum ex vi ordinis; apud Latinos vero, ex vi ordinis, et ultra ex continentiæ voto ordinibus sacris annexo: quod etiam si quis verbo tenus non emittat, attamen ex hoc ipso quod ordinem sacrum suscipit, intelligitur emisisse secundum ritum occidentalis Ecclesiæ. Hinc apud Græcos et alios orientales sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum: possunt namque matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium de novo contrahere. Apud A occidentales autem impedit matrimonium et matrimonii usum: nisi forsan ignorante et contradicente uxore, vir ordinem sacrum susceperit, quia ex hoc non potest uxori præjudicium generari. Porro in minoribus ordinibus constituti, ex vi ordinis non prohibentur matrimonium contrahere. Nam quamvis ordines illi ad spiritualia aliqua deputentur, non tamen habent immediatum accessum ad sacra tractanda. Sed secundum statutum occidentalis Ecclesiæ, exsecutionem ordinis non sacri B impedit matrimonii usus, propter servandam honestatem majorem in officiis Ecclesiæ. Et quia ex ecclesiastico beneficio tenetur quis ad ordinis exsecutionem, atque ex hoc ipso clericali privilegio gaudet; ideo hoc apud Latinos clericis uxoratis aufertur.

Præterea quæritur, an matrimonio possit supervenire sacer ordo. Dicendum, quod matrimonium non impedit ordinis sacri susceptionem, quia si uxoratus ad ordines sacros accedat etiam reclamante uxore, C nihilo minus characterem ordinis suscipit, sed exsecutione ordinis caret. Si autem volente aut defuncta uxore recipiat ordinem, recipit et ejus exsecutionem. Si autem vir suscipit ordinem sacrum de scitu et consensu uxoris, tenetur uxor continentiam vovere perpetuam; non tamen tenetur religionem intrare, si sibi non timeat de periculo castitatis, propter hoc quod vir ejus votum emisit solenne; secus esset, si emisisset votum simplex. Si vero sine uxoris consensu ordinem sacrum suscepit, non D tenetur illa ad continentiam, quia inde sibi nullum præjudicium generatur. Probabilius quoque videtur, quamvis aliqui aliter dicant, quod Græci non debent ad sacros accedere ordines sine consensu uxorum, quia ad minus tempore ministerii sui fraudarentur uxores debiti redditione: quo fraudari non possunt secundum ordinem juris, si eis contradicentibus aut ignorantibus viri ordines acceperunt. Atque ut dicitur, eo ipso quod mulier consentit apud Græcos quod vir suus accipiat ordines,

obligat se nunquam nubere alteri viro : alias matrimonii significatio non servaretur, quæ in matrimonio sacerdotis præsertim requiritur. Si autem sine consensu ejus ordinetur, non tenetur ad hoc. — Hæc Thomas in Scripto. Idem Petrus.

Et addit Richardus : In Ecclesia orientali, uxoratus non bigamus potest omnes ordines accipere, et ministrare in eis, quoniam noluerunt cum occidentalibus continentiam profiteri. — Concordant quoque Bonaventura et alii. Solutio etiam ad objecta patet ex dictis.

QUÆSTIO II

Insuper quæritur hic, **An liceat viro uxorem adulteram trucidare, præsertim dum eam in crimine actualiter invenit.**

Videtur quod non, quia sic eam in culpa mortali necaret et in infernum præcipitaret, quod immanissimæ esset crudelitatis. — Rursus, nemo potest alium sine peccato occidere, nisi legitimus judex ipsius ; et constat quod maritus non sit talis judex suæ uxoris. — Iterum, homo magis tenetur diligere animam proximi sui quam proprium corpus seu vitam mortalem : ergo potius deberet mortem corporalem subire, quam animam proximi mittere in gehennam, proximum occidendo in peccato illius mortali. — Denique, non licet uxori occidere virum, quamvis videat eum actualiter adulterantem.

In oppositum est jus civile.

Ad hoc respondet Bonaventura : Interfector propriæ conjugis, si ex certa scientia faciat hoc, peccat, quantumcumque illa exsistat adultera. Et peccat non contra canones tantum, sed etiam contra jus civile, interficiendo eam prætermisso ordine juris, nisi forte in actu tam scelerato inveniat eam, in quo casu leges humanæ concedunt hoc fieri. Sed contra jus divi-A num atque canonicum peccat in ipso facto, quia non debet adulteram interficere, sed corrigere, quum Deus peccanti paratus sit parcere in lege gratiæ, ut patet in exemplo mulieris adulteræ. Quumque causæ *Joann.* VIII, 7-11. matrimoniales tractandæ sint lege poli, et non lege fori ; idcirco non licet id facere quod jus dictat civile, puta adulterantem occidere, quamvis Ecclesia hoc sustineat ad terrorem malorum : imo tenendum est quod sancta Ecclesia judicat, videlicet adulteram non esse occidendam, sed potius B dimittendam. Aliter tamen fuit in lege Mosaica, quæ fuit lex rigoris atque terroris.

Quod si quæratur, quid sit enormius, occidere propriam matrem aut conjugem ; respondendum, quod utique gravius est matrem occidere : tum quia major reverentia matri debetur ; tum quoniam minor est pronitas ad occisionem matris quam uxoris : imo, dum ex causa displicet uxor marito, mirabile odium ac tædium generatur ei ad eam. Hinc quoque uxoricidium magis punitur quam matricidium, quam-C vis sit minus peccatum, quatenus homines horrore pœnarum a tanto scelere retrahantur. Verumtamen Ugutio super Decreto sensit contrarium, sed in hoc non approbatur.

Amplius si quæratur, utrum occidere propriam conjugem impediat matrimonium ; dicendum, quod uxorem occidere contingit tripliciter. Primo, persequendo culpam. Secundo, persequendo naturam. Tertio, persequendo matrimonium. Persequendo culpam, dum vir conjugem in D adulterio deprehendit, et in tantum hoc detestatur, quod in ultionem criminis eam occidit. Persequendo naturam, ut si mulier propter defectum aliquem quem habet in se, non habeat gratiam viri : sicque ipse concipit odium ad eamdem, et tandem furore succensus, perimit ipsam. Persequendo matrimonium, ut quando mœchatur cum alia, quam ut ducere possit in conjugem, occidit priorem. Primum horum est grave peccatum, secundum gravius, tertium vero gravissimum. In quoli-

bet horum prohibetur vir a matrimonio A contrahendo, magis tamen in secundo, et maxime in tertio. Sed in quolibet horum casuum ab Ecclesia dispensatur, præsertim in juvenibus. In primo tamen facilius, in secundo difficilius, in tertio quodam modo sic et quodam modo non. Nunquam enim dispensatur ut habeat illam cum qua mœchabatur, et cujus amore ut eam duceret, primam occidit : imo si junctus illi fuerit, separatur; sed respectu aliarum dispensatur cum eo, ut vitetur fornicationis periculum. Et qualiter alio modo impediat B matrimonium, dictum est præcedenti distinctione. — Hæc Bonaventura. *Cf.* p. 151 B.

Concordat Thomas, sub aliis verbis hæc exprimens : Virum (inquiens) interficere conjugem contingit dupliciter. Primo, procedendo ordinate per civile judicium : et ita dubium non est, quod vir potest uxorem adulteram sine peccato ex zelo justitiæ, et non livore vindictæ in judicio criminaliter accusare, et pœnam mortis a lege statutam de ea expetere. Talis tamen accusatio fieri nequit in judicio ecclesiastico, C quia Ecclesia gladium materialem non habet. Secundo per se ipsum, non convictam in judicio : et ita quantumcumque sciat eam esse adulteram, non potest eam occidere extra adulterii actum, neque secundum conscientiæ legem, neque secundum leges civiles. Verumtamen lex civilis quasi justum computat, quod in actu adulterii compertam occidat, non quasi id approbans, sed sicut non puniens, propter maximum incitamentum quod in tali casu vir habet ad interficiendum suam uxorem. D Verum Ecclesia non est in hoc adstricta legibus humanis, ut judicet illum non esse dignum pœna æterna, aut in confessione non esse ei infligendam pœnam temporalem. Idcirco in nullo casu licet viro interficere suam uxorem propria auctoritate. Et quamvis præsit suæ familiæ, non tamen potest ei infligere pœnam exterminantem, videlicet mortem aut mutilationem, sicut rex aut judex qui præest communitati; sed pœnam corrigentem et emendantem, infra limites, consistentiam integritatemque vitæ. Hæc Thomas.

Concordat in parte Albertus; sed addit, si secundum leges humanas et civiles adultera occidatur, non esse peccatum : quod verum est, si fiat secundum processum et ordinem juris. Allegat quoque secundum leges admitti, quod adulter et adultera uno ictu confodiantur : quod accipi potest juxta expositionem S. Thomæ jam positam.

Introductis quoque ex Thoma et Bonaventura, consonant scripta Petri, Richardi, Durandi et aliorum communiter; scripta quoque Henrici in Quodlibetis, et specialiter ea quæ scribit quinto Quodlibeto, ad quæstionem hanc respondendo, an liceat homini interficere alium, ne occidatur ab illo. Ad quod respondet B. Augustinum sequendo, dicentem in libro de Libero arbitrio : Non sunt liberi a peccato, qui pro his rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt; et inter hujusmodi contemnenda computat propriam vitam, sicut et cetera quæ homini invito ac pro viribus renitenti queunt auferri. Respondet, inquam, more solito distinguendo : quia aut fit hoc cum moderamine inculpatæ tutelæ, ita quod moderate defendat se, ut in faciendo hoc nullatenus peccet; aut est cum aliquo excessu illatæ violentiæ. Si primo modo, distinguo : quoniam talis aut habet voluntatem et intentionem occidendi potius alium, quam quod occidatur ab ipso, aut non. Si primo modo, dico quod non licet quantum est ex parte intentionis et voluntatis, quamvis liceat ex qualitate facti, id est operis secundum se. Hoc enim venit ex libidine, id est inordinato amore seu cupiditate vivendi vita hac temporali, potius velle occidere quam occidi, nisi quis publica auctoritate occidat. Si secundo modo, non licet etiam hoc propria auctoritate, quamvis non velit occidere, et mallet occidi ab alio quam occidere alium. Nam quamvis formaliter non intendat alium interficere, tamen interpretative intendit hoc, eo ipso

quo voluntarie excedit tuendo se. — In isto consistit vis responsionis illius, quæ in se multum prolixa est. Et huic responsioni consonat responsio S. Thomæ in secunda secundæ, quanquam Udalricus et alii quidam aliter sentiant, dicentes, quod homo potius debet diligere propriam vitam, in quantum informata est aut informabilis A caritate et aliis gratiæ donis, multa quoque bona quotidie fieri possint ea. Verum prætacta responsio multo securior et consonantior evangelicis est documentis, exemplis quoque sanctorum martyrum, qui maluerunt occidi quam sub præfato colore occidere aut reniti, etiam quando hoc potuissent.

DISTINCTIO XXXVIII

A. *De voto.*

NUNC de voto inspiciamus. Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo et de his quæ Dei sunt, proprie fieri debet. Sunt tamen et vota stultorum, quæ frangenda sunt. Hugo, de Sacram. lib. II, p. XII, c. 3, 4.

B. *De votorum differentiis.*

Sciendum vero, quod votorum aliud est commune, aliud singulare : commune, ut illud quod in Baptismo omnes faciunt, quum spondent renuntiare diabolo et pompis ejus; singulare, ut quum aliquis sponte promittit servare virginitatem vel continentiam, vel aliquid hujusmodi. Item singulare votum aliud est privatum, aliud solenne. Privatum est in abscondito factum ; solenne vero, in conspectu Ecclesiæ factum. Item privatum votum si violetur, peccatum est mortale ; solenne vero Ibid. c. 3. violare, peccatum et scandalum est. Qui privatum faciunt votum continentiæ, matrimonium contrahere non debent, quia contrahendo mortaliter peccant; si tamen contraxerint, non separantur, quia probari non potest quod occulte factum est. Qui vero solenniter vovent, nullatenus conjugium inire queunt : quibus non solum nubere, sed et velle damnabile est. Unde Augustinus : In conjugali vinculo, si pudicitia servatur, damnatio non timetur; sed in viduali continentia et virginali excellentia, virtus muneris amplioris expetitur : qua expetita et electa et voto oblata, jam non solum capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle damnabile est. Decret. p. II, caus. 27, q. I, c. 41. Voventibus enim virginitatem vel viduitatem, non solum nubere, sed etiam velle damnabile est. Quod Apostolus ostendit, Timotheo scribens : Adolescentiores viduas devita; quum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, id est, quum post votum continentiæ in deliciis egerint vitam, non dico, Nubunt, sed, Nubere volunt in Christo, quasi tunc non sit peccatum. Sed quod sit, ostendit subdens : Habentes damnationem. Quare? Subdit : Quia primam fidem irritam fecerunt; etsi non nubendo, Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 10. I *Tim.* V, 11, 12.

tamen volendo : ut voluntatem quæ a proposito cecidit, appareat esse damnatam, sive sequantur nuptiæ sive non. Damnatur enim propositi fraus; damnantur tales, quia continentiæ fidem primam irritam fecerunt, id est votum, vel in voto violato fidem quam in Baptismo professæ sunt. Si autem pro voluntate nubendi damnantur, constat, si eam effectui mancipaverint, revocandum id esse in irritum, easque arcen- [Decret. p. II, caus. 27, q. 1, c. 2.] das redire ad propositum. Unde Gregorius : Viduas a proposito recedentes viduitatis, super quibus nos consuluisti, credo te nosse, a S. Paulo (nisi convertantur) olim esse damnatas : quas et nos apostolica auctoritate damnandas, et a communione fidelium atque a liminibus Ecclesiæ arcendas fore censemus, usquequo obediant episcopis suis, et ad bonum quod cœperunt, invite aut voluntarie revertantur.

C. *De virginibus non velatis.*

[Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 10. Decret. loc. cit. c. 2, 9.] De virginibus autem non velatis, si deviaverint, a prædecessore nostro Innocentio Papa tale decretum habemus : Hæ quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere; licet velatæ non fuerint, tamen si nupserint, aliquo tempore his agenda pœnitentia est, quia sponsio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta [Ibid. c. 2.] non poterit? Item : Si virgines nondum velatæ taliter publica pœnitentia puniuntur, et a cœtu fidelium usque ad satisfactionem excluduntur; quanto magis viduæ quæ perfectioris ætatis et maturioris consilii exsistunt, et habitum religionis assumpserunt, et deinde apostataverunt, atque ad priorem vomitum sunt reversæ, a nobis et ab omnibus fidelibus, a liminibus Ecclesiæ et a cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ, et carceribus tradendæ? — Ex his apparet, virgines vel viduas voto continentiæ adstrictas, sive fuerint velatæ sive non, nullatenus conjugium sortiri posse. Quod itidem de omnibus intelligendum est qui continentiam voverunt : quod enim ante erat licitum, post votum fit illicitum.

Non est igitur prætermittendum quod Innocentius Papa de viduis et puellis [Ibid. c. 10.] decrevit : Quæ Christo spiritualiter nubunt, si postea publice nupserint, non eas admittendas esse ad pœnitentiam, nisi hi quibus se junxerant, de mundo recesserint. [*hominibus] Si enim de omnibus* hæc ratio custoditur, ut quæcumque vivente viro alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus de illis fuerit defunctus; quanto magis de illa tenenda est quæ ante se immortali Sponso conjunxerat, et post hoc ad humanas nuptias transmigravit? — Attende, quod non solum conjugium talibus negare videtur, sed etiam locum pœnitentiæ. Sed non ita intelligendum est, ut aliquando excludantur a pœnitentia, quæ digne pœnitentiam agere volunt; sed illæ non sunt admittendæ ad pœnitentiam, quæ ab incestus copula discedere noluerint : quia post religionis propositum non potest Deo reconciliari per pœnitentiam, quæ ad habitum suæ professionis redire neglexerit. Tunc ille cui se junxerat, ei defunctus erit, quum ab ejus illicitis amplexibus hæc penitus recesserit.

Quum ergo dicitur, eas non esse admittendas ad pœnitentiam, nisi hi quibus se junxerant, de mundo recesserint, subaudiendum est, *eis*. Tunc enim eis viri de mundo recedunt et defunguntur, quum ab eorum concupiscentia istæ se alienant : quem sensum similitudo subdita declarat et confirmat.

D. *Quam grande malum sit adulterium.*

Quum vir et mulier legitime conjuncti sunt, constat alterum altero vivente, ad aliam non posse transire copulam : alioqui adulterium committitur. De quo Clemens Papa ait : Quid in omnibus peccatis adulterio est gravius ? Secundum namque in pœnis tenet locum, quem primum illi habent qui aberrant a Deo. Gravissime ergo peccant adulteri, graviter fornicarii, sed cunctis his gravius incestuosi, quos omnes transcendunt contra naturam delinquentes. Unde Augustinus : Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu. Pejus enim est cum matre quam cum aliena uxore dormire. Sed horum omnium pessimum est quod contra naturam fit, ut si vir membro mulieris non ad hoc concesso utatur. Hoc exsecrabiliter fit in meretrice, sed exsecrabilius fit in uxore.

Decret. p. II, caus. 32, q. 7, c. 16.

Ibid. c. 11.

E. *De illis qui post longam captivitatem redeunt.*

Hic quæritur de illis feminis quæ putantes viros suos interemptos, vel in captivitate, vel ab iniqua dominatione nunquam liberandos, in aliorum conjugia transierunt : si illi qui putabantur periisse remeaverint, utrum eis reddi debeant; et an secundi fornicarii sint, et ipsæ reæ adulterii. De hoc Leo Papa sic ait : Necesse est ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, et remotis his quæ hostilitas intulit, cuique id legitime reformetur quod intulit; procurandumque est ut recipiat quisque quod proprium est. Nec tamen culpabilis judicetur, et quasi alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti qui jam non esse æstimabatur, assumpsit. Sic enim multa quæ ad eos qui in captivitatem ducti sunt pertinebant, in jus alienum transire potuerunt; et tamen plenæ justitiæ est, ut eisdem reversis reformentur. Ideoque si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum conjugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium, dimittendum est et inculpabile judicandum quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poscit. Sin autem aliquæ mulieres ita virorum posterorum amore sunt captæ, ut malint his cohærere quam ad legitimum transire consortium, merito sunt notandæ, ita ut ecclesiastica communione priventur, quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt. Redeant ergo in suum statum conjugia : quia sicut mulieres quæ ad viros suos reverti noluerint, impiæ sunt habendæ ; ita illæ quæ redeunt, merito sunt laudandæ. — Ex his ostenditur, illos qui taliter junguntur ut credant virum interemptum, per ignorantiam aliquam excusationem habere de peccato; et tantum primam copulam esse legitimam, non secundam ; veniam tamen

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 9.

Decret. p. II, caus. 34, q. 1, c. 1.

habere, si careat opprobrio malæ voluntatis. — Sed si quis relicta in patria sua uxore, in longinquam abiens regionem, aliam ducat uxorem, deinde pœnitentia ductus, eam dimittere velit, asserens se aliam habuisse quæ vivit, nec Ecclesia permittat, quæ quod ille asserit ignorat; quæritur, an in hac secunda copula sit conjugium. Sane dici potest, non esse conjugium, et mulierem de crimine excusari per ignorantiam, virum autem adulterium admisisse. Sed ex quo ad primam redire volens nec valens, cogitur Ecclesiæ disciplina hanc tenere, incipit excusari per obedientiam et timorem de hoc quod poscenti mulieri debitum reddit, a qua ipse nunquam poscere debet. Et sic de aliis hujusmodi sentiendum est.

SUMMA
DISTINCTIONIS TRICESIMÆ OCTAVÆ

OSTENSO qualiter ordo sit matrimonii impedimentum, hic ostenditur idem de voto. Et hac occasione docet Magister quid sit votum, et qualiter votum sit multiplex, quomodo etiam diversa vota diversimode impeditiva sint matrimonii.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur, **Quid sit votum, qualiter dividatur, ac qualiter sit impeditivum conjugii; de obligatione quoque dispensationeque voti.**

Et primo arguitur, quod non licet vovere. Videtur namque incautum, quum tanta sit fragilitas et instabilitas mentis humanæ; multi quoque vota sua transgrediantur, et facto voto, magis tententur quam ante. — Rursus, quum valde arcta sit via salutis, id est præceptorum impletio, Deum toto corde diligere, omne peccatum mortale vitare, de peccato omni mortali magis quam de quocumque damno temporali, malo pœnali, incommodo temporali dolere, cum metu, timore, tremore propriam salutem operari, carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigere; videtur omnino incautum, ultra hæc se voto adstringere. — Insuper, si in Baptismo promisimus Sa-A tanæ et ejus operibus renuntiare, videtur quod omnis Christianus in quocumque peccato mortali violator sit voti, imo et voti solennis, quod arduum esset.

Circa hæc scribit Thomas : Votum obligationem designat factam ex voluntate. Et quoniam sola voluntate non potest aliquis obligari nisi ei qui voluntatis est cognitor, utpote Deo : hinc votum ex consequenti importat obligationem Deo factam, atque in his quæ Dei sunt : quia obligatio alicui
B facta de his quæ ad Deum non spectant, non est votum. Obligatio autem fit homini verbo expresso exterius : hinc Deo fit obligatio voluntarie verbo intus expresso. Unde illius potentiæ actus est votum, ad quam pertinet verbum interius enuntiare, videlicet rationis : nam et promittens, rem promissam ad alterum ordinat; omnis vero ordinatio est rationis. Promissio autem exterius facta, quandoque vocatur nuda, quando non habet quid additum quod promissionem confirmet; et tunc non habet
C plenam vim obligandi. Sic et promissio intus facta Deo, ad hoc quod plenam obligandi vim habeat, oportet quod non sit nuda, sed habeat aliquid quo confirmetur. Quæ confirmatio per tria gradatim fieri habet : primo, per simplicem deliberationem; secundo, per intentionem obligandi se ad aliquam pœnam; tertio, per hoc quod interiori promissioni adhibetur testimonium hominum. Sicque de voto dantur variæ definitiones, secundum diversa quæ requiruntur ad ipsum. Definitio

tamen quam ponit Magister, perfectissima A esse videtur. Nam ponit promissionem, quæ est essentialiter ipsum votum; et tangit voluntatem, addendo, Spontaneæ, quæ obligationis est causa; ultimam quoque promissionis confirmationem, dicendo, Testificatio; ac terminum voti, adjungens, Quæ Deo fieri debet; et item materiam, dicens, De his quæ Dei sunt.

Itaque aliquid velle, non est promittere, nec ipsum propositum est votum; sed enuntiatio propositi per modum promissionis. Et quia interior enuntiatio nomina- B tur cordis conceptio, ideo in alia definitione votum dicitur esse conceptio propositi, quum sic definitur : Votum est conceptio boni propositi cum deliberatione firmata, qua quis ad aliquid faciendum vel non faciendum se obligat Deo. Si tamen votum dicatur propositum, erit prædicatio per causam (quemadmodum desiderium dicitur oratio), quia propositum est voti principium. Denique promissio interdum fit ore, non corde; et talis, quoad Deum, non est votum : ideo additum est, Spon- C taneæ. Et quamvis ad interiorem promissionem homo non possit cogi, sicut neque ad fidem, tamen ad exteriorem potest aliqualiter cogi. Magister vero definit hic votum exterius prolatum, quod potest matrimonium impedire, quia de illo intendit. Et hoc votum est testificatio interioris promissionis, non ipsa interior promissio. Sic etenim ait : Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo et de his quæ Dei sunt, proprie fieri debet. Nam etsi Sanctis aliqua voveantur, tamen prin- D cipaliter Deo voventur, quoniam Sanctis voventur tanquam mediatoribus apud Deum. Juristæ quoque votum ita definiunt : Votum est alicujus boni cum deliberatione facta promissio. Et Hugo : Votum, inquit, est voluntaria sponsio.

Insuper quæritur, an votum sit tantum de bono meliori. Videtur quod non, quoniam Jephthe vovit Deo offerre quidquid ei triumphum sortito ac redeunti, primum occurreret : quod poterat esse illicitum, quia prohibitum fuit in lege canem offerre. Item aliqui promittunt servare præcepta : quod est necessitatis, non supererogationis. Et quidam promittunt castitatem, ad quam tenentur. — In oppositum est magistralis illa definitio voti : Votum est promissio melioris boni deliberatione firmata.

Judic. xi, 30 et seq. — *Deut.* xxiii, 18.

Dicendum, quod votum (sicut jam patuit) proprie non potest esse nisi de aliquo bono ad Dei cultum pertinente : hinc malum non cadit sub voto; et ex parte ejus cujus votum est actus, videlicet voluntatis, obviat voto necessitas. Est autem duplex necessitas. Una absoluta, et illa omnino votum excludit : ut si quis voveret se non moriturum, aut ea quæ in sua nequaquam sunt potestate, nullum est votum. Alia est necessitas conditionata ex suppositione finis, sicut necesse est homini servare præcepta si debet salvari : et talis necessitas non excludit simpliciter votum, quia interdum accipitur votum respectu taliter necessariorum. Attamen talis necessitas excludit votum proprie sumptum, quod non est nisi de his quæ sunt supererogationis, ad quæ non omnes tenentur.

Cf. p. 164 A'.

Unde quod Jacob legitur in Genesi vovisse, quod Dominus esset sibi in Deum, intelligitur de voto extense accepto, vel de aliquo speciali modo colendi honorandique Deum per decimas et sacrificia quædam. — Quod autem quædam mulieres vovent non pectinare capillos certis diebus, sunt sortilegia quædam magis quam vota, et reliquiæ superstitionum ac idololatriæ qua dies observabantur et menses. — Porro circa votum Jephthe sciendum, quod de simpliciter malo seu vitioso non est votum nisi æquivoce : idcirco non obligat. Si autem sit indeterminate de aliquo in communi, quod in quodam eventu potest consistere bonum, et in aliquo casu malum : si emittatur in omnem eventum, est indiscretum; et si per intentionem voventis emittatur in bonum, discretum est, nec aliter obligat, sed peccat indiscrete

Gen. xxviii, 20, 21.

promittens. Votum autem Jephthe exstitit tale, quod in aliquo casu potuit esse bonum, ut si ei occurreret animal immolatitium; et in aliquo malum, ut si occurreret ei animal offerri prohibitum. Et quia videtur vovisse in omnem eventum, indiscrete vovisse dicitur. Fuit tamen in voto ejus aliquid boni, puta devotio ad Deum, et quia speravit ab eo victoriam; et quoad hoc, fertur motus a spiritu Domini ad vovendum. Exsecutio vero voti apparet fuisse crudelis, sed fuit ibi figura laudabilis. Quamvis ergo votum ejus fuit aliquo modo laudabile, non tamen excusatur a culpa : quia (ut ait Hieronymus) fuit in promittendo non sapiens, et in implendo impius. Ponitur tamen in Sanctorum catalogo propter victoriam quam a Deo obtinuit. — Præterea vota quæ vergunt in voventis periculum, ut tribus aut quatuor diebus continue abstinere, sunt indiscreta, nec observanda. Idcirco tutum est in talibus dispensationem quærere a prælato : quam si negaret, posset promittens nihilo minus frangere tale votum; et si nihil haberet ad comedendum nisi id a quo abstinere promisit, posset illud comedere sine peccato.

Quæritur etiam, an is qui non est sui juris, possit vovere. Videtur quod sic, quia nullus ita est subditus homini, quin maneat libere agens, alioqui non mereretur; et potest opera supererogationis peragere : ergo ad talia potest se voto adstringere. Ex quibus probatur, quod monachus, uxor, servus, filiusfamilias similesque personæ possint vovere, quoniam in quibusdam manent propriæ voluntatis, nec tenentur absolute in omnibus obedire, sed in his solum ad quæ se extendit superioris auctoritas.

Cf. p. 165 B'. Et respondendum, quod sicut præhabitum est, votum non potest emitti ab aliquo nisi de his quæ suæ subjacent voluntati : ideo qui sub alterius potestate est constitutus, non potest vovere quantum ad illa in quibus subjectus est illi, imo quoad illa subest voluntati illius. — Denique A ex quo homo venit ad annos pubertatis, non est sub potestate alterius, si sit liberæ conditionis, quantum ad ea quæ ad suam spectant personam : ideo sicut invitis parentibus matrimonium potest contrahere, ita et religionem intrare ac profiteri; sed quantum ad res domesticas, non potest quidquam vovere sine consensu patris. — Religiosus quoque, quamvis non teneatur in omnibus obedire quæ sibi a suo superiore possent juberi, tamen tenetur ad obediendum quantum ad omne tempus, de his B quæ sibi imperari possunt ab illo, sicut et servus non est exemptus aliquo tempore a servitio domini sui : ideo nullum tempus est eis vacans quo possint quodlibet facere. Quumque omne votum aliquo tempore sit complendum, ideo sicut nec servus, ita nec religiosus aliquod votum emittere potest sine superioris sui consensu. — Conformiter, in his in quibus uxor viro suo tenetur, et econtrario, neuter potest sine mutuo consensu vovere, ut patet de voto continentiæ. *Cf.* p. 118 D, 119 C, 120 A, A'. Verum quum in dis- C pensatione domus et regimine vitæ mulier subjecta sit viro, non vice versa; ideo in talibus potest vir vovere sine consensu uxoris, non econtra. — Hæc Thomas in Scripto. Quibus scripta Alberti, Petri, Richardi, sed et Bonaventuræ concordant, nisi quod Richardus nititur improbare rationem illam quam Thomas inducit ad probandum quod religiosus non potest sine superioris sui consensu promittere. Verumtamen ratio illa efficacior esse videtur quam ea quam Richardus allegat : consen- D tit quippe conclusioni cui et Thomas.

Bonaventura demum circa hæc ait : Duo sunt de essentia voti, puta, promissio et obligandi intentio, quum votum sit obligatio nova et voluntaria.

Præterea quæritur, an dolose vovens, tenetur. Dicendum, quod duplex est forum, videlicet, judiciale et pœnitentiale. In foro judiciali judicatur secundum exteriora, in foro pœnitentiali secundum conscientiam. In foro judiciali, quia fraus sua non debet alicui suffragari, accipiuntur

verba secundum intellectum communem A et sanum : ideo taliter vovens, judicatur teneri ac si ex corde vovisset. Sed in foro pœnitentiali, in quo judicatur secundum veritatem, judicatur talem peccasse in dolo; non tamen ex illa promissione coram Deo tenetur, sicut nec qui contraxit sine mentis intentione, vere contraxit.

Quæritur item, qualiter differunt juramentum ac votum. Dicendum, quod in tribus, utpote, in objecto, in medio et in fine. In objecto, quoniam votum fit Deo, juramentum hominibus. In medio, quia B juratur per Deum, sed vovetur per promissionem. In fine, quia juramentum est ad adstruendam veritatem, votum ad augendam bonitatem ac honestatem. Quumque votum procedat a libera voluntate simpliciter, ideo omnis qui libere potest facere quod vult, nullo impedimento in se exsistente, nullo homine de facto præpediente, nullo jure prohibente, potest simpliciter vovere. — Hæc Bonaventura.

Circa hæc quæritur, utrum religiosus potest facere votum intrandi aliam ac altiorem religionem. Ad quod respondetur C quod imo; nec hoc est contra prædicta, p. 166 A' et s. quia (ut patet ex verbis S. Thomæ et aliorum) nihil aliud dicere volunt, nisi quod religiosus non potest vovere aliquid in præjudicium et derogationem suæ professionis ac voti obedientiæ quod emisit. Quumque non obstante sua professione et obedientiæ suæ voto, licite ingredi possit religionem perfectiorem ; et potest hoc ipsum promittere se facturum, nec professio sua impedit eum a fruge vitæ me- D lioris. Ideo dicit Albertus, quod non potest promittere aliquid se facturum quamdiu manet in ordine suo, ita ut manendo in ordine suo teneatur ad ea ex voto; sed tenetur votum illud implere, quantum in se est, quod et prohibente suo superiore potest implere, imo et debet. Nec in hoc derogat obedientiæ voto, quum dicat Apo- I *Cor.* XII, 31. stolus : Æmulamini charismata meliora. Verumtamen tale votum non est sine ingenti deliberatione emittendum.

QUÆSTIO II

Nunc quæritur **De voti divisione et solennizatione.**

Videtur quod in Baptismo non fiat aliquod votum, quia infantuli nec per se nec per alios possunt voto constringi, quum necdum discretione utantur : et sicut prætactum est, sequeretur quod Christianus adultus in omni peccato mortali p. 164 C in fine. ageret contra votum.

Ad hoc Thomas respondet : Divisio voti in votum singulare et commune, est divisio analogi, quod per prius et posterius prædicatur de membris dividentibus ipsum. Quum enim votum sit obligatio facta ex voluntate, et necessitas volunta- *Cf.* p. 165 B'. rium excludat; votum quod nihil habet necessitatis, per prius dicitur votum, tanquam rationem voti habens complete : et hoc est votum singulare, quod est de illis ad quæ non tenemur. Votum vero quod aliquid habet necessitatis, habet incomplete rationem voti, et per posterius votum vocatur : utpote votum commune, quod est de his ad quæ omnes tenentur, quæ necessaria sunt necessitate conditionata, non absoluta. Quamvis etiam votum commune sit determinatus actus a singulari persona egrediens, dicitur tamen commune ratione eorum de quibus est, ad quæ omnes tenentur, videlicet votum quod fit in Baptismo. Nec hujus voti transgressio facit speciale peccatum, sed addit peccato specialem deformitatem : magis namque peccat baptizatus eodem genere peccati quam non baptizatus. Hinc non frustra emittitur, quum obligationem aliquam addat, sicut lex scripta supra legem naturæ; nec tamen aliud facit peccatum, sed novam addit deformitatem. Ad tale quoque commune votum potest puer per suum obligari patrinum, nec aliquid inde deperit puero, sed maximum beneficium impetratur; nec obstat quod ex voto tali puer baptizatus

plus obligatur ad bona, quia hoc aliunde ei copiose recompensatur per charismata gratiæ quæ in Baptismo conferuntur.

Insuper votum dividitur in votum solenne et privatum seu simplex : quæ est divisio totius potestativi in partes suas, cujus perfecta virtus est in una suarum partium, et in aliis quædam participatio ejus, quemadmodum anima dividitur in rationalem, sensitivam et vegetativam. Virtus autem voti est obligatio, quæ complete est in voto solenni, cujus obligatio nullo casu poterit irritari; incomplete vero in voto privato, cujus obligatio in casu aliquo irritatur, sicut dicetur. — Votum autem publicum appellatur dupliciter. Primo per se, quoniam aliquid habet annexum unde venire in publicum debeat, ut dum quis recipit ordinem sacrum, per quem minister Ecclesiæ constituitur ad serviendum publice Deo. Secundo per accidens, ut dum ad plurimorum venit notitiam. Quumque judicium rei non varietur per ea quæ sunt per accidens, sed secundum id quod est per se, ideo votum publicum secundo modo in idem computatur cum privato; sed publicum primo modo distinguitur a privato, et hoc est solenne.

Quæritur quoque, per quid votum solennizetur. Dicendum, quod votum vocatur solenne, ex hoc quod habet rationem obligandi completam. Ea namque ad solennitatem rei pertinere dicuntur, quæ tribuunt ei esse completum. Quumque votum essentialiter sit promissio, complementum suæ virtutis sortitur sicut ipsa promissio : cujus obligatio tunc completur, dum quis præsentialiter dat quod promittit, ponens eum cui promisit quasi in corporali possessione rei promissæ : ut si quis alicui fructum agri promitteret, et promittendo daret ei agrum; seu si servitium promitteret alteri, et hoc promittendo daret se illi in servum. Hinc votum solennizari tunc dicitur, dum homo se ipsum præsentialiter offert et dat Deo, divinis servitiis se mancipando : quod fit per sacri ordinis susceptionem, et per regularis ac

A religiosæ conversationis legitimam professionem, puta, in manu ejus ad quem recipere pertinet, et aliis circumstantiis quæ secundum jura determinantur, servatis. Aliter non esset votum solenne, quantumcumque quis profiteretur, quia ex tali professione non fieret sub potestate eorum qui præsunt religioni.

Verumtamen quidam affirmant, quod votum solennizatur per susceptionem habitus religionis. Quocirca sciendum, quod duplex est habitus religionis : unus qui
B datur novitiis, alius qui professis. Et si in aliquibus religionibus detur habitus idem utrisque, tamen in professione solet benedici, et quasi alter habitus reputatur. Et primus habitus non sufficit ad votum solennizandum, etiam prius emissum; sed secundi habitus susceptio votum solennizat, quum sit quædam præsumpta professio : contra quam non admittitur probatio, si debitæ circumstantiæ observentur, ut quod detur ab eo qui de jure possit dare, et coram multitudine Fratrum. Nempe si
C quis in domo sua talem habitum suscepisset, non ob hoc præsumeretur votum solennizasse. Ideo susceptio habitus non debet poni alia causa solennitatis quam professio, quoniam non solennizat votum nisi in quantum est præsumpta professio. — Denique, antequam essent regulæ quæ nunc sunt, erat aliquis modus vivendi ab Ecclesia approbatus, quo ea quæ supererogationis sunt servabantur; tuncque obligatio certi temporis * ad illum modum * tenoris
vivendi, idem fecit quod nunc obligatio
D ad regulam certam. — Constat item ex præinductis, quod votum non dicitur ideo privatum, quoniam ad notitiam venit paucorum, sed quia non habet in se unde oporteat ipsum ad aliorum venire notitiam. Qui autem professionem facit in occulto in manu ejus qui rite potest suscipere, habet unde deduci in publicum debeat : quia oportet eum sæcularem vitam deserere, atque in claustro cum aliis sui ordinis conversari.

Quæritur item, an votum simpliciter

obliget. Respondendum, quod votum est A quidam promissionis contractus inter Deum et hominem. Quumque contractus bonæ fidei inter homines factus, sit firmus et ad observationem necessario obliget, multo magis votum Deo factum in his quæ vere cadunt sub voto. Ideo fractio voti est mortale peccatum, quoniam fidem cum Deo initam violat. — Et si objiciatur, quia interdum impossibile est votum implere, ut si virgo virginitatem professa corrumpatur; dicendum, quod illud quod votum fiendum impediret ne fieret, si præsens B esset, etiam voto facto obligationem aufert. Quumque de impossibili non sit votum, si quid fiat impossibile post voti emissionem, quod ante fuit possibile, obligatio voti quantum ad illud aufertur : ut si dives ædificare voverit ecclesiam, et postea depauperatus nequeat adimplere. Verumtamen circa hoc est duplex distinctio. Prima, quod vel omnino impotens factus est ad hoc, vel in parte : si omnino, penitus non tenetur; si in parte, tenetur implere pro parte. Secunda, quia vel C ex culpa sua impotens factus est, et tunc per pœnitentiam recompensare tenetur; vel absque culpa, et sic ad nullam recompensam obligatur. Illa ergo quæ virginitatem vovit, si corrupta est, quamvis virginitatem reddere non possit, attamen continentiam reddere potest, et ad eam tenetur, et ultra ad pœnitentiæ lamenta quod virginitatem amisit : et ita satisfacit pro posse.

Insuper nec votum, nec juramentum servandum est, si vergat in exitum dete- D riorem, quum dicat Isidorus : In turpi voto muta decretum; quoniam nec ad illicita, nec ad minus bona extendit se votum. — Votum etiam interpretativum obligat, quemadmodum votum ore tenus factum. Idcirco si quis post tempus probationis in claustro manserit, obligatur manere in ordine ex voto interpretativo, nisi forte ob aliquam causam fuerit sibi terminus protelatus, vel consueverit aliis protelari, quia tunc non facit votum interpretativum, ultra annum stans. Talis quoque qui facit interpretativum votum, in omni casu tenetur ad tria principalia vota religionis; ad alias vero observantias, quarum transgressio ex dissimulatione prælatorum inducitur, non videtur obligari, præsertim si simplex sit, et talia satis discernere nequeat.

Sed quæri potest de illo qui vovit religionem intrare, et religiosi nolunt eum recipere. Respondendum, quod obligatio voti ex propria voluntate causatur. Unde si in vovendo prius cogitavit de religionis ingressu, et postea elegit talem religionem, aut talem locum, tenetur simpliciter ad religionem : ideo si recipi nequit in illa quam elegit, tenetur aliam quærere. Si autem primo et principaliter cogitavit de tali religione et tali loco, tunc in voto suo datur intelligi ista conditio, si illi velint eum recipere; si vero dubitet quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne discrimini se committat. — Præterea, dum quis vovet se intraturum religionem, si intendebat se ad statim obligare, vel ad arbitrium alienum, non potest ultra differre, etiam propter debita persolvenda; sed qui recipit eum, illa solvere obligatur. Si autem in vovendo cogitavit de debitis, probabiliter potest præsumi quod non intendebat se obligare antequam de rebus suis disposuisset. Sed dum rationabiliter timet perpetuum impedimentum, tenetur ulterius non differre.

Amplius quæritur, an votum simplex dirimat matrimonium jam contractum, et utrum votum solenne hoc faciat. Respondendum ad primam hujus quæsiti partem, quod per hoc res desinit esse in potestate alicujus, per quod transfertur in dominium alterius. Promissio autem rei non transfert eam in dominium ejus cui promittitur : idcirco ex hoc quod quis promittit alteri rem aliquam, non desinit res illa esse in potestate promittentis. Quumque in voto simplici non sit nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam Deo ser-

vandam, adhuc remanet homo dominus A corporis sui : ideo potest ipsum dare alteri, puta uxori, in qua datione consistit Matrimonii sacramentum, quod indissolubile est. Hinc votum simplex, quamvis impediat matrimonium contrahendum, ita quod peccat contrahens post votum simplex ; tamen quum verus contractus sit, non potest per hoc matrimonium factum dirimi.

Et si objiciatur, quia fortius est vinculum voti quam matrimonii, ergo plus obligat ; respondendum, quod votum est fortius vinculum quantum ad id cui et ad B quod obligat : quia per matrimonium ligatur homo uxori ad debiti redditionem, per votum vero Deo ad continentiam. Tamen quantum ad modum ligandi, matrimonium est fortius vinculum, quia per ipsum actualiter traditur vir in potestatem uxoris. — Rursus objici potest, quia præceptum Dei non est minus efficax quam Ecclesiæ præceptum ; sed si contra præceptum Ecclesiæ matrimonium contrahatur, dirimitur, ut patet in contrahentibus in gradu propinquitatis prohibito : ergo C potius si contra votum contrahatur, quia præceptum Dei est votum servare. Dicendum, quod præceptum prohibens matrimonium inter consanguineos, non in quantum est præceptum Dei vel Ecclesiæ habet quod dirimat matrimonium contrahendum, sed in quantum facit quod consanguinei corpus non possit transire in potestatem consanguinei. Hoc autem non facit præceptum prohibens matrimonium post votum simplex, ut patuit. — Denique qui post votum simplex, per verba de præsenti D contrahit matrimonium, non potest sine peccato mortali cognoscere uxorem, quia adhuc facultatem habet implendi votum ante matrimonium consummatum, quo consummato tenetur reddere exigenti. Imo quantum potest, debet votum servare : propter quod, defuncta uxore, tenetur totaliter continere ; nec petere potest debitum ab uxore, quia ex matrimonio non tenetur ad petendum, sed ad reddendum, etiam si solum interpretative mulier petat.

Ad aliam partem quæsiti dicendum, quod omnes fatentur votum solenne non solum impedire matrimonium contrahendum, sed et dirimere contractum. Cujus causam aliqui dicunt esse scandalum. Quod nihil est, quum et voti simplicis fractio quandoque sit scandalosa, dum votum est notum seu publicum ; et iterum, indissolubilitas matrimonii ad veritatem pertinet vitæ, quæ non est propter scandalum dimittenda. Ideo alii dicunt hoc esse propter statutum Ecclesiæ. Sed hoc quoque non sufficit, quia secundum hoc Ecclesia posset contrarium statuere, quod non videtur. Idcirco dicendum cum aliis, quod votum solenne ex sui natura habet quod dirimat matrimonium contractum, in quantum per ipsum amisit homo sui corporis potestatem, tradendo illud Deo ad perpetuam castitatem : ideo non potest illud in potestatem dare uxori.

Et si objiciatur, quia (ut loquitur Decretalis) apud Deum ligat votum simplex sicut solenne ; dicendum, quod verum est in his quæ spectant ad Deum, videlicet quantum ad separationem a Deo per mortale peccatum : quia sic peccat mortaliter frangens votum simplex, sicut frangens votum solenne, attamen gravius peccat qui frangit solenne ; sed quantum ad matrimonium, per quod homo homini obligatur, non est æqualis obligatio utriusque. — Hæc Thomas.

Decretal. lib. IV, tit. 6, c. 6.

Insuper Scotus circa hæc reprobat rationem assignatam ex Thoma, cur votum solenne potius dirimit matrimonium contractum quam votum simplex : quam tamen rationem assignant et alii doctores communiter, Albertus, Bonaventura, Richardus, et alii multi. Contra quam objicit, quoniam vovens privato seu simplici voto corpus suum dat Deo, quantum ad actum voti, sicut vovens voto solenni. Et patet ex dictis quod istud sit falsum. Nam vovens simplici voto se daturum, promittit potius quam jam dat : quemadmodum et qui promittit vel jurat aliquam capere in suam per verba de futuro, non accipit eam in suam, sed accepturum jam spondet.

Cf. p. 169 D'.

QUÆSTIO III

Consequenter interrogatur, **An in voto valeat dispensari.**

Videtur quod non, quia inferior dispensare non potest in lege superioris; sed votum implere est præceptum legis divinæ : ergo in hoc dispensare non potest homo. — Rursus, contra jus naturale atque divinum non licet homini dispensare; sed votum implere spectat ad jus naturale atque divinum.

Et specialiter quæri potest, an in voto solenni continentiæ possit summus Pontifex dispensare.

Circa hæc loquitur sanctus Doctor : De isto sunt diversæ opiniones. Nam aliqui dicunt, quod quodlibet votum subditorum potest per prælatos Ecclesiæ dispensationem recipere, quia (ut dicunt) in quolibet intelligitur conditionaliter voluntas superioris prælati, videlicet Papæ, ad cujus dispensationem pertinent actus omnium subditorum. Sed hoc non videtur, quoniam quædam sunt in quibus homo est ita liber, quod etiam contra voluntatem et præceptum Papæ potest ea facere, ut continere, et alia divina consilia : unde absolute potest ea vovere. Alii dicunt, quod nullum votum sit dispensabile, prout dispensatio dicit juris relaxationem, sed solum prout dicit juris declarationem : quoniam Papa potest declarare hoc jus ita, quod quando fit recompensatio boni majoris, potest dimitti minus bonum ad quod quis se obligavit. Sed nec hoc verum videtur, quia jus declarare non est jus novum facere, sed illud quod erat in jure manifestare. Unde secundum hoc, nunquam per dispensationem voti posset fieri non contra jus, quod prius contra jus fuit, sed solum quod videbatur esse contra jus, et non erat. — Ideo aliter est dicendum, quod scilicet in voto potest dispensari, etiam prout dispensatio est juris relaxatio, ex
A causa legitima. Nempe quum votum de
illicito esse non queat, nec liceat alicui
subtrahere quod ei debetur; idcirco per
votum subditi non potest præjudicari ejus
prælato, quin subditus debeat ejus obedire
præceptis tempore opportuno. Ideo si prælatus videat ex causa rationabili expedire, seu propter ipsum qui vovit, seu propter alios, quod votum non servet, potest eum ab observatione voti deobligare, qui alias de jure esset ad votum adstrictus.

Verumtamen, circa votum quod fit in
B Baptismo, dispensari non potest : quoniam
aliunde de lege naturali ac jure divino Christiani ad illa tenentur. — At vero implere votum durante voti obligatione, est de lege naturali; sed cessante obligatione voti, non est observatio ejus de lege naturali. Cessat autem obligatio, vel ex se, ut quando votum servatum vergeret in exitum deteriorem : et tunc per declarationem superioris, si facultas petendi adsit, debet voti observatio prætermitti; vel ex auctoritate superioris, qui aliud magis
C necessarium judicat, et in voto dispensat.
Nec tamen ex hoc homo incurrit mendacium, quoniam de futuris debet homo habere pias conditiones adjunctas, vel explicite sive implicite, ut patet in epistola
Jacobi. *Jacob.* IV, 13-15.

Porro de solenni continentiæ voto est duplex opinio. Una, quod nullus, imo nec Papa dispensare possit in eo. Et hujus ratio a diversis diversimode assignatur. Nam aliqui dicunt quod ideo, quoniam votum continentiæ non potest prætermitti quin
D ad contrarium dilabatur, quod nunquam
licet. Votum vero paupertatis omitti potest aliquo modo, ita quod non directe erit contrarium illi voto : ut dum quis habet pecuniam non suo sed Ecclesiæ nomine. Sed hoc nihil est, quia sic votum abstinendi a carnibus aliqua die determinata, non reciperet dispensationem, nec votum peregrinationis : quod absurdum est. — Hinc alii dicunt quod ideo, quia votum continentiæ non recipit recompensationem
melioris, quoniam non est digna ponde- *Eccli.* XXVI, 20.

ratio animæ continentis, et quia per continentiam homo triumphat de hoste domestico, scilicet propria carne; vel quia per religionem homo conformatur Christo perfecte. Propter quod nec in voto solenni continentiæ, nec in aliis duobus votis religionis potest dispensari, ut dicunt. Quod etiam non videtur sufficienter prolatum, quoniam bonum commune multo melius est quam bonum privatum. Unde interdum quis removetur a quiete et otio contemplationis, quatenus proximorum vacet utilitati. — Idcirco, ut alii probabilius dicunt, si communis utilitas totius Ecclesiæ aut unius regni seu provinciæ id deposceret, posset in voto continentiæ atque in voto religionis quantumlibet solennizato dispensari : non enim per votum potest se homo deobligare ab eo in quod alteri tenetur. Hinc talis necessitas posset instare, quod alicui rationabiliter prohiberetur castitatem vovere; et ipsa necessitate durante, etiam in facto jam voto dispensaretur.

Eccli. XXVI, 20.

Quumque objicitur, quod non est digna ponderatio animæ continentis; dicendum, quod hoc ideo dictum est, quoniam bonum continentiæ multo est dignius quam corporis salus seu sanitas : ideo periculum corporalis mortis non est sufficiens ratio ut in voto continentiæ dispensetur. — In illis quoque qui a statu religionis assumuntur ad officium prælationis, non dispensatur in substantialibus votis religionis, quia quæ possidere videntur, non nomine suo sed Ecclesiæ possident : idcirco per hoc voto paupertatis non præjudicatur; similiter nec voto obedientiæ, quoniam obedientia respicit statum prælationis in altero cui obedire tenetur. Hinc quod ille qui desistit esse sub prælato, non teneatur alicui obedire, non est ex hoc quod obligatio voti deficiat ex parte voventis, sed quia ex alia parte subtrahitur prælatio cui obedire tenebatur : sicut dum monachus qui promisit obedientiam abbati, fit abbas, non tenetur obedire alteri abbati, quia abbatem non habet. — Hæc Thomas in Scripto.

A Qui de hac ipsa materia aliter scripsit ac sensit in secunda secundæ, quæstione octogesima octava : Aliqui, inquiens, asserunt summum Pontificem posse dispensare in voto continentiæ solennizato, propter commune bonum. Sed hoc est manifeste contra id quod dicitur, *extra* de Statu monachorum, in fine illius Decretalis, Quum ad monasterium : Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeo est de essentia religionis, ut contra eam nec summus possit Pontifex licentiam indulgere.

art. 11.

Decretal. lib. III, tit. 35, c. 6.

B Præterea in Levitico dicitur : Quod semel sanctificatum est Domino, non potest ultra in usus alios commutari. Quum ergo prælatus facere nequeat ut res semel consecrata (quamvis inanimata, ut calix) consecrationem amittat quamdiu integra manet, multo minus facere potest ut homo Deo consecratus desinat esse consecratus quamdiu vivit. Solennitas autem voti, in benedictione et consecratione consistit voventis. Hinc per nullum prælatum fieri valet, ut qui votum emisit solenne, desinat ab C illo ad quod est consecratus. Castitas autem essentialiter annexa est voto solenni in susceptione religionis, non in susceptione ordinis sacri. Ideo, quamvis in voto solenni sacri ordinis possit aliquo modo dispensari, nullatenus tamen in professione continentiæ religionis. Et sicut fieri nequit ut sacerdos non sit sacerdos quamdiu vivit; sic esse non valet ut religionem professus desinat esse religiosus, quamvis quidam juristæ dicant ignoranter oppositum. Nam et bono communi providen- D dum est de rebus humanis, et non per hoc quod res Deo consecrata mundoque mortua, denuo convertatur in usum humanum. Monachus autem mortuus est mundo : ideo nulla occasione revocandus est ad vitam mundanam. Hæc idem in Summa. — Porro quid de his alii scribant doctores, mox tangam.

Lev. XXVII, 28.

Quæritur etiam, an quilibet prælatus possit dispensare in voto. Dicendum, quod plenitudo potestatis in dispensando, residet in summo Pontifice, de qua alii prælati

participant quantum fuerit eis concessum, ut quoniam omnes ad unum recurrere nequeant, ab inferioribus prælatis dispensationem recipere possint. Unde in votis quæ nec de facili nec frequenter dispensationem admittunt, ut votum religionis et consimilia vota perpetua, solus Papa dispensat. In aliis autem temporalibus votis, ut peregrinationum, jejuniorum et consimilium, possunt etiam episcopi dispensare, nisi aliquid horum fuerit eis subtractum, et sibi illud reservaverit Papa, ut est dispensatio voti peregrinationis Terræ sanctæ.

Insuper si quæratur, an votum possit commutari : dicendum, quod inter commutationem et dispensationem hoc interest, quod quando votum commutatur, vovens absolvitur ab uno atque ad aliud obligatur; dum autem in voto dispensatur, simpliciter a voto absolvitur : sicque minus importat commutatio quam dispensatio voti. Quumque ex rationabili causa possit in voto dispensari, potest etiam votum commutari, vel quia id in quod commutatur est melius, vel quia est minus periculosum.

Verumtamen objici potest, quia in Levitico jussum est, ut animal quod immolari Domino potest, nec in melius nec in vilius commutetur. (*Lev.* XXVII, 9, 10.) Et S. Bernardus testatur de bene ordinatis monasteriis : Nullus meo consilio egredietur desiderio vitæ arctioris sine superioris licentia. — Respondendum, quod animal immolaticium ex ipso voto ordinabatur ad cultum Dei : ideo jam quodammodo sanctum erat, unde nec poterat ad communes usus reduci. Similiter qui nunc vovet religionem intrare, non potest alium loco sui in religione ponere; et qui vovit Terram sanctam visitare, non potest pro se alium illuc dirigere, nisi de superioris dispensatione. Bernardus autem loquitur consulendo. Nam quidam interdum ex animi levitate se ad alium transferunt statum aut ordinem; ideo tutius est ut de superioris consilio ac licentia fiat, præsertim quando confiditur quod non velit irrationabiliter impedire.

A Amplius, si quæratur, an propria auctoritate possit homo votum suum mutare; dicendum, quod in commutatione est quidam contractus, qui compleri non potest nisi de utriusque partis consensu. Idcirco, quum per votum homo se obliget Deo, non potest fieri commutatio, nisi interveniente ejus consensu qui vicem Dei gerit in terris, puta prælati, nisi forte unum votum in alio includatur. Quumque votum religionis includat omnia alia vota, tum ratione perpetuitatis, tum ratione obe-
B dientiæ, qua homo suam voluntatem Deo tradit et offert, per quam sui et omnium rerum suarum dominus esse potest; ideo qui aliquod temporale votum fecit, potest non requisita alicujus prælati dispensatione religionem intrare, non obstante voto præcedente quod religionis impediret ingressum, puta peregrinationis, vel alicujus hujusmodi. Si autem duo temporalia fecit vota, quorum unum est compossibile alteri, debet utrumque servare, nisi forte auctoritate superioris votum præcedens
C minus commutaverit in votum majus sequens. Si autem secundum votum sit omnino incompossibile primo, debet servare majus, ac satisfacere de minori secundum prælati arbitrium. — Porro votum Terræ sanctæ obligat hominem ad serviendum Deo temporaliter, et quantum ad aliquid determinatum; votum vero religionis obligat hominem ad serviendum Deo quantum ad omnia, et secundum omne tempus : ideo potius est ampliatio quam commutatio voti. — Denique, quum per religionis in-
D gressum homo moriatur vitæ priori ac mundo, ideo vota quæ vovit in sæculari vita explenda non tenetur solvere quando intrat religionem, præsertim quoniam singularitas est in religionibus periculosa, et onus religionis sic gravat, quod non manet eadem facilitas implendi votum quæ fuit in vita sæculari. Verumtamen aliqui dicunt, quod debet prælato suo exponere, et ille pensatis conditionibus personæ ac voti, poterit cum eo dispensare. Secundum alios autem non requiritur hoc, quia ex

vi religionis a prioribus votis est absolutus propter rationes prætactas. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Petrus in omnibus, et addit : Ex causa legitima potest votum prætermitti, et non impleri ; et hoc in quatuor casibus, quos ponit in Summa sua Goffredus* cardinalis. Unus est impotentia adimplendi. Secundus, auctoritas dispensandi. Tertius, defectus conditionis appositæ. Quartus est defectus causæ principaliter inducentis, ut si mater propter sanitatem filio obtinendam, promittit singulis sabbatis jejunare, et filius non convalescit sed moritur. — Insuper de dispensatione voti duplex est solennis opinio, tam theologorum quam jurisperitorum. Una, quod nec in voto simplici neque in voto solenni continentiæ liceat alicui dispensare, quia non potest bonum aliquod recompensans inveniri. Nam etsi commune bonum alicujus communitatis sit melius simpliciter, non tamen est melius voventi, qui non debet alienum profectum præponere suo. Alii, ut magister Joannes Teutonicus, doctor magnus juris canonici, et dominus Hugo, tituli S. Sabinæ presbyter cardinalis, magnus doctor theologiæ, et eorum sequaces, affirmant quod in voto solenni continentiæ Papa potest dispensare, non alius, pro aliquo bono et necessitate communi, non privata : quoniam potest inveniri bonum commune virginitati præponderans, quamvis non bonum speciale, atque in tali casu bonum obedientiæ magis expedit etiam ipsi voventi quam impletio voti : sicut dum imminente periculo extraneæ successionis in regno aut magnæ discordiæ, posset Papa dispensare cum filio aut filia regis, quod post continentiæ votum contraheret. Et dixit dictus Joannes Teutonicus, quod vidit dispensari de facto. Hæc Petrus. — Et huic opinioni consentit Richardus.

* Gaufridus

Porro Bonaventura magis consentit primæ positioni, dicendo : Quum ea quæ Christus consulit, indubitanter sint vera, ac totis visceribus amplectenda, et Deus voluerit unumquemque liberum esse, videtur quod unusquisque possit talia sine conditione absolute promittere. Ideo quidam dicunt, quod Papa in nullo voto valeat dispensare, secundum quod dispensatio est juris relaxatio : quoniam obligatio voti dependet ex jure divino, non humano, et ex jure naturali, non ex Patrum constitutione. Potest tamen dispensare, prout dispensatio est juris declaratio. Et ista positio rationabilior est atque securior. — Ad horum intelligentiam advertendum, quod jus obligationis voti constituitur ex duplici jure naturali, puta, ex hoc quod homo debet esse verax in promissis, ex hoc quoque quod homo nihil debet promittere, nisi salva sua salute, ac divinæ majestatis honore : ergo hoc ex jure est naturali, quod homo per votum impediri non debet quin facere possit quod est sibi salubrius et Deo acceptabilius. Hinc in omni voto quod recipit recompensationem boni melioris vel simpliciter, vel pro loco et tempore, dominus Papa (cujus est jus dilucidare) potest dispensare. Et in hoc omnes conveniunt, sed diversificantur descendendo. Nam aliqui dicunt, quod nullum sit votum quod pro loco et tempore non possit recipere recompensationem : propter quod dicunt, Papam in omni voto posse dispensare, quia et bono continentiæ præfertur pax communis Ecclesiæ. Alii dicunt, quod votum continentiæ etiam in sæculari persona, non recipit recompensationem : quoniam non est digna ponderatio animæ continentis, sicut in Ecclesiastico habetur. Tertii dicunt, quod perfectioni religionis, quæ consistit in imitatione perfectissima Christi, nihil potest æquari, nec pro illa recompensari. Substantialiter quippe consistit in adimpletione triplicis voti, videlicet, paupertatis, castitatis et obedientiæ, per quas homo Christo perfectissime assimilatur. Recompensatio autem non tantum respicit bonum aliorum, verum etiam bonum voventis ; et Deus vult unumquemque maxime esse de sua salute ac profectu sollicitum. Quæ harum opinionum sit

Eccli. XXVI, 20.

verior, nescio : ideo nullam assero, potest-
que unaquæque probabiliter sustineri, præ-
sertim hæc ultima. Hæc Bonaventura.

Albertus vero tenet, quod Papa nequeat
dispensare in solenni continentiæ voto : ad
quod allegat, quod S. Matthæus evangelista
noluit S. Iphigeniam, virginem Deo con-
secratam ac velatam, tradere regi pagano
uxorem, quum tamen rex ille una cum
regno suo promitteret se fidem Christi ac-
cepturum. — Dicit quoque Albertus, vo-
tum non solennizari nisi per professionem
sanctæ religionis : quod ideo forsan dicit,
quia per hunc modum præcipue solenni-
p. 168 D. zatur; tamen juxta præhabita, solennizatur
etiam per assumptionem ordinis sacri. Ad-
duntque aliqui alios duos modos, quibus
votum solennizatur quasi interpretative.
Primus est per assumptionem habitus pro-
fessorum. Secundus, per demorationem in
claustro in habitu novitiorum ultra annum
probationis absque protestatione quod pro-
fiteri non velit.

Præterea Henricus quinto Quodlibeto ab-
solute ac fortiter tenet, quod in solenni
continentiæ voto Papa valeat dispensare :
q. 28. Glossator (inquiens) super Decretalem qua
dicitur, Abdicatio proprietatis et custodia
castitatis adeo annexa sunt regulæ mona-
chali, ut nec summus Pontifex valeat con-
tra eos licentiam indulgere, causam ad-
Eccli. XXVI, 20. dit : quoniam omnis ponderatio non est
digna continentis animæ. Ista ratio falsum
supponit, quia multa sunt bona majora et
meliora quam continentia, utpote, oratio,
contemplatio, interna dilectio, etc., sine
quibus nec ipsa continentia esset Deo ac-
cepta. Nec continentia privatæ personæ est
tanti valoris sicut conversio totius regni
ad fidem, aut pacificatio regum et pax
communitatis : imo et si monialis profes-
sa, intuitu horum bonorum obediat summo
Pontifici ad nubendum, plus meretur quam
continendo. In præallegata autem aucto-
ritate capitur continentia generaliter pro
omni virtute, quia per unamquamque vir-
tutem se continet homo ab usu creaturæ
inordinato. Nec obest quod alii arguunt,

A quia quod semel sanctificatum est Deo, *Lev.* XXVII, 28.
non potest in alios usus converti, etc. Di- *Cf.* p. 172 B'.
cendum est enim, quod sanctificatum Deo
non valet commutari in alium usum, id
est in usum contrarium vitiosum; nihilo
minus converti potest in usum magis pro-
ficuum. — Hæc Henricus, qui satis auda-
cter hic loquitur. Sed responsio beatissimi
Matthæi apostoli ad regem, atque exem-
plum tanti Apostoli circa B. Iphigeniam,
videntur contra istud Henrici responsum.
Quum autem continentia dicitur irrecom-
B pensabile bonum, certum est continentiam
accipi cum bonis in ea aliquo modo in-
clusis, videlicet, prout ad orationes, con-
templationes, et ceteros actus vitæ con-
templativæ eminenter disponit, a quibus
vita conjugalis non parum impedit et dis-
solvit.

Amplius, duodecimo Quodlibeto sci-
tatur, utrum debens aliquid ex una causa, q. 20.
liberet se faciendo illud ex alia causa.
Respondet : Debens aliquid facere ex una
causa, potest illud facere ex alia causa
C dupliciter. Primo, excludendo aliam cau-
sam, ita quod solum faciat ex una causa,
et non ex alia, neque explicite neque im-
plicite : et ita non satisfacit, nec liberat
se faciendo illud ex alia. Secundo, non
excludendo causam ex qua obligatur, sed
faciens illud tam ex illa causa quam ex
alia : et ita se liberat a debito illo, imo
perfectius solvit, secundum quod voluntas
sua tanto promptius exsequitur illud, quan-
to ex pluribus et magis idoneis causis pro-
cedit in actum. Hæc idem, qui de isto
D scribit diffuse.

Iterum quærit, utrum religiosus a mor- Quodl. I,
te resurgens, tenetur redire ad pristinum q. 37.
statum ac votum. Respondet : Homo per
vota religionis perfecte reformatur, con-
formaturque Christo secundum omnes vi-
res suas principales, videlicet, in superio-
ri seu rationali parte per obedientiam, in
concupiscibili per castitatem, in irascibili
per paupertatem. Et quamvis castitas et
paupertas quantum ad exsecutionem suo-
rum actuum, ad vires pertineant sensitivas

corpori annexas, obligatio tamen principaliter est in parte rationali per obedientiam, deinde in castitate et paupertate mediante obedientia. Quamvis ergo obligatio illa quoad paupertatem et castitatem, forsan non manet in anima separata, obligatio tamen per obedientiam manet in hujusmodi anima. Quumque per votum A obedientiæ teneatur anima etiam inferiores vires Deo subjicere, dico quod religiosus a morte resurgens, manet obligatus ut ante, et ad pristinum statum ac votum reverti tenetur. Sed aliter est de altero conjugum resuscitato, quoniam vinculum matrimoniale, corporale exsistens, fuit in morte corruptum. Hæc Henricus.

DISTINCTIO XXXIX

A. *De dispari cultu.*

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 8. POST hæc de dispari cultu videndum est. Hæc est enim una de causis quibus personæ illegitimæ fiunt ad contrahendum matrimonium. Non enim licet Christiano cum gentili vel Judæa inire conjugium, quia etiam in veteri Testamento prohibitum est fideles viros infideles ducere uxores, Domino dicente : *Exod.* XXXIV, 16. Non accipias uxorem de filiabus alienigenarum filiis tuis, ne traducant eos post deos I *Esdr.* X. suos. Juxta hoc Domini præceptum, Judæorum conjugia cum alienigenis inita Esdras Decret. p. II, caus. 28, q. 1, c. 9. separavit. Hoc idem etiam in novo Testamento servatur. Unde Augustinus : Ne nubat femina nisi suæ religionis viro, vel ne vir talem ducat uxorem. Id enim, ut dicis, jubet Dominus, docet Apostolus, utrumque præcipit Testamentum. Item Ibid. c. 15. Ambrosius : Cave, Christiane, gentili vel Judæo filiam tuam tradere; cave ne gentilem vel Judæam vel alienigenam, id est hæreticam, et omnem alienam a fide tua Ibid. c. 17. uxorem accersas tibi. Item : Si quis Judææ, sive Christiana Judæo, sive Judæa Christiano carnali consortio misceatur; quicumque tantum nefas admiserit, a christiano cœtu protinus segregetur. — Ex his aliisque pluribus testimoniis apparet, non posse contrahi conjugium ab his qui sunt diversæ religionis et fidei.

B. *De conjugio fidelis et infidelis, et duorum infidelium.*

I *Cor.* VII, 12, 13. Huic autem videtur obviare quod Apostolus ait de imparibus conjugiis : Ego dico, non Dominus : Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; et si qua mulier, etc. Sed aliud hoc esse, aliud Decret. ubi supra. illud, evidenter ostendit Augustinus : Ibi enim agitur de illis conjugiis fidelium et infidelium quæ contrahuntur ab eis in dispari religione et fide manentibus. Apostolus vero agit de illis qui unius ejusdemque infidelitatis fuerunt, quando conjuncti sunt; sed quum venisset Evangelium, alter sine altera credidit. Intelligisne quid dicam? Attende, ut rem ipsam diligentius explanem. Ecce conjuges duo unius

infidelitatis fuerunt quando conjuncti sunt : nulla de his quæstio est quæ pertineat ad illud præceptum veteris et novi Testamenti quo prohibetur fidelis cum infideli copulare conjugium. Jam sunt conjuges, et ambo adhuc sunt infideles ; tales sunt adhuc quales conjuncti sunt. Venitque Evangelii prædicator, credidit eorum unus vel una, sed ita, ut infidelis cum fideli habitare consentiat. Non jubet Dominus ut fidelis infidelem dimittat taliter conjunctum. Nec Apostolus jubet ut non dimittat, sed consulit, ut si quis aliter agat, non sit transgressor, sicut et de virginibus consulit. Monet autem quod est lucrandi occasio, quum possit licite relinquere, sed Aug. de Conjug. adult. lib. I, n. 14.
non expedit. Tunc enim non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed ipsius usus aliis affert impedimentum salutis, sicut discessio fidelis ab Ibid. n. 22.
infideli, quam non prohibet Dominus, quia coram illo non est injusta; sed Apostolus, ne fiat, consilio caritatis suadet, ut nemo in ea re jussionis necessitate teneatur, sed consilii voluntate libere faciat. — Ex his monstratur, inter infideles conjugium esse, et consilium Apostoli non obviare præcepto Domini quo jubet fidelem non jungi infideli, et si conjuncti fuerint, separari. Legitur enim quod Esdras propheta, imo Dominus per eum, jussit Israelitis uxores dimittere alienigenas, per quas ibant ad deos alienos, non illæ per maritos acquirebantur Deo. Recte hoc præcepit, quia per Moysen jusserat Dominus, ne quis uxorem alienigenam duceret. Merito ergo quas duxerant Domino prohibente, Domino jubente dimiserunt : quia ut ait Ambrosius, non est putandum matrimonium, quod extra decretum Dei factum est; sed Ambrosiast. in I Cor. VII, 15.
quum cognoscitur, emendandum : ut quando fidelis infideli copulatur. Sed ut ait Augustinus, quum cœpisset gentibus Evangelium prædicari, jam conjunctos gen- Aug. op. cit. n. 20.
tiles gentilibus comperit conjugibus; ex quibus si non ambo crederent, sed unus vel una, et infidelis cum fideli consentiret habitare, nec prohiberi a Domino debuit fidelis infidelem dimittere, nec juberi. Ideo non prohiberi, quia justitia permittit a fornicante discedere; et infidelis hominis fornicatio est major in corde, nec vera ejus pudicitia cum conjuge dici potest, quia omne quod non est ex fide, peccatum *Rom.* XIV, 23.
est : quamvis veram fidelis habeat pudicitiam, etiam cum infideli conjuge, quæ non habet veram. Ideo autem nec juberi, quia nec contra jussionem Domini gentiles fuerunt ambo conjuncti. Licitum ergo erat per justitiam fideli infidelem dimittere, sed licitum non erat faciendum propter liberam benevolentiam. Evidenter apparet, et inter infideles conjugium esse, et Apostolum de illis agere qui in infidelitate conjuncti fuerunt, et post alter ad fidem conversus est, cum quo etiam infidelis habitare consentit; et hunc non dimittere fideli consulit Apostolus, quia forte per fidelem salvabitur infidelis.

C. *De fornicatione spirituali, ob quam potest dimitti conjux.*

Potest tamen licite dimittere, quia in infideli est fornicatio, si non corporis, tamen mentis. Causam enim fornicationis Dominus excepit. Fornicationem vero generalem et universalem intelligere cogimur, non modo scilicet corporalem, sed et

Decret. p. II, caus. 28, q. 1, c. 5. spiritualem, de qua Augustinus ait : Idololatria et quælibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti, sed non jussit : et sic dedit Apostolo locum monendi, ut qui voluerit non dimittat; potest tamen licite dimittere. Si enim fornicatio carnis detestanda est in conjuge, quanto magis fornicatio mentis, id est infidelitas ?

D. *Pro quibus vitiis possit dimitti.*

Si autem quæris, an propter aliud vitium nisi propter infidelitatem vel idololatriam possit dimitti, attende quid Augustinus ait : Si infidelitas fornicatio est, et idololatria infidelitas, et avaritia idololatria; non est dubitandum et avaritiam fornicationem esse. Quis ergo quamlibet illicitam concupiscentiam potest a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quæ in stupris cum alienis viris vel feminis committuntur, sed ob quaslibet quæ animam a lege Dei aberrare faciunt et perniciose corrumpi, possit sine crimine et vir uxorem suam dimittere, et uxor virum. Item : Rectissime dimittitur, si viro suo dicat : Non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congreges, vel nisi solita lenocinia exerceas, aut si quid aliud facinorosum vel flagitiosum a viro suo expetat. Tunc ille si veraciter pœnitens est, habetque fidem per dilectionem operantem, membrum quod eum scandalizat, amputabit. — Ex his apparet, quod non solum infidelitas, sed etiam quælibet concupiscentia quæ perniciose turpiterque corrumpit, fornicatio spiritualis est, per quam vir uxorem, vel uxor virum dimittere potest. Consulit tamen Apostolus, ne fidelis dimittat infidelem volentem cohabitare nec a Deo revocare.

(Margin: Ibidem. — Ibid. c. 4. — *Galat.* v, 6.)

E. *Si fideli liceat aliam ducere, infideli discedente vel dimissa.*

Hic quæritur, si fidelis dimittat infidelem, vel infidelis a fideli discedat, an liceat fideli aliam ducere. Videtur auctoritas testari, quod illa vivente alteram ducere non valeat. Ambrosius enim verba Apostoli exponens ait : Alioqui si disceditis ab invicem, et volentes cohabitare dimittitis, et aliis vos copulatis, adulteri estis, et filii vestri qui de hac copula nascuntur, immundi, id est spurii sunt. Item : Si quis habuerit uxorem virginem ante Baptismum, vivente illa, post Baptismum alteram habere non potest. Crimina enim in Baptismo solvuntur, non conjugia.

(Margin: Ambrosiast. in I Cor. VII, 14. — Decret. loc. cit. q. 2, c. 1.)

F. *Quæ præmissis contraria videntur.*

Ambrosiast. in I Cor. VII, 15. Sed econtra Ambrosius testatur : Si infidelis (dicit Apostolus) discedit, discedat. Non enim est servituti subjectus frater et soror in hujusmodi : quia non debetur reverentia conjugii ei qui horret auctorem conjugii. Non est enim ratum matrimonium, quod sine devotione Dei est : et ideo non est peccatum ei qui dimittitur propter

Deum, si alii se copulaverit. Contumelia enim Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens, et in Deum peccat et in matrimonium; nec est servanda ei fides conjugii, qui ideo recessit ne audiret Christum esse Deum christianorum conjugiorum. Si vero ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmatur conjugium.

G. *Determinatio.*

Attende, hæc prædictis contraria posse videri, ita ut sibi Ambrosius contradicere videatur. Sed distinguendum est hic, aliud esse dimittere volentem cohabitare, aliud dimitti propter Deum ab illo qui horret nomen Christi. Ibi lex benevolentiæ non servatur, hic veritas custoditur. Et ideo, quum liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen ea vivente aliam ducere licet; discedentem vero sequi non oportet, et ea vivente aliam ducere licet. Sed hoc non est intelligendum nisi de his qui in infidelitate sibi copulati sunt. Sed si ad fidem uterque conversus est, vel si uterque fidelis matrimonio conjunctus est, et post alter eorum a fide discesserit, et odio fidei conjugem reliquerit, dimissus discedentem non comitabitur; nec tamen illa vivente alteram ducere poterit, quia inter eos fuerat ratum conjugium, quod non potest dissolvi.

Gratian. in caus. 28, q. 2, c. 2.

H. *Quidam dicunt, conjugium non esse inter infideles, et quare.*

Sunt tamen nonnulli qui inter infideles asserunt non esse conjugium, quia nec rata nec legitima est eorum copula. Rata non est, quia solvi potest; nec legitima, quia Apostolus ait : Omne quod non est ex fide, peccatum est. Eorum autem conjunctio non est ex fide, et ideo peccatum est. Non est ergo conjugium, quia nullum conjugium peccatum est. Augustinus etiam dicit, quia non est vera pudicitia infidelis cum fideli. — Sed vera negatur esse pudicitia, non quod infidelium conjugium non sit verum, sed quia non habet illud triplex bonum quod excusat coitum et meretur præmium. Item illud Apostoli, Omne quod non est ex fide, peccatum est, non ita intelligendum est, ut quidquid fit ab infidelibus peccatum sit; sed, omne quod fit contra fidem, id est conscientiam, male fit, et ad gehennam ædificat. Vel, in omni eo quod infidelis facit, peccat : non quia illud facit, sed quia non eo modo illud facit quo debet, non referens ad debitum finem.

Cf. ibid. q. 1, c. 14. *Rom.* XIV, 23. Aug. de Conjug. adult. lib. I, n. 20.

I. *Quod legitimum sit conjugium infidelium, sed non ratum, et quare.*

Copula ergo maritalis quæ est inter infideles, conjugium est legitimum, sed non ratum : legitimum, quia est inter legitimas personas; sed non ratum, quia sine fide. Conjugium vero fidelium est legitimum et ratum, si tamen legitimæ sunt personæ. Quod autem legitima sit infidelium conjunctio Augustinus testatur, di-

Decret. p. II, caus. 28, q. 2, c. 4. Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 8. cens : Uxor legitima societate conjuncta, sine ulla culpa relinquitur, si cum viro christiano permanere noluerit. Ex hoc etiam probatur, quod infideli ad fidem converso Apostolus consuluit infidelem non dimittere : quod non faceret, si non esset inter eos legitimum conjugium. Legitimum est quod legali institutione vel provinciæ moribus, non contra jussionem Domini contrahitur.

SUMMA

DISTINCTIONIS TRICESIMÆ NONÆ

OSTENSO qualiter votum soleat impedire conjugium, jam idem ostenditur de dispari cultu, hoc est, qualiter infidelitas impediat illud. Quocirca declarat, quod sicut pro fornicatione carnali seu adulterio, ita pro fornicatione spirituali, videlicet idololatria, hæresi, infidelitate, contoralis licite dimittatur. Deinde circa hæc sciscitatur, utrum fidelis infideli abjecta, aliam licite ducat. Discutit quoque, an inter infideles sit verum conjugium ; et si sic, quomodo separabile perhibetur.

QUÆSTIO UNICA

QUæritur ergo, **An dispar cultus impediat matrimonium ; et quando, et qualiter, et quomodo separatis ab invicem talibus, quorum unus est fidelis, alius infidelis, habere se debeant circa conjugium contrahendum.**

Arguitur primo, quod dispar cultus seu infidelitas conjugium impedire non valeat, quoniam Samson, quem Apostolus in epistola ad Hebræos inter Sanctos connumerat, successive duxit duas uxores alienigenas infideles : et sicut in libro Judicum recitatur evidenter de prima illarum, illam duxit ex Dei instinctu. Similiter Salomon in adolescentia sua adhuc devotus, filiam duxit regis Ægypti, imo et David filiam regis Gessur, ut secundo Regum innuitur. — Insuper in Deuteronomio Deus (*Hebr.* XI, 32. *Judic.* XIV, 4. III *Reg.* III, 1. II *Reg.* III, 3. *Deut.* XXI, 11-13.)

A præcepit, quod si quis ex viris et filiis Israel in bello cepisset puellam alienigenam seu gentilem, et illa placeret oculis ejus ad contrahendum cum ea, raderet ei ungues et caput, et sic eam sumeret in uxorem. — Iterum, sicut præhabitum est, ad matrimonium sufficiunt debita forma atque materia : hoc est, vir et femina apti ad contrahendum, et præscripta forma verborum. Sicque infidelitas accidentaliter se habet ad matrimonium, nec ad ejus requiritur veritatem sive essentiam. — Rur- (dist. XXVII, q. 1.)

B sus, sicut in textu probatur, inter infideles sunt matrimonia vera, alias omnes proles eorum illegitimæ essent, nec ulla inter eos foret hereditaria legitimaque successio : ergo non habent impedimentum connubii. — Sed et Apostolus ad Corinthios exhortatur, ut fidelis contoralis ab infideli non discedat, sed potius spe convertendi illam, cum ipsa moretur : ergo sunt veraciter conjugati, aliter adulterium aut fornicationem simul committerent. (*Cf.* p. 179 in fine. I *Cor.* VII, 12-14.)

In oppositum sunt quæ habentur in

C textu.

Circa hæc scribit Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto : Dicendum est de substantialibus matrimonii impedimentis, quæ matrimonium impediunt contrahendum, dirimuntque contractum. Et primo de dispari cultu, de quo ad Corinthios dicit Apostolus : Ceteris ego dico, non Dominus, si quis frater, id est fidelis, uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam ; et si

D qua mulier virum habet infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum : sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, etc. — Sed argui potest, quod Apostolus hoc dicendo, locu- (*Ibidem.*)

Deut. VII, 3. tus sit contra Moysen, prohibentem sociari I Esdr. X. conjugia cum infidelibus. Imo et Esdras (sicut in libro ejus describitur) separavit conjugia quæ filii Israel de Babylone reversi, cum infidelibus feminis contraxerunt. Item Apostolus ex Spiritu Sancto locutus est, et auctoritate divina, non propria nec humana, quemadmodum protestatur : II Cor. XIII, 3. An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? Quomodo ergo ait, Præcipio ego, non Dominus?

Solutio. Ad hæc respondet Augustinus, quod Dominus prohibuit per Moysen fidelibus contrahere cum infidelibus matrimonia, sicque intelligitur illud in lege de matrimonio contrahendo; Apostolus autem loquitur de matrimonio in infidelitate contracto, in quo alter conjugum venit ad fidem : nec est prohibitum ut infideles inter se contrahant, sed ne fidelis cum infideli. Quod vero ait Apostolus, Dico ego, non Dominus; ita exponitur, Ego consulo, non Dominus præcipit : quoniam nec in veteri Testamento nec in novo Deus expresse præcepit de infidelium matrimonio. In utroque autem evidenter jubetur, ne fidelis cum infideli conjugium ineat. Dicimus quoque, quod licuit fideli conjugi dimittere infidelem secundum justitiam, propter infidelis fornicationem spiritualem, quæ major et pejor est in corde quam carnalis in corpore. Attamen non prohibuit Dominus habitationem fidelis cum infideli, nec præcepit divortium. Unde propter liberam benevolentiam seu mutuam dilectionem non decuit fidelem dimittere infidelem : unde in casu tenebatur ei cohabitare; non tamen Dominus hoc præcepit, quia licitum fuit in genere, non tamen semper agendum. Tunc enim (ut asserit Augustinus) licitum non est faciendum, quando non expedit : quemadmodum licitum fuit apostolo Paulo accipere sumptus ab his quibus prædicavit, non tamen expediebat, propter eos qui contra eum occasionem quærebant. Si autem conjux infidelis sit contumeliosus in Christum, nec admonitionibus acquiescens, sed in infi-

A delitate obstinatus, tenetur conjux fidelis eum dimittere. — Hæc Antisiodorensis, qui multa conscribit, quæ in doctoribus posterioribus clarius sunt conscripta.

Itaque Thomas super his loquitur, primo respondendo ad istud, utrum fidelis possit cum infideli contrahere : Principale bonum matrimonii est proles ad Dei obsequium educanda. Quumque educatio prolis fiat communiter per patrem et matrem, uterque secundum fidem suam prolem educare intendit : ideo si diversæ sint fi-
B dei, erit intentio unius contraria intentioni alterius; sicque non erit inter eos conveniens matrimonium. Idcirco disparitas cultus præcedens matrimonium, impedit ipsum ne contrahi possit. Itaque disparitas cultus contraria est matrimonio quoad principale bonum ejus, quod est bonum prolis. — Et si objiciatur de Esther Judæa et Assuero Esther II, 17. pagano, dicendum quod in veteri lege, de aliquibus infidelibus fuit permissum Judæis inire cum illis conjugia, et de quibusdam prohibitum. Specialiter enim fuit
C prohibitum de Chananæis cohabitantibus, quos propter eorum obstinationem Dominus jussit occidi, ne conjuges et proles Israelitas ad idololatriam traherent. De aliis vero fuit permissum, de quibus non fuit tale periculum : sicque Moyses, Joseph, et consimiles cum infidelibus contraxerunt. In nova autem lege per totum orbem diffusa, similis ratio est prohibitionis de infidelibus universis. Idcirco disparitas cultus præcedens matrimonium, impedit contrahendum, et tollit contra-
D ctum. Verum dum infideles convertuntur ad fidem, potuerunt in utraque lege fideles cum illis sociari conjugio.

Sed quæri potest, utrum Catholicus cum hæretica contrahens, ineat et habeat cum illa verum conjugium. Respondendum, quod matrimonium est sacramentum : ideo quantum pertinet ad sacramenti necessitatem, requirit paritatem in fidei sacramento, utpote in Baptismo, magis quam quantum ad fidem interiorem. Unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitas

fidei, sed disparitas cultus, qui respicit exterius obsequium : ideo si fidelis cum hæretica contrahat, verum est matrimonium, quamvis peccet, si sciat eam esse hæreticam ; sicut peccaret, si cum excommunicata contraheret. Econtra quoque, si catechumenus rectam fidem habens, nondum baptizatus, cum fideli contraheret baptizata, non esset matrimonium verum.

Consequenter respondet ad hoc, utrum inter infideles valeat esse conjugium : Matrimonium, inquiens, principaliter est institutum ad bonum prolis, non solum generandæ, quia hoc sine matrimonio fieri posset, sed etiam promovendæ ad statum perfectum. Nam quælibet causa naturaliter intendit suum effectum perducere ad perfectum statum. In prole autem est duplex consideranda perfectio : scilicet perfectio naturæ, non solum quantum ad corpus, sed etiam quoad animam per ea quæ sunt de lege naturæ; secunda est perfectio gratiæ. Prima autem perfectio est naturalis et imperfecta respectu secundæ. Quumque res ordinatæ ad finem, proportionatæ sint fini, matrimonium quod tendit ad primam perfectionem, materiale et imperfectum consistit respectu matrimonii quod tendit ad perfectionem secundam. Et quoniam prima perfectio communis est fidelibus ac infidelibus, secunda vero est tantum fidelium ; ideo inter infideles est matrimonium quoddam imperfectum, carens ultima sua perfectione, quam habet inter fideles : et ita matrimonium est apud infideles prout est officium naturæ, non prout est sacramentum Ecclesiæ. Hinc si infideles conjugati cognoscant se invicem propter prolem, in qua species conservetur, et propter debitum conjugale, non peccant, quum hoc sit justitiæ naturalis et temperantiæ, quæ in delectabilibus tactus debitas circumstantias servat : sicut non peccant exercendo actus aliarum politicarum virtutum, et ea quæ sunt legis naturæ, nisi referant ad finem perversum.

Præterea dum quæritur, an conjux conversus ad fidem, possit manere cum illa quam in infidelitate accepit, nolente converti ad fidem; dicendum, quod fides ejus qui in matrimonio est, non solvit sed perficit matrimonium. Quumque inter infideles sit matrimonium verum, sicut jam dictum est ; idcirco ex hoc quod alter eorum ad fidem convertitur, matrimonii vinculum non solvitur ; sed interdum, vinculo permanente, solvitur matrimonium quantum ad cohabitationem et debiti solutionem : in quo pari passu currunt infidelitas et adulterium. Hinc sicut vir innocens potest manere cum adultera spe correctionis, non autem si in crimine maneat obstinata, quamvis etiam cum spe correctionis possit libere eam dimittere ; sic fidelis potest cum infideli manere spe conversionis, si eam in infidelitate non viderit obstinatam, et benefacit ita agendo, non tamen tenetur : ideo de hoc est consilium Apostoli, ut sic agat. — Denique, tempore Apostolorum ac primitivæ Ecclesiæ passim convertebantur ad fidem Judæi atque gentiles : ideo tunc vir fidelis poterat spem habere probabilem de conversione infidelis uxoris, et ita manere cum ea quousque experiretur an fieret obstinata. Postmodum cœperunt Judæi gravius indurari quam gentiles : idcirco ex tunc tutum non fuit viro fideli manere cum infideli Judæa, nisi conversionem promitteret. Adhuc tamen gentes intrabant ad fidem tempore martyrum et Constantini imperatoris : propter quod poterant viri credentes manere cum uxoribus gentilibus perfidis, sub spe conversionis illarum. Nunc autem pariformiter induratæ sunt : ideo non permittitur conjux credens cum incredula manere uxore, nisi illa velit converti.

I Cor. vii, 12.

Verum his objici potest. Primo, quoniam matrimonium quod inter fideles contrahitur, est perfectius conjugio incredulorum; sed si fideles contrahant in gradu ab Ecclesia prohibito, separantur : ergo et infideles taliter contrahentes, si convertantur; et ita vir fidelis non poterit permanere cum uxore cum qua in infideli-

tate contraxit in gradu prohibito. — Secundo, quidam increduli, juxta ritum legis suæ, simul plures habent uxores : ergo si conversi queunt cum illis manere, habebunt licite multas uxores. — Tertio, contingit quod gentilis uxore prima repudiata, accipiat aliam, atque in illo matrimonio convertatur : ergo saltem in hoc casu non potest cum secunda manere conversus.

Et respondendum ad primum, quod infideles non baptizati, non sunt adstricti ad statuta Ecclesiæ, sed ad statuta juris divini : ideo si contraxerint in gradu lege *Lev.* XVIII. divina prohibito in Levitico, sive convertatur uterque seu alter tantum, non valent in tali manere conjugio. Si autem contraxerint in gradu ab Ecclesia vetito, possunt commanere si ambo convertantur; et item si unus convertatur, et sit spes de conversione alterius. — Ad secundum, quod plures habere simul uxores, est contra legem *Cf.* dist. XXXIII, q. 1. naturæ (ut dictum est), ad quam etiam infideles tenentur : idcirco infidelis non habet verum connubium nisi cum illa quam primo duxit. Hinc si cum pluribus uxoribus convertatur, debet solum primam tenere, aliasque relinquere. Quod si prima converti noluerit, et aliqua aliarum velit converti, habet idem jus contrahendi cum illa quod cum quacumque alia, ut statim dicetur. — Ad tertium, quod repudiare *Cf.* ibid. q. 2. uxorem est contra legem naturæ, et viro illicitum : ideo si convertatur, tenetur primam habere, si illa velit converti; quod si non velit, facere debet sicut in casu præcedenti.

Quæritur rursus, an fidelis conversus possit relinquere conjugem infidelem volentem sibi cohabitare sine contumelia Creatoris. Respondetur, quod secundum aliam et aliam hominis vitam diversa competunt atque expediunt ei : idcirco qui moritur vitæ priori, non tenetur ad ea ad quæ tenebatur in vita illa; propter quod qui in sæculari vita aliqua vovit, non tenetur ad illa religionem ingressus. Quumque homo regeneretur in Baptismo, infi-

A delis dum baptizatur, moritur prorsus vitæ priori : unde uxori non volenti converti non tenetur cohabitare, nec debitum reddere, quamvis in aliquo casu id facere possit, quemadmodum religiosus si vult, potest ea quæ vovit in sæculo, implere in claustro, si contra religionem suam non sint. — Si autem quæratur, quid fiet de talium conjugum prole : dicendum, quod proles aut pervenit ad ætatem perfectam, et tunc libere sequi potest patrem fidelem seu matrem infidelem; si vero B fuerit minoris ætatis, danda est patri fideli, non obstante quod indigeat educari a matre.

Præterea quæritur, an liceat viro discedenti ab uxore incredula, ducere aliam. Dicendum, quod si infidelis conjux vult cohabitare viro converso sine contumelia Creatoris, et sine hoc quod ad infidelitatem conetur reducere virum, potest vir libere ab illa discedere; tamen ita discedens non potest aliam in uxorem accipere. Si autem illa non velit cohabitare tali C viro sine injuria Creatoris et sine blasphemia, tenetur vir illam dimittere, et aliam potest accipere. — Et si objiciatur, quod matrimonium est indissolubile : respondendum, quod matrimonium infidelium est imperfectum; matrimonium vero fidelium firmius. Firmius autem vinculum solvit minus firmum, si sit illi contrarium : ideo matrimonium postea in fide Christi contractum, dissolvit illud infirmius; sicque matrimonium infidelium non est in se ratum ac firmum, sed postmo-D dum per fidem Christi ratificatur. — Nec blasphemia uxoris incredulæ solvit vinculum matrimoniale inter virum conversum et ipsam, quoadusque vir ille acceperit aliam : imo si illa interim converteretur, redderetur ei vir suus. Si vero illa in sua infidelitate permanserit, non potest alium accipere virum, viro converso vivente; et si postea convertatur, potest ei dispensative concedi quod alteri viro fideli nubat, si prior ejus maritus jam aliam duxit. — Denique, si post viri conversionem exsistat

probabilis spes de conversione uxoris, non A
debet vir continentiæ votum emittere, ne-
que ad aliud transire conjugium : quoni-
am mulier difficilius converteretur, sciens
se suo viro privatam. Si autem non sit
spes de conversione uxoris, potest vir ad
sacros ordines seu ad religionem accede-
re, requisita prius uxore quod converta-
tur. Quod si convertatur viro religionem
ingresso, aut ad ordines sacros promoto,
non est ei vir reddendus; sed debet sibi
imputare in pœnam suæ tardæ conversio-
nis, quod viro suo privatur. — Sed rursus B
objici potest. Nam filius patre converso
manens in infidelitate, privatur sua here-
ditate, quæ tamen ei restituitur si con-
vertatur, etiam si alius in ejus possessio-
nem intravit : ergo a simili, si uxor infi-
delis postea convertatur, reddetur ei vir
suus, quamvis duxerit aliam. Dicendum,
quod vinculum paternitatis non solvitur
per disparem cultum sicut conjugii vin-
culum : ideo non est simile de hereditate
et uxore.

Postremo quæritur, an alia quoque vitia C
solvant matrimonium, quemadmodum in-
Cf. p. 178 D. fidelitas. Et quod imo, videtur per Magi-
strum in littera; et item quoniam omne
peccatum mortale est fornicatio spiritua-
lis, sicut infidelitas; avaritia etiam idolo-
latria appellatur, et superbia fertur esse
apostasia a Deo. — Et respondendum, quod
adulterium et infidelitas specialem habent
contrarietatem ad matrimonium : ideo spe-
cialiter asseruntur matrimonia separare,
Cf. p. 182 A'. juxta intellectum præhabitum, quum ta-
men nullum eorum separet matrimonium D
jam ratificatum, quantum ad vinculum;
sed solvi potest quantum ad debiti reddi-
tionem, per adulterium et infidelitatem.
Propter alia autem peccata non solvitur
nec quantum ad actum, nisi vir se vellet
subtrahere ad tempus a consortio uxoris
ad castigationem ipsius, subtrahendo ei
præsentiæ suæ solatium. — Quamvis etiam
adulterium magis contrarietur matrimo-
nio prout est officium naturæ, infidelitas
tamen plus ei contrariatur in quantum est
sacramentum Ecclesiæ. Nec alia peccata
dicuntur tam intense ac proprie fornica-
tio, ut infidelitas, quæ et idololatria nun-
cupatur. Infidelitas enim opponitur fidei,
per quam primo desponsatur anima Deo.
— Verba demum Magistri in littera sunt
de sponsalibus intelligenda, quæ propter
superveniens crimen possunt dissolvi; vel
si de matrimonio loquitur, intelligenda
sunt de separatione a mutua conversatio-
ne ad tempus, vel quando non vult viro
cohabitare nisi sub conditione peccandi. *Cf.* p. 79 D'.
— Hæc Thomas in Scripto. Concordat
Petrus per omnia, addens quod ante le-
gem Moysis licuit passim fideli cum in-
fideli contrahere, quia nondum fuit pro-
hibitum.

Richardus demum prædictis consentit
quantum ad ipsas conclusiones. Rationem
vero assignatam, cur fidelis cum infideli
contrahere nequeat, improbat : quia ea-
dem ratione nec cum hæretica posset con-
trahere. Ideo aliam ponit causam, dicendo
quia non decet Christianum cum ea con-
trahere matrimonium in qua non esset
ratio sacramenti. In matrimonio autem
cum infideli non baptizato non esset ra-
tio sacramenti, quia non potest habere
rationem sacramenti ex parte conjugis
unius, et non alterius. Qui autem Bapti-
smum non suscepit, nullum aliud sacra-
mentum accipere potest. Quapropter non
teneret matrimonium inter baptizatum et
non baptizatum, etiam si omnes fidei ar-
ticulos crederet. — Insuper, si conjux hæ-
reticus (vel hæretica) permanet obstinatus
in sua perfidia, conjux tenetur fidelis ab
ea discedere quantum ad cohabitationem
et torum, propter subversionis periculum,
et ne videatur tantæ criminositatis turpi-
tudinisque patronus. Hæc Richardus.

At vero Bonaventura hic sciscitatur,
utrum matrimonium ante Baptismum, po-
nat in numerum cum matrimonio post
Baptismum. Respondet : In hac quæstio-
ne B. Hieronymus et S. Augustinus fue-
runt contrariæ opinionis : quia secundum
Hieronymum, tota vita infidelium est pec-

catum, et quod non habent matrimonium verum, imo eorum conjugium est peccatum : ideo baptizatis ipsis non imputatur nec computatur, sed omnino in Baptismo deletur, sicut et cetera veteris hominis opera. Augustinus vero sensit, quod infidelium conjugia quamvis non meritoria, non sint tamen illicita, imo bona ex genere : quoniam Deus ea instituit, naturale jus dictat, atque Apostolus roboravit, consulens conjugem ab infideli conjuge non recedere. Ideo conjugia illa in Baptismate non delentur : unde et bigamus est qui unam habuit ante Baptismum, et aliam post Baptismum. Quumque motiva Augustini rationabiliora sint, Ecclesia ei consentit. Hieronymus vero opinative magis quam assertive locutus est. Hæc Bonaventura. — Scripta vero Alberti in dictis Thomæ comprehenduntur.

I *Cor.* VII, 12, 13.

DISTINCTIO XL

A. *De cognatione carnali et spirituali; et prius de carnali.*

NUNC superest de cognatione aliquid dicere. Est autem cognatio alia carnalis, alia spiritualis. Primum de carnali cognatione et affinitate inspiciamus. Cognati ergo vel affines in septimo gradu vel infra, copulari non debent. Unde Gregorius : Progeniem suam unumquemque usque ad septimam observare decernimus generationem; et quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad conjugalem copulam accedere denegamus : quod si fecerint, separentur. Item Nicolaus Papa : De consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci potest. Item : Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant. — His auctoritatibus aliisque pluribus, consanguineorum conjunctiones prohibentur usque ad septimum gradum.

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 11.
Decret. p. II, caus. 35, q. 2, c. 16.
Ibid. c. 17.
Ibid. c. 19.

B. *De computatione graduum consanguinitatis.*

Quomodo autem gradus consanguinitatis computandi sint, Isidorus ostendit sic : Series consanguinitatis sex gradibus dirimitur hoc modo. Filius et filia, quod est frater et soror, sit ipse truncus. Illis seorsum sejunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi : nepos et neptis, primus; pronepos et proneptis, secundus; abnepos et abneptis, tertius; adnepos et adneptis, quartus; trinepos et trineptis, quintus; trinepotis nepos et trinepotis neptis, sextus. Attende, quod sex gradus tantum ponit Isidorus, quia truncum inter gradus non computat; alii vero qui septem gradus ponunt, truncum inter gradus computant. Varie namque computantur gradus consanguinitatis : alii enim patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt; alii primum gradum filios appellant, negantes gradum cognationis inter patrem et filium esse, quum una caro sint pater et filius. Auctoritates ergo quæ

Ibid. q. 5, c. 1.
Hugo, ubi supra.
Gratian. in caus. 35, q. 2, c. 21.

consanguinitatis cautelam usque in septimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu; illæ vero quæ usque ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant: atque ita fit ut eædem personæ secundum hanc diversitatem inveniantur in sexto et septimo gradu. Patrem vero in primo gradu ponit, qui fratres dicit esse secundum gradum. Hoc modo computat Zacharias Papa, inquiens: Parentelæ gradus taliter computamus. Ego et frater meus una generatio sumus, primumque gradum efficimus. Rursus, filius meus et fratris mei filius, secunda generatio sunt, et secundum gradum faciunt; atque ad hunc modum ceteræ successiones. Inter illos vero qui sex computant gradus, et illos qui septem computant gradus, nulla in sensu exsistit diversitas, quamvis in numero graduum varietas videatur. Ultima enim generatio, si a fratribus sumat initium numerandi, septima invenitur.

Decret. p. II, caus. 35, q. 5, c. 4.

Ibid. c. 2.

C. *Quare sex gradus computantur.*

Quare vero sex computet Isidorus, ipse aperit, dicens: Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, usque ad ultimum gradum protraxerit, et propinquitas esse desierit; tunc primum lex in matrimonii vinculum eam recipiet, et quodammodo incipiet revocare fugientem. Ideo autem usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, ut sicut sex ætatibus mundi generatio et hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur. In his sex gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec affinitas inveniri, nec successio potest amplius prorogari. Secundum alios, septem gradus ideo computantur, ita ut post septem gradus sponsus sponsæ jungatur, sicut post hanc vitam quæ septem diebus agitur, Ecclesia Christo jungetur. — His autem occurrit illud quod Gregorius Augustino, Anglorum episcopo, a quo requisitus fuerat, quot a generatione debeant copulari, rescribit sic: Quædam lex Romana permittit, ut sive fratris vel sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est, ut quarta vel quinta generatio fidelium licenter sibi conjungatur. Sed post multum temporis idem Gregorius a Felice, Messanæ Siciliæ præsule, requisitus, utrum Augustino scripserit, ut Anglorum quarta generatione contracta matrimonia non solverentur, inter cetera talem reddidit rationem: Quod scripsi Augustino, Anglorum episcopo, ipsi etiam Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter et non generaliter me agnoscas scripsisse. Nec ideo hæc eis scripsi, ut postquam in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem, jungantur.

Isid. Etym. lib. IX, c. 6, n. 29.

Hugo, de Sacram. lib. II, p. II, c. 14.

Decret. loc. cit. q. 2, c. 20.

Ibidem.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ

NUNC de impedimento matrimonii quod ex consanguinitate oritur, tractat Magister, declarando, quid sit consanguinitas ipsa, et de gradibus ejus, et usque ad quantum gradum impediat, qualiter etiam diversi diversimode gradus hos computent.

QUÆSTIO UNICA

QUæritur ergo, **Quid sit consanguinitas, et cur impediat matrimonialem conjunctionem, et usque ad quotum gradum.**

Circa hæc scribit Bonaventura : Ad intelligentiam horum, primo procedendum est secundum viam narrationis, secundo penes viam inquisitionis, tertio proponenda est triplex definitio, et notula seu regula triplex. — Primo ergo videndum, quid sit consanguinitas. Quæ sic definitur : Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Stipes autem vocatur persona a qua aliqui duxerunt originem, atque a qua descendentes consanguinei sunt ad invicem et illi etiam a quo sunt. — Secundo videndum, quid sit linea consanguinitatis. Quæ taliter definitur : Linea est ordinata collectio personarum consanguinitate conjunctarum, ab eodem stipite descendentium, diversos continens gradus. Et apte dicitur ordinata collectio. Nam sicut in linea prædicamentali est ordo secundum superius et inferius ; sic in linea consanguinitatis, secundum prius et posterius. Quumque ordo possit considerari ad id quod est supra, et ad id quod infra, et ad id quod juxta ; ideo tres lineæ communiter assignantur : una ascendentium, secunda descendentium, tertia A transversalium. Secundum lineam ascendentem computantur sic gradus : pater et mater, avus et avia, proavus et proavia, atavus et atavia. Secundum lineam descendentem, filius et filia, nepos et neptis, pronepos et proneptis, abnepos et abneptis. Secundum lineam transversalem, duo fratres, filii vel filiæ duorum fratrum, nepotes vel neptes duorum fratrum, pronepotes vel proneptes duorum fratrum, et ibi est status. — Tertio videndum, quid sit gradus. Qui sic definitur : Gradus est habitudo B distantium personarum, qua cognoscitur quota generationis distantia personæ inter se differunt. Hæc autem definitio datur secundum jura canonica. Nam secundum jura civilia, gradus accipiuntur secundum numerum personarum collectarum in linea. Unde dicunt legistæ, quod frater et soror duos faciunt gradus ; decretistæ vero, quod unum et primum.

(Rationem quoque hujus diversitatis dicit Hugo, capitulo quartodecimo, de Consanguinitate. Alexander episcopus : Inve- C nimus ob aliam et aliam causam, alteram legum, alteram canonum, fieri computationem. In legibus namque ob nihil aliud ipsorum graduum facta est mentio, nisi ut hereditas vel successio ab una persona ad alteram inter consanguineos deferatur. In canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte ostendatur usque ad quotam generationem consanguineis sit a nuptiis abstinendum. Ibi præscribitur ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur ; hic vero, ut rite atque canonice inter fide- D les nuptiæ celebrentur. Porro in legibus gradus non numerantur distincte nisi usque ad sextum gradum ; in canonibus usque ad septimam distinguitur generationem. Hac ergo de causa, quia hereditates nequeunt deferri nisi ab una persona ad alteram, curavit sæcularis imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quoniam vero nuptiæ non valent fieri sine duabus personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituunt personas. Utramque tamen computationem, si attente sub-

Hugo, de Sacramentis, lib. II. p. XI.

tiliterque fuerit perspecta, idem sensisse, et eamdem esse, et ad eumdem terminum convenire, erit manifestum. Justinianus namque usque ad quem gradum perduret, in suis legibus non definit; canones vero ultra septimam nullam numerant generationem. Sexto quippe gradu determinato in legibus suis, subintulit : Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum cognationis gradus numerentur. Ex his etenim palam est intelligere, quemadmodum ulteriores gradus numerare debeamus. Generata namque persona, addit gradum. Fratres itaque qui secundum sæculares leges dicuntur esse in gradu secundo, secundum canones sunt in primo; filii fratrum ibi in quarto, hic in secundo ; nepotes ibi in sexto, hic in tertio. — Sumptum est hoc ex causa 35, quæstione 5.)

Hæc sunt Bonaventuræ.

Nec est contradictio, quia unius habitudinis duo sunt extrema. Et quia secundum jura canonica, gradus est habitudo, et duplicis extremi una est habitudo, ponitur unus gradus ; sed quia sunt duæ personæ, et quælibet suum habet respectum ad principium, ideo secundum leges computantur duo gradus.

His visis, notandæ sunt tres notulæ seu regulæ. Prima est, quod nulli licet contrahere cum aliqua usque ad quartum gradum inclusive : contra quam prohibitionem si quis præsumpserit copulari conjugio, irritum habeatur. Secunda regula est, quod toto gradu personæ descendentes a stipite distant ab invicem, quoto gradu distant a capite, etc. Tertia est, quando personæ inæqualiter distant a stipite, utpote, una in gradu secundo, alia in quinto, tunc linea consanguinitatis et gradus computandi sunt secundum distantiam magis remoti, etc.

Itaque dum quæritur, utrum consanguinitas sit vinculum ; dicendum, quod consanguinitatem esse vinculum, nemo dubitat. Sed unde proveniat, dubitationem controversiamque habet. Quidam enim dixerunt, hoc vinculum in hominibus tantum, non in bestiis esse, propter unitatem A humanæ naturæ, quæ tota fuit in uno : propter quod et originale peccatum in omnes descendit. Quod si ita esset, cur ego et tu non essemus fratres in primo gradu, quum tota substantia carnis meæ ac tuæ in Adam exstiterit? Hæc quoque opinio improbata est super secundum. Hinc alia est positio, quod consanguinitas est ex propagatione carnali proveniens in hominibus, ita quod duo faciunt vinculum istud, puta, relatio ad eamdem originem, et naturalis affectio. Relatio ad eamdem B originem : tum sicut ad materiale principium, quia de sanguine ejusdem hominis generantur ; tum sicut ad principium effectivum, quoniam simul cum semine illo descinduntur spiritus et virtus formativa, quæ naturam assimilat : propter quod communiter proles assimilatur parentibus secundum quod virtus illa in operando est fortior. Est itaque consanguinitas habitudo quædam ramorum ad stipitem, et econtra. Quumque natura humana cognoscitiva sit talis originis etiam in particulari, et natu- C raliter adhæsiva ; ideo dicitur ibi esse vinculum consanguinitatis. Sed quia hæc virtus assimilativa deficit in successione per admixtionem extranei sanguinis, deficit quoque cognitio propinquitatis ac naturalis affectio : sicque vinculum consanguinitatis non tantum protenditur quantum propagatio ista. In brutis vero cognitio talis non est nec alligatio, nisi quantum ad matrem et fetum, et hoc modico tempore, scilicet quamdiu enutritio durat : ideo non est in ipsis vinculum consanguinitatis. Et D hæc dico de naturali affectione, secundum aptitudinem magis quam secundum actum. Unde qui putat aliquem sibi esse extraneum, qui tamen est frater ejus, non magis ad eum afficitur quam ad alienum. Mox vero ut agnoscit quod frater sit suus, naturali affectione trahitur ad eumdem, et ei quasi quodam vinculo alligatur. Hinc consanguinitas nominat vinculum secundum proprietatem non absolutam, sed relativam.

Cf. t. XXII, p. 400 D' et s., 404 A', 405 A.

Porro dum quæritur, an et cur consan-

guinitas sit matrimonii impeditiva; dicendum, quod vinculum consanguinitatis in aliquo suo gradu impedit matrimonium ex dictamine legis naturalis, et in aliquo gradu ex prohibitione legis divinæ, atque in aliquo ex statuto Ecclesiæ. Nam inter patrem et filiam, et inter matrem et filium, apud omnes naturali dictamine impedit illud : et hoc, propter reverentiam et honorem qui a prolibus exhiberi debent parentibus; tum propter generationis successionem, quæ procedere, non retrocedere debet. Hinc non debet proles suo principio (id est parenti) misceri ut gignat. Ex prohibitione demum legis divinæ impedit consanguinitas matrimonium usque ad gradum secundum: et hoc, quoniam mulierem cognoscens, revelat turpitudinem ejus, et discooperit ignominiam ejus, quod non decet fieri personæ ita propinquæ. Ex statuto quoque Ecclesiæ impedit usque ad quartum membrum inclusive : et hoc, propter amicitiam dilatandam : propinquæ namque aliunde satis amantur. Unde quintodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Habita est rectissima ratio caritatis, ut homines quibus utilis et honesta consistit concordia, vinculis diversarum necessitudinum necterentur, ne unus multas haberet in uno, sed singulæ spargerentur in singulas, ac ad socialem vitam diligentius colligandam, plurimæ plurimos obtinerent. Videtur etiam copula personarum valde propinquarum bono matrimonii, id est proli, obesse, quum dicat Gregorius : Experimento didicimus, ex tali copula non posse succrescere sobolem. Impedit etiam majus bonum, id est vinculum affinitatis, quæ inde contracta, est ratio mutuæ amicitiæ inter multos.

Decret. p. ii, caus. 35, q. 1.

Denique, secundum tempora nostra prohibetur matrimonium in consanguinitate usque ad quartum gradum inclusive, ut patet *extra* de Consanguinitate, Non debet, in Decretali edita in concilio Lateranensi, ubi Ecclesia statuit istud, quoniam potuit et congruum fuit ac utile, imo et necesse. Quod potuit, patet ex hoc quod

Decretal. lib. iv, tit. 14, c. 8.

A in principio constitutionis matrimonii duæ tantum personæ excipiebantur, videlicet pater et mater, juxta illud Genesis : Relinquet homo patrem et matrem. Postmodum in lege Moysis plures personæ fuerunt exceptæ. Quum ergo lex Christi abundet præ lege Moysis, debuerunt in lege evangelica excipi plures quam in lege Moysis. Christus autem in propria persona non excepit : ergo auctoritatem excipiendi et determinandi personas hujusmodi, reliquit Ecclesiæ suæ, et maxime principi ejus, videlicet Papæ. Quod attendentes sancti Patres, exceperunt plures personas. — Hujus quoque commissionis ista est ratio, quoniam sacramentum hoc in quodam consistit contractu, qui est personæ ad personam. Unde quum Christus plenam jurisdictionem contulerit Petro super spiritualia, etiam majorem quam imperatori ac regibus super temporalia; et imperatores ac principes limitare possunt ac ordinare temporales contractus : quid mirum, si ecclesiastico principi et Ecclesiæ multo magis dedit posse determinare legitimas personas ad contrahendum connubia? — Fuit etiam congruum, quoniam consanguinitas ortum habet a propagatione, propagatio ex semine, quod habet in se naturam quatuor humorum ac quatuor elementorum : hinc consanguinitas ante quartam generationem terminari non debet. Quemadmodum ergo corpus quatuor constat elementis, sic consanguinitas quatuor gradibus debet extendi. Et lex Christi plus perfectionis debet addere supra legem Moysis, quam lex Moysis supra legem naturæ; quumque lex Moysis supra legem naturæ addiderit unum gradum, congruebat in lege Christi duos ad minus adjici gradus. — Fuit et utile, quoniam vinculum matrimonii ratione affinitatis quæ ibi contrahitur, fovet caritatem et fœderat inimicos : quod potissime jam utile fuit, quando caritas in multis refriguit. — Fuit item necesse. Nam propter multitudinem consanguineorum et paucitatem annorum vitæ præsentis, erant perpauci qui consangui-

Gen. ii, 24.

(Marginal section letters: B at "delicet Papæ", C at "dedit posse", D at "quam lex Moysis".)

nitatem poterant usque ad gradum septi- A mum numerare; et ex hoc oriebatur periculum maximum in matrimoniali contractu multorum, qui intra gradus prohibitos contraxerunt. Ideo statutum illud Gregorii de protractione usque ad septimum gradum, oportuit retractari, quum homines jam decrescant in vitæ duratione, et crescant in libidine. — In homine autem sex assignantur ætates. Prima est infantia, usque ad septimum annum; secunda est pueritia, usque ad quartumdecimum annum; tertia adolescentia, usque vicesimum quintum, B vel secundum alios usque vicesimum octavum; quarta juventus, usque quinquagesimum annum; quinta senectus, usque septuagesimum; sexta senium seu decrepita vel veterana, usque in finem vitæ. — Hæc Bonaventura.

At vero Thomas : Omnis (inquit) amicitia, secundum Philosophum octavo Ethicorum, in quadam communicatione consistit. Et quoniam amicitia est ligatio quædam seu unio, ideo communicatio quæ est amicitiæ causa, dicitur vinculum. Hinc secun- C dum quamlibet communicationem denominantur aliqui colligati ad invicem : sicut dicuntur concives, qui communicationem habent politicam; et commilitones, qui in negotio communicant militari. Eodem modo consanguinei nuncupantur, qui in communicatione conveniunt naturali. Unde
Cf. p. 187 C. consanguinitas definitur vinculum aliquorum, etc. Est enim quædam propinquitas in naturali communicatione fundata secundum actum generationis, qua propagatur natura. Unde secundum Philosophum D octavo Ethicorum, communicatio ista est triplex. Una secundum habitudinem principii ad principiatum; et hæc est consanguinitas patris ad filium : propter quod asserit, quod parentes diligunt filios tanquam aliquid sui. Alia est secundum habitudinem principiati ad principium, ut filii ad patrem : unde ait, quod filii diligunt parentes tanquam causam seu principium sui esse. Tertia est secundum habitudinem eorum qui sunt ab uno principio, sicut fratres dicuntur ex eisdem nasci. Et quoniam punctus suo motu lineam facit, et pater per propagationem quodammodo descendit in filium; ideo secundum tres habitudines istas sumuntur tres lineæ consanguinitatis, videlicet : linea descendentium secundum habitudinem primam, linea ascendentium penes secundam, linea transversalium juxta tertiam. Sed quia propagationis motus non quiescit in termino uno, sed ultra progreditur; idcirco contingit accipere patrem patris, et filium filii, sicque deinceps; atque secundum hos diversos processus, diversi gradus inveniuntur in linea una, etc., prout supra. Linea *Cf.* p. 185 B.
vero non sumitur hic prout est species quantitatis continuæ, sed pro his qui linealiter disponuntur, et prout assignatur in numeris linea et figura, secundum quod unitas post unitatem ponitur in aliquo numero. Sic etiam quælibet unitas addita, gradum facit in linea tali : et ita est de linea consanguinitatis, propter quod una linea plures continet gradus.

Denique, sicut albedo dicitur major dupliciter : primo intensive, ex ipsius qualitatis vigoratione; secundo extensive, ex subjecti seu quantitatis majoritate; ita consanguinitas dicitur major dupliciter. Primo intensive, ex natura consanguinitatis. Secundo extensive : et sic quantitas consanguinitatis mensuratur ex personis inter quas propagatio consanguinitatis procedit; et hoc secundo modo gradus in consanguinitate distinguitur. Hinc contingit quod aliquorum duorum qui sunt in eodem gradu consanguinitatis respectu alicujus personæ, unus sit magis consanguineus quam alter, considerando primam quantitatem consanguinitatis : sicut pater et frater attinent alicui in primo gradu consanguinitatis, quia ex neutra parte incidit persona media; attamen intensive loquendo, magis attinet filio pater suus quam frater suus, quoniam frater non attinet sibi, nisi in quantum est ex eodem patre. Ideo quanto aliquis est propinquior communi principio a quo consan-

guinitas descendit, tanto est magis consanguineus, quamvis non sit in gradu propinquiori.

Porro dum quæritur, an consanguinitas de jure naturali impediat matrimonium; Cf. p. 125 B et s. dicendum, quod sicut præhabitum est, illud de jure naturali impedit matrimonium, per quod matrimonium redditur incompetens fini ad quem ordinatur. Finis autem matrimonii primo et per se est bonum prolis, quod per aliquam consanguinitatem, scilicet inter patrem et filiam, et inter matrem ac filium non totaliter quidem aufertur : quia filia ex patre potest concipere, et cum illo prolem nutrire ac informare; sed non modo convenienti fieret. Inordinatum est enim, ut filia patri jungatur in sociam, cui debet per omnia esse subjecta. Secundus matrimonii finis per se tantum, est concupiscentiæ repressio, quæ magis accenderetur si liceret cognatis misceri, eo quod pariter demorentur : ideo lex illas personas prohibuit matrimonialiter sociari quæ solent in una domo morari, ut etiam Rabbi Moyses contestatur. Finis vero matrimonii secundarius et accidentalis, est hominum confœderatio et amicitiæ multiplicatio : qui finis impediretur, si inter cognatos liceret conjugium.

Convenienter demum institutum est ultimo ab Ecclesia, ne infra quartum gradum, nec in ipso quarto gradu matrimonium contrahatur : quia usque ad quartam generationem homines vivere solent, sicque consanguinitatis memoria non deletur. Unde et Dominus comminatur, se visitaturum peccata parentum usque in tertiam et quartam generationem in filiis. *Exod.* xx, 5. Et quia in qualibet generatione est quædam nova commixtio sanguinis (cujus identitas consanguinitatem facit) cum sanguine alieno; et quanto plus alteri commiscetur, tanto plus a primo receditur; quumque sint quatuor elementa, quorum quodlibet tanto facilius est alteri commiscibile, quanto est magis subtile : ideo in prima commixtione evanescit identitas sanguinis quantum ad primum elementum, scilicet ignem, quod est subtilissimum; in secunda, quantum ad aerem; in tertia, quantum ad aquam; in quarta, quantum ad terram : et ita post quartam generationem convenienter iteratur carnalis commixtio. Ideo instituit Ecclesia ita. Statutum autem Ecclesiæ non imponit modum præteritis, sed futuris : ideo si nunc prohiberetur quintus gradus, non ob hoc essent separandi qui ante licite contraxerunt in gradu illo. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus una cum dictis ex Bonaventura contenta sunt quæ Albertus, Petrus, Richardus et alii sæpe præfati, de ista scribunt distinctione.

DISTINCTIO XLI

A. *De gradibus affinitatis.*

NUNC de affinitate videndum est, de qua Gregorius ait : Porro de affinitate, Decret. p. II, caus. 35, q. 5, c. 3. quam dicitis parentelam esse, quæ ad virum ex parte uxoris, seu quæ ex parte viri ad uxorem pertinet, manifesta ratio est : quia si secundum divinam sententiam ego et uxor mea sumus una caro, profecto mihi et illi mea suaque parentela propinquitas una efficitur. Quocirca ego et soror uxoris meæ in uno et primo gradu erimus; filius vero ejus in secundo gradu erit a me, neptis vero in tertio; idque utrinque in ceteris agendum est successionibus. Uxorem vero pro-

pinqui, cujuscumque gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua femina propriæ propinquitatis sit : quod nimirum uxori meæ de propinquitate viri sui in cunctis cognationis gradibus convenit observare. Qui vero aliorsum sentiunt, antichristi sunt. Item Julius Papa : Æqualiter vir conjungatur consanguineis propriis et consanguineis uxoris. Item Isidorus : Sane consanguinitas, quæ in proprio viro conservanda est, etiam in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est, quia constat eos duos fuisse in carne una; ideoque communis est illis utraque parentela. Item Julius Papa : Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris usque in septimum generationis gradum uxorem ducere, vel incesti macula copulari : quia sicut non licet cuiquam christiano de sua consanguinitate, sic nec de consanguinitate uxoris conjugem ducere, propter carnis unitatem. Item Gregorius : De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad septimam generationem observare. Nam et hereditas rerum per legales instrumentorum definitiones sancita, usque ad septimum gradum heredum protenditur successione. Non enim eis succederent, nisi de propagine cognationis deberetur. — His auctoritatibus insinuatur, et quæ sit affinitas, et usque ad quem gradum sit observanda, scilicet usque ad septimum.

Decret. p. II, caus. 35, q. 2, c. 13. Ibid. c. 14. Ibid. c. 7. Ibid. c. 1.

B. *Variæ traditiones de affinitate.*

Sed alii videntur concedere, in quinta generatione inter affines contrahi conjugium, et in quarta etiam, si contractum fuerit, non separari. Ait enim Fabianus Papa : De propinquis qui ad affinitatem per virum et uxorem veniunt, defuncta uxore vel viro, in quinta generatione jungantur; in quarta si inventi fuerint, non separentur; in tertia vero propinquitate non licet uxorem alterius accipere post obitum ejus. Æqualiter vir jungatur in matrimonio eis quæ sibi consanguineæ sunt et uxoris suæ consanguineis post mortem uxoris. Ecce hic conceditur in quinta vel quarta propinquitate affinium fieri conjugium. Julius etiam Papa ait : Statutum est, ut relictam patris uxoris suæ, relictam fratris uxoris suæ, relictam filii uxoris suæ, nemo sibi in matrimonium sumat; relictam uxorem consanguineorum uxoris suæ usque in tertiam progeniem nemo in uxorem sumat; in quarta vero et quinta si inventi fuerint, non separentur. Ecce quam varie de affinitatis observatione loquuntur auctores. Alii enim usque ad septimum gradum eam observari sanciunt; alii vero in quinto vel quarto matrimonia contracta non dividunt. Sed illi veritatis rigorem, isti misericordiæ dispensationem videntur proponere. Potest enim Ecclesia dispensare in copula affinium usque ad tertium gradum, sicut Gregorius dispensavit in quarto gradu consanguinitatis.

Ibid. c. 3. Ibid. c. 12.

Illud autem * non est prætereundum quod Gregorius Venerio episcopo scripsit : Sedem apostolicam consulere decrevisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro conjuncta, cognationi ejus pertineat; si eo defuncto cognatio maneat, vel si sub alio viro cognationis vocabula dissolvantur; vel si susceptæ soboles possint legitime ad

* etiam Hugo, de Sacram. lib. II, p. XI, c. 14. Decret. loc. cit. q. 10, c. 1.

prioris viri cognationis transire copulam. Si una caro fuerit, quomodo aliquis eorum potest propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri? Hoc minime posse fieri credendum est. Porro uno defuncto, in superstite affinitas non deletur, nec alia copula conjugalis affinitatem copulæ prioris solvere valet; sed nec alterius conjunctionis soboles placet ad affinitatis prioris viri consortium transire. Si quis ergo sacrilego et temerario ausu in defuncto quærit propinquitatem exstinguere, vel sub altero affinitatis vocabulo dissipare, vel si susceptas soboles alterius copulæ propinquitati prioris credit legitime sociari; hic negat Dei verbum validum esse quod dixit : Erunt *Gen.* II, 24. duo in carne una. — Ecce hic prohibet, si mortuo primo viro uxor ejus alteri nupserit, filios de secundo viro genitos ducere uxores de cognatione prioris viri : quia filii mediante matre ad cognationem prioris viri pertinent, cum quo mater eorum una caro exstiterat. Hoc idem etiam Innocentius Papa ait : Si qua mulier ad Decret. p. II, caus. 35, q. 10, c. 3. secundas nuptias transierit, et ex eis sobolem genuerit, nullatenus potest ad consortium cognationis prioris viri pertingere. Hoc autem observandum est usque ad septimum generationis gradum, sed maxime usque ad tertium et quartum, sicut supra positum est.

C. *Si conjugium sit inter eos qui nota consanguinitate dividuntur.*

Et est sciendum, quod Ecclesia infra prædictos gradus consanguinitatis conjunctos separat. Si autem ignoranter conjuncti fuerint in conspectu Ecclesiæ, et postmodum probata consanguinitate, ejusdem judicio separati; quæritur, utrum copula illa conjugium fuerit. Quibusdam videtur non fuisse conjugium, quia non erant legitimæ personæ; sed tamen de crimine excusantur per ignorantiam, et quasi conjugium reputatur, quia bona fide et per manum Ecclesiæ convenerunt : unde et filii eorum legitimi habentur. Alii vero dicunt fuisse conjugium, licet non essent legitimæ personæ : quia talium conjunctiones vocant canones conjugia, ubi de personis agitur quarum testimonio consanguineorum sit dirimenda conjunctio. Unde Urbanus Papa : Si duo viri vel tres consanguinitatem jurejurando firmaverint, vel Ibid. q. 6, c. 4. ipsi forte confessi fuerint, conjugia dissolvantur. Si vero neutrum contigerit, episcopi eos per fidem Christi obtestentur, quatenus palam fateantur, si se recognoscant consanguineos. Si se judicio episcoporum segregaverint, alia matrimonia non prohibeantur contrahere. Idem : Notificamus tibi, ut quum tres vel duo ex propin- Ibid. c. 3. quioribus ejus qui accusatur, hanc propinquitatem juramento firmaverint, vel si duo vel tres ex antiquioribus Januensibus, quibus hæc propinquitas est nota, qui bonæ famæ et veracis testimonii sint, remoto amore, timore, pretio, et omni malo studio, prædicta firmaverint, sine mora conjugia dissolvantur. Consanguineos vero, extra- Ibid. c. I. neorum nullus accuset, vel consanguinitatem in Synodo computet, sed propinqui ad quorum notitiam pertinet. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus et veracioribus, quibus propinquitas tota nota sit, episcopus canonice perquirat; et

si inventa fuerit, separentur. — Ecce quibus accusantibus vel testificantibus dirimenda sit consanguineorum conjunctio quæ conjugium vocatur.

D. *Distinctio utilis, quid sit fornicatio, etc.*

Hic dicendum est, quod aliud est fornicatio, aliud stuprum, aliud adulterium, aliud incestus, aliud raptus. Fornicatio licet sit genus omnis illiciti coitus qui fit extra uxorem, tamen specialiter intelligitur in usu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum. Stuprum proprie est virginum illicita defloratio. Adulterium est alieni tori violatio : unde adulterium dicitur quasi alterius tori accessio. Incestus est consanguinearum vel affinium abusus : unde incestuosi dicuntur qui consanguineis vel affinibus suis abutuntur. Raptus admittitur, quum puella violenter a domo patris educitur, ut corrupta in uxorem habeatur. Sive puellæ sive parentibus vis illata constiterit, hic morte mulctatur; sed si ad Ecclesiam cum rapta confugerit, privilegio Ecclesiæ mortis impunitatem meretur. — Attendendum est etiam illud Alexandri, qui ait : Quod frater sororve uxoris tuæ cognati dicuntur, æquivocationis jure fit, et necessitate vulgaris appellationis, potius quam ulla cognationis causa. Uxor enim fratris fratrissa potius quam cognata vocatur. Mariti frater levir dicitur. Duorum fratrum uxores janitrices vocantur, quasi eamdem januam intrantes. Viri soror glos appellatur. Sororis autem vir non habet nomen speciale, nec uxoris frater.

Gratian. in caus. 36, q. 1, c. 2.

Decret. p. II, caus. 35, q. 5, c. 5.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ PRIMÆ

PRÆCEDENTI distinctione tractatum est de matrimonii impedimento ex consanguinitate proveniente; nunc de impedimento quod ex affinitate causatur, fit mentio: cur et qualiter, et usque quem gradum sit impeditivum conjugii. Et horum occasione tractat de speciebus incontinentiæ.

QUÆSTIO UNICA

QUæritur, **Quid sit affinitas, unde causetur, cur et qualiter matrimonialem contractum impediat.**

Circa hæc multi multa conscribunt. Verum, quoniam omnium scripta pro maxima parte in scriptis Thomæ continentur, brevitati studens, illa inducam.

A Itaque circa hæc primo quærit, utrum ex matrimonio consanguinei causetur affinitas; secundo, an post mortem viri perseveret affinitas inter uxorem et consanguineos viri; tertio, an concubitus illicitus causet affinitatem; quarto, utrum ex sponsalibus inducatur affinitas; quinto, an una affinitas pariat aliam.

Ad primum respondet : Naturalis amicitia in naturali communicatione fundatur. Naturalis vero communicatio duobus modis contingit, secundum Philosophum
B octavo Ethicorum : primo, per carnis propagationem ; secundo, per conjunctionem ordinatam ad illam. Hinc sicut persona conjuncta alteri per carnis propagationem, efficit vinculum quoddam amicitiæ naturalis, ita si per carnalem copulam conjungatur. Verum in hoc differt, quod persona conjuncta alteri per carnis propagationem, ut filius patri, fit socius ejusdem radicis ac sanguinis : unde eodem genere vinculi colligatur filius consanguineis patris, quo

pater conjungebatur, puta consanguinitate naturæ; quamvis secundum alium gradum, propter majorem distantiam a radice. Persona vero conjuncta per copulam carnalem, non fit particeps ejusdem radicis, sed quasi ab extrinseco adjuncta : idcirco ex hoc fit aliud vinculi genus, quod affinitas nominatur.

Si autem objiciatur, quia relationes ex aliquibus mutationibus innascuntur; sed nulla mutatio fit in consanguineis viri per hoc quod ipse ducit uxorem : ergo non accrescit eis affinitatis relatio. Dicendum, quod relatio interdum innascitur ex motu utriusque extremi, sicut paternitas et filiatio; et talis relatio realiter est in utroque extremo. Quandoque vero innascitur ex motu alterius tantum : quod contingit dupliciter. Primo, quando relatio innascitur ex motu unius sine motu alterius præcedente vel concomitante : sicut in creatura et Creatore, et in sensibili ac sensu; tuncque relatio est in uno secundum rem, et in alio secundum rationem tantum. Secundo, quando innascitur ex motu unius sine motu alterius tunc exsistente, non tamen sine motu præcedente : sicut æqualitas fit inter duos homines ex augmento unius sine hoc quod alius tunc augeatur aut minuatur; prius tamen per motum pervenit ad hanc quantitatem : hinc in utroque extremorum est talis relatio. Sic quoque est de consanguinitate et affinitate, quia fraternitas quæ innascitur alicui puero jam nato et provecto, causatur in eo sine motu ipsius tunc exsistente, sed ex motu generationis ejus præcedente : hoc quippe accidit ei, quod ex motu alterius nunc ei innascitur relatio. Similiter ex hoc quod iste descendit per propriam generationem ab eadem radice cum viro, provenit in ipso affinitas ad uxorem illius sine nova mutatione ipsius.

Ad secundum respondet, quod relatio desinit esse dupliciter. Primo, ex corruptione subjecti. Secundo, ex subtractione suæ causæ : quemadmodum similitudo desinit esse, dum alter similium moritur,

A aut quantitas ejus corrumpitur. Quædam quoque relationes habent pro causa actionem vel passionem aut motum : quarum quædam causantur ex motu, in quantum aliquid actu movetur, sicut relatio moventis et moti; quædam autem in quantum aptitudinem habent ad motum, ut motum ad mobile; quædam ex hoc quod aliquid prius motum est : sicut pater et filius, non ex hoc quod est generari nunc, dicuntur ad invicem, sed ex hoc quod est generatum esse. Aptitudo autem ad mo-

B tum et ipsum moveri, transeunt; sed motum esse, perpetuum est : ideo paternitas et filiatio nunquam desinunt per causæ subtractionem, sed solum per corruptionem subjecti, vel alterius extremorum. Et ita est de affinitate quæ causatur ex hoc quod aliqui conjuncti sunt, non ex hoc quod conjunguntur. Consanguinitas quoque non est proxima causa affinitatis, sed conjunctio ad consanguineum, et non solum quæ est, sed et quæ fuit.

Ad tertium respondendum, quod secun-

C dum Philosophum octavo Ethicorum, conjunctio viri et mulieris dicitur naturalis, principaliter propter prolis procreationem, et secundario propter operum communicationem : quorum primum ad matrimonium spectat ratione carnalis copulæ; secundum, in quantum est quædam societas in vitam communem. Primum horum communiter est in omni commixtione, quamvis desit secundum. Quumque matrimonium affinitatem causet, secundum quod in eo est carnis commixtio, etiam forni-

D carius concubitus causat affinitatem, in quantum aliquid habet de naturali conjunctione. Causat, inquam, affinitatem, non in quantum fornicarius, inordinatus et inhonestus, sed in quantum est actus naturalis potentiæ, communicans in hoc cum legitimo coitu. Idcirco affinitas ex ipsa causata, honesta est. Porro concubitus contra naturam non habet seminum commixtionem ex qua possit sequi generatio : ideo affinitatem non causat.

Sed objici potest, quia ubi est consan-

guinitas, non potest esse affinitas, quum affinitas sit proximitas personarum ex carnali proveniens copula, carens parentela. Si autem illicitus concubitus causaret affinitatem, contingeret ad consanguineos et ad se ipsum esse affinitatem : ut dum homo consanguineam suam cognoscit. Et respondendum, non esse inconveniens relationes oppositas inesse eidem, respectu ac ratione diversorum : sicque inter easdem personas possibile est esse consanguinitatem et affinitatem non solum per illicitum sed et per licitum concubitum : ut dum consanguineus meus ex parte patris mei ducit in uxorem consanguineam meam ex parte matris meæ. Unde quod affinitas dicitur carere omni parentela, verum est in quantum hujusmodi. Nec tamen consanguineam suam cognoscens, fit sibi ipsi affinis : quia affinitas, sicut et consanguinitas, diversitatem requirit subjectorum, quemadmodum similitudo.

Ad quartum dicendum, quod sicut sponsalia non sortiuntur perfectam matrimonii rationem, sed sunt præparatio quædam ad illud ; ita nec causant affinitatem, sed aliquid simile, quod vocatur publicæ honestatis justitia, quæ impedit matrimonium sicut consanguinitas atque affinitas, et secundum eosdem gradus, sicque definitur : Publicæ honestatis justitia est propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter ejus honestatem. Et ita sponsalia non ratione sui, sed matrimonii ad quod ordinantur, hanc causant affinitatem : ideo sicut matrimonium est perpetuum vinculum, ita est et ista affinitas. — Denique vir et mulier in carnali copula efficiuntur una caro per commixtionem seminum : ideo si quis claustrum pudoris invadat et frangat, nisi seminum sequatur commixtio, non contrahitur affinitas. Matrimonium autem causat affinitatem, non solum ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione conjugalis societatis. Idcirco affinitas contrahitur ex contractu matrimonii per verba de præsenti ante carnalem copulam ; similiter est A in sponsalibus, in quibus fit quædam pactio conjugalis societatis. Quæ autem impediunt sponsalia, impediunt affinitatem causari ex eis.

Ad quintum dicendum, quod duplex est modus processionis unius ex alio. Unus in similitudinem speciei, ut homo generatur ex homine ; alius in dissimile specie : et iste modus semper est in speciem inferiorem, ut patet in omni agente æquivoco. Primus quoque modus processionis quotiescumque iteretur, semper terminatur B in idem specie : ut dum ex homine genito generatur alius homo, et ita deinceps. Secundus vero modus quotiescumque iteretur, semper aliam speciem causat : sicut ex puncto per motum procedit non punctus, sed linea, atque ex linea linealiter mota procedit superficies, non linea, et ex superficie corpus. In processu autem attinentiæ duo sunt modi quibus vinculum tale causatur : unus per carnis propagationem, qui semper facit eamdem attinentiæ speciem ; alius per matrimonialem conjun- C ctionem : et hic facit aliam attinentiæ speciem, puta affinitatem. Hinc si iste modus procedendi iteretur, non erit affinitas, sed aliud attinentiæ genus. Idcirco persona quæ matrimonialiter affini conjungitur, non est affinis ; vel est aliud genus affinitatis, quod vocatur secundum genus. Et rursus, si affini in secundo genere aliquis matrimonialiter conjungatur, non erit affinis in secundo genere, sed in tertio. Et hæc duo genera olim erant prohibita, propter publicæ honestatis justitiam magis D quam propter affinitatem, quia a vera affinitate deficiunt. Nunc autem prohibitio illa cessavit, et solum primum veræ affinitatis genus manet prohibitum. Itaque alicui viro consanguineus suæ uxoris efficitur affinis in genere primo, et uxor ejus in secundo. Unde mortuo viro, ille qui erat affinis, non poterat eam ducere in uxorem, propter genus affinitatis secundum. Similiter si quis cum vidua contrahat, consanguineus prioris viri, qui est affinis uxori in primo genere, efficitur affinis secundo

viro in secundo genere; et uxor illius consanguinei, qui est affinis uxori hujusmodi viri in secundo genere, efficitur affinis viro secundo in tertio genere. Et quoniam tertium genus fuit prohibitum propter honestatem quamdam magis quam propter affinitatem, ideo Canon dicit : Duas consanguineorum uxores uni viro successive nubere, contradicit publicæ honestatis justitia. Sed nunc prohibitio illa cessavit. — Hæc Thomas in Scripto, quæ plenius continentur ac requirantur in illo.

Qui consequenter sciscitatur, utrum affinitas impediat matrimonium. Respondet : Affinitas præcedens matrimonium impedit contrahendum dirimitque contractum, eadem ratione qua consanguinitas. Quemadmodum enim consanguineis, ita affinibus adest quædam cohabitandi necessitas; et sicut est quoddam amicitiæ vinculum inter consanguineos, ita et inter affines. Si *Cf.* p. 151 B. autem matrimonio superveniat, non potest ipsum dirimere, ut dictum est. Itaque impedit contrahendum, in quantum impediret amicitiæ multiplicationem et concupiscentiæ repressionem.

Quæritur quoque, an affinitas per se ipsam habeat gradus. Dicendum, quod res non dividitur divisione per se, nisi ratione illius quod competit sibi secundum genus suum, sicut animal per rationale et irrationale, non per album et nigrum. Propagatio autem carnis comparatur per se ad consanguinitatem, quoniam vinculum consanguinitatis ex ea immediate contrahitur; ad affinitatem vero non comparatur nisi mediante consanguinitate, quæ est causa ipsius. Unde quum gradus attinentiæ per propagationem carnis distinguantur graduum distinctione, ideo immediate et per se conveniunt consanguinitati, et per eam affinitati : idcirco affinitas non habet per se gradus, sed sumptos juxta gradus consanguinitatis. — Ex quibus patet responsio quæstioni qua quæritur, utrum gradus affinitatis extendantur sicut gradus consanguinitatis. Dicendum enim quod imo, quoniam gradus affinitatis sumuntur A juxta gradus consanguinitatis : ideo tot sunt gradus affinitatis quot consanguinitatis. Verumtamen, quum vinculum affinitatis minus atque debilius sit vinculo consanguinitatis, idcirco facilius dispensatur in ipso.

Insuper quæritur, an filii nati extra verum matrimonium, illegitimi sint vocandi. Dicendum, quod quadruplex est status filiorum. Quidam enim sunt naturales et legitimi, ut ex vero matrimonio nati. Quidam naturales et illegitimi, ut ex simplici fornicatione progeniti. Quidam legitimi et B non naturales, ut filii adoptivi. Quidam nec legitimi nec naturales, ut spurii nati de adulterio aut de stupro : tales enim nascuntur contra legem positivam, et expresse contra legem naturæ. Porro qui bona fide conveniunt in facie Ecclesiæ, quamvis habeant impedimentum, non tamen peccant, dummodo illud ignorent, nisi sit ignorantia affectata; nec eorum filii sunt illegitimi. Si autem sciant, quamvis ferat Ecclesia, quæ ignorat impedimentum, non excusantur a peccato, nec filii C eorum ab illegitimitate. Si autem nesciant, et in occulto contrahant, non excusantur : quoniam talis ignorantia affectata videtur.

Præterea quæritur, an filii illegitimi debeant ex sua illegitimitate damnum incurrere. Respondendum, quod aliquis dicitur damnum ex alio incurrere dupliciter. Primo per hoc quod ei subtrahitur aliquid quod sibi debitum fuit : sicque illegitimus filius damnum non incurrit. Secundo per hoc quod aliquid ei non est debitum, quod poterat ei alias debitum esse : sicque ille- D gitimus filius duplex damnum incurrit. Unum, quoniam non admittitur ad actus legitimos, utpote ad officia ac dignitates quæ honestatem quamdam requirunt in exercentibus ea. Secundum, quoniam non succedit in hereditate. Attamen naturales filii succedere possunt in sexta parte tantum; spurii in nulla parte, quamvis parentes jure naturali teneantur eis de necessariis providere : imo ad sollicitudinem episcopi pertinet compellere parentes ad hoc quod illis provideant.

Insuper quæritur, utrum filius illegitimus possit legitimari. Et dicendum quod imo : non sic quod fiat de legitimo coitu natus, sed quia damna quæ illegitimus incurrit, auctoritate legis tolluntur ab eo. Suntque sex modi legitimandi, quorum duo sunt secundum canones. Primus, quum quis ducit in uxorem illam ex qua illegitimum procreavit, si non fuit adulterium. Secundus, per indulgentiam et dispensationem domini Papæ. Alii quatuor modi sunt secundum leges. Primus est, dum pater filium naturalem curiæ imperatoris offert : nempe hoc ipso legitimatur propter curiæ honestatem. Secundus est, si pater in testamento nominet eum heredem legitimum, et filius postea testamentum offerat imperatori. Tertius, si nullus sit filius legitimus, et ipsemet filius se ipsum offerat principi. Quartus, si in publico instrumento, vel cum trium testium subscriptione, eum nominet *legitimum,* nec adjiciat *naturalem.*

Quæritur consequenter, utrum matrimonium inter consanguineos aut affines contractum, sit per divortium dirimendum ; et hoc, per accusationem et testium inductionem. Respondendum, quod omnis concubitus extra legitimum matrimonium est mortale peccatum, quod Ecclesia omni modo impedire conatur : ideo separat eos inter quos constat non esse matrimonium verum, potissime eos qui sine incestu se invicem non valent cognoscere, ut sunt personæ mutuo consanguineæ seu affines.

Verum his objici potest, quia præscriptione temporis acquiritur jus in re non sua : ergo et longitudine temporis in uxore non sua. — Item sequeretur, quod matrimonium duorum fratrum sorores duas habentium esset dirimendum.

Et respondendum ad primum, quod illa quæ sine peccato fieri nequeunt, nulla præscriptione firmantur : quia (ut Innocentius loquitur) diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget. — Ad secundum, quod res inter alios acta non præjudicat aliis in foro contentioso. Ideo, quam-

A vis unus frater repellatur a matrimonio unius sororum ex causa consanguinitatis, non ob hoc separat Ecclesia aliud matrimonium quod non accusatur. Sed in foro conscientiæ non oportet quod semper obligetur ad hoc alius frater, quia hujusmodi accusationes frequenter ex malevolentia oriuntur, atque per falsos testes probantur. Hinc non oportet quod conscientiam suam informet ex his quæ contra aliud matrimonium facta sunt. Attamen, circa hoc distinguendum videtur : quia aut ha-
B bet certam scientiam de impedimento matrimonii sui, aut opinionem, aut neutrum. Si primo modo, non debet debitum reddere neque exigere ; si secundo modo, debet reddere, non exigere ; si tertio modo, potest reddere atque exigere.

Præterea separatio prætacta per viam accusationis est facienda. Accusatio namque ad hoc est instituta, ne reus sustineatur ut innocens. Quemadmodum autem ex ignorantia facti contingit reum reputari innoxium, ita ex ignorantia circumstantiæ
C alicujus accidere potest quod aliquid reputatur licitum quod est illicitum : ideo sicut homo aliquando accusatur, ita et factum ejus ; et sic matrimonium accusatur, quando ex ignorantia impedimenti licitum existimatur quod illicitum est. Nec ad hoc exigitur obligatio ad pœnam talionis : quoniam obligatio illa locum sortitur quando persona de crimine accusatur, quia tunc agitur ad punitionem ipsius ; quando vero factum accusatur, tunc non agitur ad punitionem facientis, sed ad impediendum
D illicita. Et potest accusatio hæc fieri verbo ac scripto, ita quod exprimatur persona accusans matrimonium, et impedimentum propter quod accusatur. — Denique sicut in textu habetur, in accusatione propinquitatis audiuntur propinqui magis quam alii. Extranei namque non sciunt propinquitatem nisi per consanguineos, de quibus probabilius est quod sciant : idcirco dum tacent, habetur suspicio contra extraneos quod ex malitia moveantur, nisi per consanguineos velint probare. Dum

autem matrimonium nondum contractum est, sed tantum sponsalia, accusari non potest : quia quod nondum est, non valet accusari ; sed impedimentum potest denuntiari, ne matrimonium contrahatur. Qui autem primo tacuit, quandoque postea auditur, si velit matrimonium accusare, quandoque repellitur. Nam ut in Decretali habetur, si tempore denuntiationis præmissæ extra diœcesim fuit, vel alias denuntiatio ad ejus non potuit notitiam pervenire, ut si præ nimia infirmitate patiebatur mentis defectum, aut nondum adultæ fuit ætatis, aut alia causa legitima impeditus, accusatio ejus debet audiri. Alioqui tanquam suspectus est repellendus, nisi juramento firmaverit quod postea didicit ea quæ objicit, et ex malitia non procedat.

Decretal. lib. IV, tit. 18, c. 6.

Præterea in hac causa oportet etiam per testes patefacere veritatem, quia (ut dicunt juristæ) in hac causa multa specialia inveniuntur : ut quod idem potest esse accusator et testis ; et quod non juratur de calumnia, quum sit quasi causa spiritualis ; et quod consanguinei admittuntur ad testificandum ; et quod non observatur omnino ordo judiciarius, quoniam tali denuntiatione facta, contumax potest excommunicari, lite non contestata ; et quod valet hic testimonium ex auditu ; et quod post publicationem testium testes possunt induci. Et hoc totum est, ut impediatur peccatum quod in illicito consistit conjugio. — Hæc Thomas in Scripto. Qui etiam scribit hic de speciebus luxuriæ, de qua materia tractatum est ante, et satis communia sunt quæ scribit.

Cf. p. 151 A et s.

In his continentur scripta Alberti, Petri et Richardi de ista materia. Quibus addit Richardus : Quamvis contra jus naturale et divinum nulla possit valere præscriptio, quandoque tamen valet contra jus pure positivum, nisi sit tale de quo cavetur in jure, quod contra ipsum præscribi non possit. Ad hoc quoque quod præscriptio sit valida, tria sunt necessaria. Unum est, quod possessor justo titulo incipiat possidere. Secundum, quod bonæ fidei sit possessor, hoc est, quod credat juste se possidere. Tertium, quod possideat per totum tempus determinatum a jure sine interruptione. Verum tempus illud determinatur longius aut brevius secundum conditiones rerum quæ possidentur, et illorum contra quos præscribitur. — Aliqui etiam dicunt, quod contra jus solvendi decimas nulla valet præscriptio, quia jus illud non solum est de jure positivo, sed item divino. Nihilo minus aliqui opinantur, quod quamvis non valeat præscriptio contra jus solvendi decimas, secundum quod decima sumitur pro parte necessaria ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, quia sic est de jure divino ac naturali apud omnes ; tamen secundum quod decima accipitur pro tali parte determinata, potest præscribi contra jus decimas persolvendi : quia sic decimas solvere non est de jure naturali nec divino, nisi quoad filios Israel. Et est argumentum ad hoc, quod in majori parte Italiæ decimæ non solvuntur, nec Ecclesia procedit contra eos compellendo ut solvant. Hæc Richardus.

Bonaventura quoque diffuse scribit de his, quæ in dictis Thomæ contenta sunt, quamvis ex scriptis unius scripta alterius clarius intelligantur : Differunt, inquit, vinculum affinitatis et consanguinitatis, quoniam vinculum affinitatis est vinculum per accidens, et vinculum consanguinitatis est vinculum per se. Quumque omne per accidens reducatur ad aliquid per se : hinc affinitas necessario præsupponit consanguinitatem, nec se potest ultra consanguinitatem diffundere. Unde consanguinei uxoris Petri ita sunt affines Petro usque ad quartum gradum, sicut per consanguinitatem alligantur ejus uxori.

DISTINCTIO XLII

A. *De spirituali cognatione.*

Hugo. de Sacram. lib. II, p. XI, c. 17.

* quædam

DE parentalium graduum famosa quæstione aliquid, licet minus sufficienter, diximus. Jam de spirituali cognatione addamus, quæ etiam personas impedit ut non sint legitimæ ad ineundas nuptias. Tria quidem* sunt, consanguinitas, affinitas, et spiritualis germanitas. Consanguinitas est inter eos qui junguntur secundum lineam generis. Affinitas inter eos qui genere quidem non sunt conjuncti, sed mediante genere sunt sociati : verbi gratia, uxor filii fratris mei quæ non est de genere meo, per ipsum qui est de genere meo, mihi affinis facta est, et ego illi.

Id. Summa Sent. tract. VII, c. 12.

Spiritualis proximitas est inter compatrem et commatrem, et inter eos quorum unus alterum de sacro fonte levavit, vel in catechizatione aut confirmatione tenuit. Est etiam inter filios ejusdem hominis carnales et spirituales.

B. *Quid sint filii spirituales.*

Ibidem.

Spirituales filii sunt quos de sacro fonte levamus, vel in catechizatione seu confirmatione tenemus. Filii etiam et filiæ spirituales eorum sunt, qui trinæ mersionis vocabulo eos sacro Baptismate tingunt. Dicitur etiam spiritualis filia sacerdotis, quæ ei peccata sua confitetur.

Decret. p. II, caus. 30, q. 1, c. 8.

Unde Symmachus Papa : Omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri spirituales sunt filii, ut et ipsi quos vel nobis suscipientibus, vel sub trinæ mersionis vocabulo mergentibus, unda Baptismi regeneravit. Sylvester

Ibidem.

etiam admonet, ut ad suam filiam pœnitentialem nullus sacerdos accedat, quia scriptum est : Omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri filii sunt, ut in Baptismo suscepti; quorum omnium flagitiosa est commixtio. Quod autem compater et commater sibi jungi nequeant, nec pater spiritualis nec mater filiæ vel filio spirituali,

Ibid. c. 5.

ex concilio Moguntinensi docetur : De eo quod interrogasti, si aliquis filiolam suam duxerit uxorem, et de eo qui concubuit cum matre spirituali, et de eo qui filium suum baptizavit, et uxor ejus eum de fonte suscepit hac causa ut dissidium fieret conjugii, si post in tali copula possunt permanere, sic respondendum est : Si filiolam aut commatrem suam aliquis in conjugium duxerit, separandos esse judicamus, et gravi pœnitentia plectendos. Si vero conjuges legitimi, vel unus, vel ambo, ex industria hoc fecerint, ut filium suum de fonte susceperint; si innupti manere voluerint, bonum est; sin autem, gravis pœnitentia insidiatori injungatur, et simul maneant; et si prævaricator conjugii supervixerit, acerrima pœnitentia mulctetur, et sine spe conjugii maneat. — Ex his apparet, quod aliquis filiolam suam vel commatrem non potest sibi copulare nuptialiter; et si præsumptum fuerit, separandi

sunt. Qui autem legitime conjuncti sunt, non ideo separandi sunt quia alter eorum insidiose filium de fonte levavit. Quod etiam Nicolaus confirmat, dicens : Nosse desideras, utrum mulier quæ viri filium ex alia femina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideo conjungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem, quum Apostolus præcipiat : Nolite fraudari invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, etc. Item dictum est nobis, quasdam feminas desidiose, quasdam vero fraudulenter, ut a viris suis separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde nos dignum duximus, ut si qua mulier filium suum desidia aut aliqua fraude coram episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam vel fraudem, quamdiu vivat, pœnitentiam agat; tamen a viro suo non separetur. Item Joannes Papa : Ad limina S. Petri homo nomine Stephanus veniens, nostro præsulatui innotuit, quod filium suum in extremo vitæ positum, necdum Baptismi unda lotum, absentia sacerdotum cogente, baptizavit, eumque propriis manibus suscepit, atque pro hujusmodi negotio reverentia tua præfatum hominem a sua conjuge judicavit esse separandum. Quod fieri nullatenus debet, dicente Scriptura : Quod Deus conjunxit, homo non separet. Et Dominus non dimittere uxorem, nisi causa fornicationis, jubet. Et nos tanta auctoritate freti, dicimus dimittendum esse et inculpabile judicandum quod necessitas intulit : nam baptizandi opus laicis fidelibus, si tamen necesse fuerit, libere conceditur. Unde si supradictus homo filium morientem adspiciens, ne animam perpetuo perire dimitteret, unda Baptismi lavit, ut eum de potestate mortis eriperet, bene fecisse laudatur. Ideoque suæ uxori sibi jam olim legitime sociatæ, impune, dum vixerit, judicamus manere conjunctum, nec ob hoc separari debere. — His aliisque pluribus auctoritatibus edocetur, conjuges non esse separandos, si post legitimam copulam alter alterius filium de fonte levaverit, vel in Confirmatione tenuerit.

Decret. p. II, caus. 30, q. 1, c. 3.
I *Cor.* VII, 5.
Decret. loc. cit. c. 4.
Ibid. c. 7.
Matth. XIX, 6.
Ibid. 9.

C. *Quid præmissis obviat.*

His autem obviare videtur quod Deusdedit Papa ait : Pervenit ad nos diaconus, sanctitatis vestræ epistolam deferens, quod quidam viri et mulieres præterito sabbato paschali, pro magno populi incursu, nescientes filios suos suscepissent de lavacro. Cupis ergo scire, an propter hoc debeant viri ac mulieres ad proprium usum tori redire, vel non. Nos vero hac re mœsti, priorum inquisivimus dicta, et invenimus in archivis (id est in armariis apostolicæ Sedis) jam talia contigisse in pluribus Ecclesiis : quarum episcopis ab hac apostolica Sede volentibus scire, utrum viri ac mulieres redirent ad proprium torum, beatæ memoriæ sancti patres Julius Papa, Innocentius et Cœlestinus, cum episcoporum plurimorum consensu in Apostolorum principis Ecclesia præsidentes, talia rescripserunt et confirmaverunt, ut nullo modo se in conjugio reciperent viri ac mulieres, quicumque hac ratione susceperunt natos,

Decret. loc. cit. c. 1.

Decret p. II, caus. 30, q. 1, c. 2. sed separarent se, ne suadente diabolo tale vitium invalescat. Item : Si quis filiastrum vel filiastram suam ante episcopum tenuerit ad Confirmationem, separetur ab uxore sua, et aliam nunquam accipiat. — Hæc autem vel ad terrorem dicta sunt, non quod ita esset faciendum, sed ne illud fieret summopere cavendum ; vel de illis est intelligendum qui prius filios suos vicissim de fonte susceperunt, quam fierent Gratian. in caus. 30, c. 10. conjuges. Præmissis autem auctoritatibus omnino consentiendum est, ut sive proprium, sive tantum viri filium mulier de fonte susceperit, non ideo a viro separetur : quod et de viro similiter oportet intelligi.

D. *De copula spiritualium vel adoptivorum et naturalium filiorum.*

Quod autem spirituales vel adoptivi filii naturalibus copulari nequeant, Nicolaus Decret. loc. cit. q. 3, c. 1. Papa testatur, ita inquiens : Ita diligere debet homo eum qui se suscepit de sacro fonte, sicut patrem. Inter fratres et filios spirituales gratuita et sancta communio est, quæ dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos arbitror non posse fieri legale conjugium, quia nec inter eos qui natura et eos qui adoptione filii sunt, venerandæ leges matrimonia contrahi permittunt. Ibidem. Item : Si inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio jungit : quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste sacramentum regeneratio Sancti Spiritus vincit?

E. *Si filii qui ante compaternitatem vel post nati sunt, valent conjungi.*

Hoc autem quidam volunt intelligere de illis tantum filiis quibus compatres facti sunt ; de aliis vero, qui ante compaternitatem vel post geniti sunt, concedunt quod legitime et licite jungi possunt. Quibus videtur consentire Urbanus II, dicens : Ibid. c. 4. Super quibus consulit nos tua dilectio, hoc videtur respondendum, ut et Baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit, et quod spiritualium parentum filii vel filiæ ante vel post compaternitatem genitæ, possunt legitime conjungi, præter illam personam qua compatres effecti sunt.

F. *Paschalis Papa.*

Paschalis vero secundus post compaternitatem genitos copulari prohibet, scribens Ibid. c. 5. Rhegino episcopo : Post susceptum filium de fonte, vel filiam spiritualem, qui ex compatre vel ex commatre fuerint nati, matrimonio jungi non possunt. — Illud Ibid. c. 7. etiam notandum est quod in Tiburiensi concilio legitur : Si quis suæ spiritualis commatris filiam fortuito, et ita contingente rerum casu, in conjugium duxerit, maturiori servato consilio habeat, atque legitimo connubio honeste operam det.

G. *Si quis ducere possit duas commatres, unam post alteram.*

Solet etiam quæri, si commatrem uxoris post ejus obitum quis ducere valeat. De hoc Nicolaus Papa sic scribit : Sciscitatur a nobis sanctitas vestra, si quis duas commatres habere valeat, unam post alteram. In quo meminisse debes scriptum esse : Erunt duo in carne una. Quum ergo constet, quod vir et mulier una caro efficiuntur, restat virum compatrem constitui mulieri cujus assumpta uxor commater erat; et ideo virum illi feminæ non posse conjungi, quæ commater ejus erat cum qua idem fuerat una caro effectus. — Huic autem illud contrarium videtur : Qui spiritualem habet compatrem, cujus filium de lavacro susceperit, et uxor ejus commater non est, licet ei defuncto compatre suo, ejus viduam ducere in uxorem, quos nulla generatio spiritualis secernit. Item ex epistola Paschalis Papæ : Post uxoris obitum, cum commatre uxoris conjugio copulari, nulla ratio vel auctoritas videtur prohibere. Non enim per carnis unionem ad unionem spiritus transitur. — Sed sciendum est, quod auctoritas Nicolai de illo ait qui uxori suæ debitum reddidit postquam commater illius exstitit. Aliæ vero auctoritates de illo agunt cujus uxor postquam a viro suo derelinquitur, illius commater efficitur, nec post compaternitatem a viro suo cognoscitur; vel de viro potius agunt cujus uxor ante defungitur, quam ab eo cognoscatur.

Decret. p. II, caus. 30, q. 4, c. 1.

Gen. II, 24.

Decret. loc. cit. c. 4.

Ibid. c. 5.

Gratian. in caus. 30, c. 5.

H. *Si vir et uxor possunt simul tenere puerum.*

Solet etiam quæri, si uxor cum viro simul debeat in Baptismo suscipere puerum. De hoc Urbanus ait : Quod uxor cum marito in Baptismo simul non debeat suscipere puerum, nulla auctoritate videtur vel reperitur prohibitum; sed ut ipsa puritas spiritualis paternitatis ab omni labe et infamia conservetur immunis, decrevimus, ut uterque simul ad hoc adspirare non præsumant. Quia vero piaculare flagitium commisit qui duabus commatribus vel * sororibus nupsit, magna pœnitentia debet ei injungi.

Decret. loc. cit. c. 6.

* velut

I. *De secundis et tertiis nuptiis, et deinceps.*

Sciendum est etiam, quod non solum primæ vel secundæ nuptiæ sunt licitæ, sed etiam tertiæ et quartæ non sunt damnandæ. Unde Augustinus : Secundas nuptias omnino licitas Apostolus concedit. De tertiis autem et quartis, et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Sed quis audeat definire quod nec Apostolum video definisse? Ait enim : Si dormierit vir ejus, cui vult nubat. Non dicit primus, vel secundus, vel tertius, vel quotuslibet; nec a nobis definiendum est quod non definit Apostolus. Unde ut breviter respondeam, nec illas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre, nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quoties voluerint nubant, nec ex meo corde præter

Hugo, Summa Sent. tract. VII, c. 21.

Decret. loc. cit. q. 5, c. 13.

I *Cor.* VII, 39.

Scripturæ auctoritatem quotaslibet nuptias damnare. Idem testatur Hieronymus :
Decret. p. II, caus. 30, q. 5, c. 11. Ego nunc libera voce exclamo, nec damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam; et ita licere quinto et sexto, quemadmodum secundo marito nubere. —
I Tim. III, 2, 12. Apostolus tamen bigamos a sacerdotali honore excludit. Sed hoc non facit pro vitio bigamiæ, imo pro sacramenti virtute, ut sit una unius, sicut unica unici. Illud
Decret. loc. cit. c. 8. tamen Cæsariensis concilii videtur innuere, bigamiam esse peccatum : Presbyterum, inquit, in nuptiis bigami prandere non convenit, quia quum pœnitentia bigamus indigeat, quis erit presbyter qui talibus nuptiis possit præbere consensum ? Sed hoc intelligi potest de illo qui primæ uxori insidiatus putatur desiderio secundæ; vel pro signaculo sacramenti illud dicitur, quod in bigamo non servatur. Ambrosius
Ambrosiast. in I Cor. VII, 40. etiam dicit, quod primæ nuptiæ tantum a Domino sunt institutæ, secundæ vero sunt permissæ; et primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundæ vero etiam in præsenti carent gloria.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ SECUNDÆ

IN hac ultima distinctione sacramenti Matrimonii, tractat Magister de impedimento conjugii quod veraciter vocatur spiritualis et item legalis cognatio : de qua ostendit quid sit, et inter quos et qualiter impediat matrimonialem contractum, et quas personas ab eodem impediat. Producit quoque instantiam contra prædicta, et solvit eamdem. Tangit etiam de legali cognatione et impedimento quod causat; sed et de secundis loquitur nuptiis, probando quod licitæ sint.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur, **Utrum spiritualis cognatio impediat matrimonium, et quid sit, et quæ sint causæ ipsius.**

Et videtur quod non expediat tot impedimenta matrimonii ponere, quia hoc injicit laqueum multis, præsertim quum pastores et capellani communiter simplices sint et horum ignari, et plus ipsi sæculares qui contrahunt, qui tot impedimenta non cognoscentes, frequenter cum illegitimis personis contrahunt. — Præterea caritas jam in multis in tantum refriguit, quod non multo majorem dilectionem habent ad eos ad quos habent solum spiritualem cognationem aut legalem, quam ad alias : ergo in talibus expediret dilectionem renovare, fovere, complere per matrimonia solita.

In oppositum est doctrina et praxis Ecclesiæ.

Circa hæc S. Thomas multorum scripta copiose perstringens : Quemadmodum, inquit, per carnalem propagationem homo accipit esse naturæ, ita per sacramenta Ecclesiæ accipit esse spirituale gratiæ. Hinc sicut vinculum ex carnis propagatione contractum, naturale est homini in quantum est res naturæ; sic vinculum contractum ex sacramentorum susceptione, naturale est Christiano in quantum est membrum Ecclesiæ. Ideo sicut carnalis cognatio impedit matrimonium, ita et spiritualis, ex statuto Ecclesiæ. Distinguendum tamen est de spirituali cognatione, quoniam aut præcessit matrimonium, aut sequitur. Si præcessit, impedit contrahendum, dirimitque contractum; si sequitur, non dirimit matrimonii vinculum. Sed di-

stinguendum est quoad matrimonii actum, A quia aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, ut dum pater baptizat filium suum in articulo mortis, et tunc ex neutra parte impedit matrimonii actum; aut inducitur extra casum necessitatis, ex ignorantia tamen, tuncque si is ex cujus actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio sicut de primo; aut ex industria, extra casum necessitatis, et sic ille ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum, attamen reddere debet, quia ex culpa ejus non debet alius reportare in- B commodum. Quamvis autem spiritualis cognatio non impediat aliquid de principalibus matrimonii bonis, impedit tamen aliquid de secundariis ejus bonis, utpote amicitiæ multiplicationem. Nam spiritualis cognatio per se est sufficiens amicitiæ ratio : unde oportet ut ad alios per matrimonium amicitia familiaritasque quærantur.

Amplius quæritur, an per solum Baptismum spiritualis cognatio contrahatur. Quod apparet, quoniam solus Baptismus C est regeneratio spiritualis. — Dicendum, quod de hoc est duplex opinio. Una, quod spiritualis regeneratio sicut per septiformem Spiritus Sancti gratiam datur, ita per septem efficitur, incipiendo a primo pabulo sacramenti salis usque ad Confirmationem per episcopum factam, et quod per quodlibet horum cognatio spiritualis contrahitur. Quod non videtur, quia carnalis cognatio non contrahitur nisi per actum generationis completum : unde nec affinitas acquiritur, nisi fiat commixtio semi- D num ex qua generatio sequi potest. Spiritualis vero generatio non perficitur nisi per aliquod sacramentum : ideo non videtur quod contrahatur nisi per aliquod sacramentum. — Est ergo opinio alia, quod per tria dumtaxat sacramenta contrahatur spiritualis cognatio, puta, per catechismum, Baptismum et Confirmationem : quod ex ignorantia dictum videtur, quum catechismus non sit sacramentum, sed sacramentale. — Alii igitur asserunt quod solum per duo contrahitur sacramenta, quæ sunt Confirmatio et Baptismus : quod communius sic tenetur. Unde de catechismo dicitur, quod sit debile matrimonii impedimentum, impediens contrahendum, non dirimens contractum.

Ad objectum quoque dicendum, quod duplex est carnalis nativitas. Una in utero, in qua fetus est debilis et ineptus extra exponi : cui nativitati assimilatur regeneratio per Baptismum, in qua regeneratur homo adhuc fovendus intra uterum matris Ecclesiæ. Secunda est nativitas ex utero, in qua infantulus in tantum est roboratus, quod potest corruptivis exponi : cui nativitati comparatur Confirmatio, in qua homo spiritualiter roboratus, exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi.

Verum his objici potest. Primo, quoniam ad Corinthios scribit Apostolus : Per evan- I *Cor.* IV, 15. gelium ego vos genui. Spiritualis autem generatio spiritualem causat cognationem. Ergo etiam ex prædicatione et informatione causatur. — Secundo, sicut per Baptismum tollitur peccatum originale, ita per sacramentum Pœnitentiæ seu Confessionis peccatum actuale, et per utrumque homo spiritualiter regeneratur et spirituale esse sortitur : ergo sicut per unum, ita per aliud spiritualis cognatio oritur. — Tertio, per curam et gubernationem pastoralem vocatur quis pater spiritualis : ergo per hoc quoque contrahitur spiritualis cognatio.

Et respondendum ad primum, quod conversi et instructi ab aliquo, sunt quodammodo regenerati ab illo, sicut in catechismo, non autem secundum rationem regenerationis completam. — Ad secundum, quod per sacramentum Pœnitentiæ non contrahitur proprie spiritualis cognatio : propter quod filius sacerdotis ducere potest quam pater suus in confessione audivit. Et quamvis in confessione peccatum ejus tollatur, et gratia infundatur, hoc tamen est per modum curationis magis quam generationis. Verumtamen per Pœnitentiæ sacramentum et confessionem contrahitur quoddam fœdus inter confessorem

et feminam confitentem, simile spirituali A cognationi, ut tantum peccet sacerdos carnaliter eam cognoscens, ac si esset spiritualis filia sua : et hoc ideo, quoniam inter confessorem et confitentem debet esse familiaritas maxima ; et ob hoc ista prohibitio est inducta, ut tollatur peccandi occasio. — Ad tertium, quod pater spiritualis vocatur ad similitudinem patris carnalis, qui (ut dicitur Ethicorum octavo) tria largitur filio, quæ sunt, esse, nutrimentum, instructio. Hinc pater spiritualis quis dicitur, qui dat alteri aliquid horum. Ex hoc B tamen non habet spiritualem cognationem, nisi conveniat cum patre carnali quantum ad generationem, per quam esse confertur.

Insuper quæritur, inter quos contrahatur spiritualis cognatio : an scilicet inter baptizatum et patrinum, et utrum transeat a viro in uxorem, atque ad filios carnales patris spiritualis.

Et respondendum ad primum, quod sicut in generatione carnali nascitur homo ex patre et matre, ita in regeneratione nascitur homo filius Dei sicut patris, et filius C Ecclesiæ tanquam matris. Quemadmodum Cf. t. XXIV, p. 143 B. autem conferens sacramentum gerit personam Dei, cujus instrumentum est et minister : ita suscipiens baptizatum de sacro fonte, seu tenens eum qui confirmatur, gerit personam Ecclesiæ ; ideo inter eos spiritualis cognatio contrahitur. Hinc sicut non solum pater ex cujus semine nascitur proles, habet carnalem cognationem ad illam, sed etiam mater ministrans substantiam ; sic et patrinus, qui a B. Dionysio De Eccl. hier. c. II. anadochus dicitur, qui baptizandum vice D totius Ecclesiæ offert ac suscipit, atque qui tenet confirmandum, cognationem contrahit spiritualem. — Porro non baptizatus non potest aliquem de sacro fonte levare, quum non sit membrum Ecclesiæ, cujus personam et typum gerit suscipiens in Baptismo ; quamvis valeat baptizare, quum sit creatura Dei, cujus typum gerit baptizans.

Ad secundum respondetur, quod aliquis potest fieri compater alterius dupliciter. Primo, per actum baptizantis, seu in Baptismo suscipientis filium ejus : et sic spiritualis cognatio non transit a viro in uxorem, nisi ille sit filius uxoris : quia sic spiritualis cognatio transit in uxorem directe sicut in virum. Secundo, per proprium actum, ut dum filium levat alterius : sicque cognatio spiritualis transit ad uxorem jam a se carnaliter cognitam ; non autem, si matrimonium nondum sit consummatum, quoniam nondum effecti sunt una caro. Et hoc est per modum cujusdam affinitatis. Hinc et pari ratione videtur transire ad mulierem carnaliter cognitam, quamvis non sit uxor. — Verumtamen pater spiritualis et mater spiritualis ejusdem non conjunguntur in generatione spirituali nisi per accidens, quia ad hoc unus eorum sufficeret. Idcirco inter eos non nascitur spiritualis cognatio, imo potest inter eos matrimonium esse. Hinc quoque nil prohibet quin vir et uxor ejus aliquem levent de sacro fonte ; nec inconveniens est quod uxor ex diversis causis fiat spiritualis mater ejusdem, quemadmodum diversis respectibus potest esse consanguinea et affinis ejusdem per propinquitatem carnalem.

Ad tertium respondetur, quod filius est aliquid patris, non econtrario, ut dicitur octavo Ethicorum. Ideo spiritualis cognatio transit a patre in filium, non econtra. Ex quibus patet quod tres sint spirituales cognationes. Una vocatur spiritualis paternitas, quæ est inter patrem spiritualem et filium ejus. Secunda, compaternitas, quæ est inter patrem spiritualem et carnalem ejusdem. Tertia appellatur spiritualis fraternitas, quæ est inter filium spiritualem et filios carnales ejusdem patris. Quarum quælibet impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum. — Verumtamen ista cognatio gradum non habet. Nempe persona addita per carnis propagationem, facit gradum respectu illius quæ eodem attinet genere, non autem respectu ejus quæ attinet in alio genere : sicut filius attinet in eodem gradu uxori patris in quo

et pater, quamvis alio genere attinentiæ. Quumque spiritualis cognatio sit alterius generis quam carnalis, ideo non in eodem gradu attinet filius spiritualis filio naturali patris sui spiritualis in quo attinet ei pater ejus, quo mediante transit spiritualis cognatio. Sed quum frater non sit aliquid fratris, idcirco non transit a fratre in fratrem. — Hæc Thomas in Scripto.

QUÆSTIO II

Restat nunc dicendum de cognatione legali, quæ per adoptionem contrahitur.

Quæritur ergo, **Quid sit adoptio, et utrum vinculum seu cognationem matrimonii impeditivam efficiat, et intra quas contrahatur personas.**

Est autem adoptio, extraneæ personæ in filium aut nepotem, vel deinceps, legitima assumptio. — Contra quod objicitur, adoptio ista fit in suppletionem naturalium filiorum : ergo potissime competere deberet frigidis atque spadonibus, qui nequeunt generare, quibus tamen non competit.

Hæc sunt Thomæ. In hac quæstione tria tanguntur. Ad quorum primum dicendum, quod ars imitatur naturam, et supplet ejus defectum. Hinc sicut pater filium per naturalem generationem producit, ita per jus positivum, quod est ars æqui et recti, potest unus alium assumere in filium ad similitudinem filii naturalis, et ad supplendum ejus defectum, propter quod adoptio specialiter est inducta. Quumque assumptio nominet terminum a quo, propter quod assumens non est assumptum, oportet quod qui assumitur in filium sit persona extranea. Hinc sicut generatio naturalis habet terminum ad quem, scilicet ipsam formam quæ est finis generationis, et terminum a quo, scilicet formam contrariam; ita generatio legalis habet terminum ad quem, filium aut nepotem; terminum vero a quo, personam extraneam. Sicque definitio illa comprehendit genus adoptionis, quum dicitur, Legitima assumptio; et terminum a quo, quum additur, Extraneæ personæ; terminum quoque ad quem, dum additur, In filium aut nepotem.

Quumque filiatio adoptionis sit quædam imitatio filiationis naturalis, duplex est species ejus. Una, quæ perfecte imitatur filiationem naturalem : quæ adoptio dicitur arrogatio, per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, et sic adoptatus succedit patri adoptanti ab intestato, nec potest pater sine culpa eum privare quarta parte hereditatis. Sicque adoptari non potest nisi qui sui est juris, qui videlicet postquam adoptatur, potestatem non habet, aut si habet, est emancipatus; et ista adoptio fieri nequit nisi principis auctoritate. Alia est adoptio simplex, quæ imitatur imperfecte naturalem filiationem, per quam adoptatus non transit in adoptantis potestatem : ideo potius est dispositio ad adoptionem perfectam, quam adoptio. Sicque adoptari potest etiam qui non est sui juris, et sine auctoritate principis, ex auctoritate magistratus. Sic quoque adoptatus non succedit bonis adoptantis, nec adoptans tenetur ei in suo testamento aliquid de bonis suis dimittere nisi velit. Itaque illis solum competit adoptare, qui potestatem habent disponendi de sua hereditate : unde qui non est sui juris, aut minor viginti quinque annis, aut mulier, non potest aliquem adoptare, nisi ex speciali principis concessione. — Denique, per eum qui habet perpetuum generandi impedimentum, non potest hereditas transire ad posteros; et ex hoc ipso debetur illis qui successuri sunt ei jure propinquitatis. Talibus ergo non competit adoptare. Nec etiam tantus est dolor de filiis nunquam habitis, nec haberi possibilibus, sicut de amissis : ideo habentes certum atque perpetuum impedimentum generandi, non indigent solatio contra carentiam filiorum, sicut qui habuerunt et amiserunt, vel habere potuerunt. — Quumque propinquo

jure propinquitatis competat in hereditate succedere, non convenit ei hoc per adoptionem. Et si aliquis propinquus cui non competit in hereditate succedere, adoptetur, non adoptatur ut propinquus, sed in quantum extraneus.

Ad secundum dicendum, quod lex divina illas personas præsertim a matrimonio mutuo exclusit, quæ magis solent cohabitare. Et quoniam filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibetur inter tales matrimonium contrahi : quæ prohibitio est per Ecclesiam confirmata. Hinc legalis cognatio matrimonium impedit.

Ad tertium respondetur, quod triplex est legalis cognatio. Una quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem et filium adoptatum, et filium filii adoptivi, et nepotem, sicque deinceps. Secunda, quæ est inter filium adoptivum et filium naturalem. Tertia est per modum cujusdam affinitatis, quæ est inter patrem adoptantem et uxorem filii adoptati, vel econtrario inter filium etiam adoptatum atque uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio et tertia matrimonium perpetuo impediunt; secunda, quamdiu quis manet in potestate patris adoptantis : propter quod mortuo patre vel filio emancipato, potest inter eos matrimonium contrahi. — Denique per generationem spiritualem non trahitur filius extra potestatem patris carnalis, sicut per adoptionem : ideo filius spiritualis remanet simul filius utriusque, non autem filius adoptivus ; ideo non contrahitur propinquitas aliqua inter patrem adoptantem et naturales parentes, sicut in cognatione spirituali. — Quumque legalis cognatio impediat matrimonium propter cohabitationem, potest solvi vinculum impedimenti istius, dum adoptati fiunt extra potestatem adoptantis, nec manent cum naturalibus filiabus ipsius. Pater vero adoptans ejusque uxor retinent semper quamdam auctoritatem super filium adoptatum et ejus uxorem : hinc vinculum permanet super eos. Quidquid vero est in potestate filii adoptati, transit in potestatem adoptantis : ideo patre adoptato, adoptantur filii ac nepotes qui sunt in potestate adoptati.

Præterea quæritur, an secundæ nuptiæ liceant. Patet ad hoc ex præinductis responsio quod imo, quoniam vinculum conjugatorum in morte dissolvitur, nec impedit contrahendum. — Tale quoque matrimonium est sacramentum, quum in eo sit debita materia matrimonii sacramentalis, puta, personæ legitimæ, et debita forma, videlicet expressio interioris consensus per verba de præsenti. Verumtamen matrimonium secundum est imperfectius primo, et minus evidenter significatio sacramentalis est in eo quam in primo, quia non est in secundo unius cum una : ideo irregularitatem inducit, et a susceptione sacramenti Ordinis impedit. Nec secundæ nuptiæ benedicuntur. Quod intelligendum est quando ex parte viri ac mulieris sunt secundæ, vel ex parte mulieris tantum : quia si virgo contrahit cum illo qui aliam conjugem habuit, nuptiæ illæ benedicuntur, quia salvatur in eis aliquo modo significatio sacramenti etiam in ordine ad nuptias primas : quoniam Christus etsi unicam Ecclesiam habeat sponsam, habet tamen in ipsa Ecclesia plures sponsas particulares spiritualiter sibi conjunctas ; anima vero non potest esse sponsa nisi Christi, quia cum dæmone fornicatur. Hinc dum mulier nubit secundo, nuptiæ non benedicuntur, propter sacramenti defectum. Hinc demum juxta Ambrosium, secundum matrimonium dicitur inhonestum, non quod sit illicitum, sed quoniam caret perfecta significatione ac benedictionis honore, quibus primum matrimonium decoratur. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus omnes doctores frequenter præallegati concordant, quorum et scripta in his sententialiter continentur ac satis, prout huic speculationi sufficere potest : nam et materia hæc ad juristas potius pertinet.

Cf. p. 78 B', 176 A'.

PRÆDICTORUM EPILOGATIO

ET BREVIS INSTRUCTIO DE SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS, ET MODI IPSA JUXTA CONSUETUDINEM ROMANÆ ECCLESIÆ DISPENSANDI AC BENEDICENDI.

BAPTISMUS

Cf. t. XXIV, p. 100 A et s.

BAPTISMUS, primum Ecclesiæ sacramentum, est ablutio hominis facta ab alio in aqua, simul verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione divina ablutionem animæ a peccato. Nam in eo remittitur pœna et culpa, et homo spirituale esse acquirit, Christo incorporatur, spiritualiterque generatur. Ordinatur autem contra culpam originalem, et carentiam spiritualis vitæ. Materia hujus sacramenti est aqua; minister sacerdos, vel in necessitate quilibet Christianus; forma ipsius : Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Modus dispensandi et benedicendi hoc sacramentum.

Sacerdos benedicturus catechumenos vertat faciem suam ad orientem. Et si baptizandus sit masculus, statuatur a dextris sacerdotis; et si sit femella, a sinistris. Et si sit adultus, quæratur ab eo, an velit baptizari; si infans, quæratur a patrinis, an desiderent illum baptizari. Quibus respondentibus quod sic, quærat sacerdos, quo nomine velint nominari baptizandum, et postea quærat illas sex interrogationes quæ sequuntur. Ad quas debet personaliter respondere, si adultus fuerit et loqui valeat; vel patrini pro eo, si infans fuerit, vel si præ infirmitate aut alio defectu loqui non poterit, forte mutus vel surdus exsistens.

Abrenuntias Satanæ? — Abrenuntio.

Et omnibus operibus ejus ? — Abrenuntio.

A Et omnibus pompis ejus ? — Abrenuntio.

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ? — Credo.

Credis in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum et passum? — Credo.

Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam ? — Credo.

B Videtur valde expediens et devotum adstantibus, si quisquis baptizantium sacerdos interrogationes istas in idiomate suæ patriæ vulgari faceret, Latinum patrinis interpretando.

Tunc exsufflet in faciem baptizandi, dicens : Exi, Satana, da honorem Deo vivo et vero. Exi, immunde spiritus, da honorem Filio ejus Jesu Christo Domino nostro. Fuge, immunde spiritus, da locum Spiritui Sancto paracleto. Deinde faciat crucem in fronte baptizandi cum pollice, C dicens : Signum crucis Domini nostri Jesu Christi in frontem tuam pono. Deinde faciat crucem in pectore, dicens : Signum crucis Domini nostri Jesu Christi in pectus tuum pono.

Deinde ponat manum super caput, dicens :

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N., D quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es; omnem cæcitatem cordis ab eo repelle; dirumpe omnes laqueos diaboli quibus

fuerat alligatus; aperi ei, Domine, januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, et ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat et proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, percepta medicina spirituali. Per eumdem Christum.

Oremus. — Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, et hunc famulum tuum N. crucis dominicæ, cujus impressione eum signamus, virtute custodi, ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum.

Oratio. Deus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator, propitiare populis tuis adoptionis, et novo Testamento sobolem novæ prolis adscribe, ut filii promissionis quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Christum.

Hinc faciat exorcismum salis. — Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in caritate Domini nostri Jesu Christi, et in virtute Spiritus Sancti. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit, ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices, benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. Amen.

Deinde nominato nomine baptizandi, mittat sal in os ipsius, dicens illi : Accipe salem sapientiæ, ut propitiatus sit tibi Dominus in vitam æternam. Amen.

Oratio. Deus patrum nostrorum, Deus A universæ conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quominus cibo repleatur cœlesti, quatenus sit semper, Domine, spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis repromissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum.

(Super masculos tantum.) *Oratio.* Deus B Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans eis angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte : te quæsumus, Domine, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, qui similiter custodiat et hunc famulum tuum, et perducat eum ad gratiam Baptismi tui. Per Christum.

Exorcismus. Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu C Christo Filio ejus, et Spiritui Sancto paracleto, et recede ab hoc famulo Dei N., quem Deus et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem fontemque Baptismatis dono suæ gratiæ vocare dignatus est. Et hoc signum sanctæ crucis, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. Amen.

(Super masculos tantum.) *Oratio.* Deus, D immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum : te invoco [illegible] hunc famulum tuum N., qui Baptis[illegible] tui donum petens, æternam consequi gratiam spirituali regeneratione desiderat; accipe eum, Domine. Et quia dignatus es dicere, Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; petenti itaque præmium porrige, et januam pande pulsanti, ut æternam cœlestis lavacri benedictionem consecutus, *Matth.* VII, 7; XXI, 22.

promissa tui muneris regna percipiat. Qui A cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen. Ergo, maledicte diabole, recognosce, etc., ut supra.

(Super masculos.) *Exorcismus.* Audi, maledicte Satana, adjuratus per nomen æterni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Filii ejus, cum tua victus invidia tremens gemensque discede; nihil tibi sit commune cum hoc servo Dei, jam cœlestia cogitante, renuntiaturo tibi et sæculo tuo, et beata immortalitate victuro. Da igitur ho- B norem advenienti Spiritui Sancto, qui ex summa cœli arce descendens, perturbatis fraudibus tuis, divino fonte purgatum pectus, in sanctificatum Deo templum et habitaculum perficiat, ut ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum liberatus hic servus Dei N., gratias perenni Deo referat semper, et benedicat nomen ejus sanctum in sæcula sæculorum. Amen.

Exorcismus alius. Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut exeas et recedas ab hoc C famulo Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dextram porrexit. Ergo, maledicte, etc., ut supra.

(Super femellas tantum.) *Oratio.* Deus cœli et terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus martyrum, Deus confessorum, Deus virginum, Deus omnium bene viventium, Deus cui omnis lingua confitetur, et omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et in- D fernorum, te invoco super hanc famulam tuam N., ut perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui. Ergo, maledicte, etc., ut supra.

(Super femellas tantum.) *Oratio.* Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui tribus Israel de Ægyptia servitute liberasti, et per Moysen famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, et Susannam de falso crimine liberasti, te supplex deprecor, Domine, ut liberes hanc famulam tuam N., et perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Christum. Ergo, maledicte, etc., ut supra.

(Super femellas.) *Exorcismus.* Exorcizo te, immunde spiritus, per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ut exeas et recedas ab hac famula Dei N. Ipse enim imperat tibi, maledicte atque damnate, qui cæco nato oculos aperuit, et quatriduanum Lazarum de monumento resuscitavit. Ergo, maledicte, etc., ut supra.

Oratio dicenda super baptizandum, sive sit masculus, sive femella. — Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, luminis et veritatis auctor, super hunc famulum tuum N., ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum et sanctifica, et da ei scientiam veram, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui; teneat spem firmam, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad percipiendum gratiam Baptismi tui. Per Christum.

Deinde dicatur : Dominus vobiscum. — Sequentia sancti Evangelii, etc.

In illo tempore offerebant Jesu parvu- *Marc.* x, 13-16. los, ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos quum vidisset Jesus, indigne tulit, et ait illis : Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis : quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos et imponens manus super illos, benedicebat eos.

Deinde ponat manum super caput baptizandi et catechumeni, dicens symbolum Credo in Deum, etc., usque ad finem; Pater noster, Ave Maria, etc., simul usque ad finem. Et committat patrinis quod informent baptizandum de fide et Oratione dominica. Deinde nomine baptizandi nominato, iterum ponat manum super caput ejus, dicens : Nec te lateat, Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem supplicii

sempiterni, diem qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi ac universis angelis tuis sempiternus veniet interitus. Proinde damnate ac damnande, da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, da honorem Spiritui Sancto paracleto, in cujus nomine atque virtute præcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, ut exeas et recedas ab hoc famulo Dei N., quem hodie Deus et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem fontemque Baptismatis dono Spiritus Sancti vocare dignatus est, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum. In nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. Amen.

Deinde sacerdos exspuat in manum sinistram, et cum pollice manus dextræ accipiat de saliva sua, et tangat aures baptizandi, dicens ad aurem dextram : Ephphetha, quod est adaperire; ad nares : In odorem suavitatis; ad aurem sinistram : Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei. *Marc.* VII, 34.

Deinde itur ad fontem, et prope fontem sacerdos iterum vocato nomine baptizandi, repetit istas sex interrogationes sequentes.

Abrenuntias Satanæ? — Abrenuntio.

Et omnibus operibus ejus? — Abrenuntio.

Et omnibus pompis ejus? — Abrenuntio.

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ? — Credo.

Credis in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum et passum? — Credo.

Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam? — Credo.

Deinde intincto pollice in oleo sancto, faciat crucem in pectore et inter scapulas baptizandi, quem tunc tenebunt compatres inter manus, ita dicens : Et ego te linio oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde quærat sacerdos a baptizando, si adultus sit :

Vis baptizari? — Volo.

Vel a patrinis, si infans sit :

Vultis infantem baptizari? — Ita.

Deinde sacerdos diligenter quærat de infante ab obstetrice et aliis, an sit baptizatus. Si respondent, Est baptizatus; et si sacerdos certitudinaliter informatur quod ille infans sit rite baptizatus in aqua sub debita forma verborum, tunc non debet ipsum rebaptizare, nec simpliciter, nec sub conditione, sed alia facere quæ solent fieri post Baptismum, scilicet chrismare, mitram supraponere. Sed si dubitat an sit rite baptizatus in aqua sub debita forma verborum, tunc propter dubium debet ipsum baptizare sub conditione et sub ista verborum forma, nominato nomine ejus : N., si es baptizatus, non te rebaptizo; sed si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Si vero non est baptizatus prius, tunc nominato nomine ejus debet ipsum baptizare simpliciter sine conditione, sub hac forma verborum : N., ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Et sciendum, quod sacerdos debet baptizandum ad minus semel mergere, in repræsentationem sepulturæ et resurrectionis Jesu Christi, nisi infirmitas baptizandi obstiterit, vel sacerdotis debilitas, vel modicitas aquæ, vel magna temporis frigiditas : quia tunc poterit sacerdos cum manu vel cum aliquo vasculo fundere de aqua fontis super caput baptizandi, quoniam immersio non est de necessitate Baptismi. Debet tamen servari ubi servari consuevit, nisi aliud obstet. Et ubi consuetudo est de trina immersione, illa debet servari; et qui non servat eam, peccat. *Cf.* t. XXIV, p. 113 D et s.

Deinde suscipiant patrini infantem, et teneant super fontem, et sacerdos intincto pollice in chrismate faciat crucem in vertice infantis, seu summitate capitis, et non in fronte, dicens : Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique tibi dedit remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro propitiatus in vitam æternam. Amen.

Deinde ponat mitram super caput baptizati et dicat : Accipe vestem candidam, sanctam et immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Christi, ut habeas vitam æternam. Amen.

Deinde procedat sacerdos ad altare. Et si baptizatus sit adultus, communicet; si vero sit infans, ponat sacerdos de vino in os ejus, dicens : Hujus perceptio vini sit tibi in salutem æternam corporis et animæ. Deinde det baptizato candelam et dicat : Accipe lampadem ardentem, custodi baptismum tuum, ut quum venerit Dominus ad nuptias, possis occurrere ei in aula cœlesti, et vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Ordo circa baptizandum infirmum servatur per omnia ut supra, usque ad datum salis.

Deinde dicatur oratio : Medelam tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui subvenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas. Te ergo, Domine, suppliciter deprecamur, ut hunc famulum tuum N. eruas ab hac infirmitate, ut non prævaleat inimicus usque ad animæ tentationem ; sicut in Job ei terminum impone, ne inimicus de anima ista sine redemptione Baptismatis incipiat triumphare; differ, Domine, exitum mortis, et spatium vitæ extende, et perducas ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde ponat sacerdos manum super caput baptizandi et catechizandi, et dicat symbolum Credo, et cetera omnia usque ad finem.

A De hoc sacramento tractatum est supra prolixe per sex distinctiones, videlicet 1, 2, 3, 4, 5, 6.

CONFIRMATIO

Confirmatio secundum Ecclesiæ sacramentum est, quo modo baptizatus ipsum esse spirituale in Baptismo susceptum ad debitam quantitatem perducat. Datur in eo ad robur Spiritus Sanctus, contra infirmitatem animi quæ in nuper renatis in-

B venitur, estque Baptismi perfectio. Nam in Baptismo homines sunt quasi modo geniti infantes, ad dura laboriosaque sustinenda minus robusti, nisi induantur virtute ex alto. Quod eis facere consuevit divina clementia in Confirmatione, et per signaculum de chrismate in fronte susceptum, præstare velut rhinocerotis cornu, quo erumpant et ventilent inimicitias et opprobria christianæ professionis, et hostes animarum universos. Materia hujus sacramenti est chrisma, ex oleo ac balsamo

C episcopalique benedictione constans; minister, solus episcopus; forma sacramenti : Consigno te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Modus benedicendi et dispensandi hoc sacramentum.

Clemens I statuit, ut quisque post Baptismum quanto citius possit, confirmetur : quia non est perfectus christianus qui hoc non necessitate, sed incuria, aut

D voluntate omittit. Igitur quando episcopus est præsens quando infantes baptizantur, vel quando infantes ab ipso baptizantur, statim eos confirmari oportet cum chrismate, quia ut habetur in canone, de Consecratione, distinctione 5, capitulo 2, Spiritus Sanctus, qui in fonte tribuit innocentiam, in Confirmatione præstat augmentum ad gratiam : in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. Et per Confirmationem efficiuntur perfecti christiani, ut dicit Glos-

Decret. p. III.

sa, de Consecratione, distinctione 5, capitulo 3*. Et parvulus non confirmatus si decedit, minorem gloriam in cœlo habebit, ut dicit Thomas parte tertia, quæstione septuagesima secunda, articulo septimo. Et nemo carnalem filium aut filiam de Baptismo suscipiat vel ad Confirmationem teneat, ut sit discretio inter carnalem et spiritualem generationem; et qui non est confirmatus, nullum ad Confirmationem teneat.

* *Cf.* c. 1, *Omnes.*

Episcopus volens confirmare, semper præmittat confessionem generalem, cum absolutione generali, populo flectente genua. Deinde lotis prius manibus, et terso pollice dextræ manus, junctis ante pectus manibus, stans mitra deposita, dicit : Spiritus Sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis. *Respondetur* Amen. Deinde dicit : Adjutorium nostrum in nomine Domini. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Et tunc elevatis et super confirmandos extensis manibus dicit orationem hanc sequentem.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos et famulas tuas ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum paracletum de cœlis. *Respondetur* Amen. — Spiritum sapientiæ et intellectus. *Respondetur* Amen. — Spiritum consilii et fortitudinis. *Respondetur* Amen. — Spiritum scientiæ et pietatis. *Respondetur* Amen. — Et imple eos spiritu timoris tui, et consigna eos signo crucis Christi in vitam propitiatus æternam. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Tunc sedens super faldistorium coram altari vel alibi paratum, inquisito sigillatim nomine cujuslibet consignandi, sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus præsentati, et summitate pollicis dextræ

A manus chrismate intincta, pontifex facit crucem in fronte illius, dicens : Joannes, vel Bertha (vel quovis alio nomine), signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut replearis eodem Spiritu Sancto, et habeas vitam æternam. *Respondetur* Amen. — Et dicendo : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, producit signum crucis ante faciem illius. Et deinde dat sibi leviter alapam super genam, dicens : Pax tecum.

B Omnibus taliter consignatis, tergit cum mica panis vel pecia linea, et lavat cum aqua pollicem super aliquem calicem stanneum, vel super aliquam pelvim, et aqua lotionis cum pecia linea vel pane funditur in fontibus, vel piscina. Et interim cantatur antiphona, Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo quod est in Jerusalem ; versus, Gloria Patri; Sicut erat; et tunc repetitur antiphona, Confirma hoc.

Deinde pontifex surgens, stans mitra C deposita, dicit versiculum : Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Domine, exaudi. Dominus vobiscum. Oratio (quam dicit junctis manibus ante pectus, et omnibus confirmatis devote genua flectentibus).

Oremus. — Deus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, et præsta ut eorum corda quorum quarumque frontes sacro chrismate delinivimus, et signo D sanctæ crucis consignavimus, idem Spiritus Sanctus in eos adveniens, templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde dicit : Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. Et facit signum crucis super eos dicens : Benedicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ, et habeatis vitam æternam. *Respondetur* Amen.

Expedita itaque confirmatione, pontifex annuntiat confirmatis sive chrismatis, quod in honorem sanctæ Trinitatis triduo chrismalia in frontibus portent. Et die tertia sacerdos lavabit eorum frontes, et comburet chrismalia super fontes. Vel ex chrismalibus fiant candelæ ad usum altaris. Patrinis vero seu matrinis annuntiet, quod instruant et informent filios suos bonis moribus et operibus; quod fugiant mala, et faciant bona, et doceant eos Credo in Deum, Pater noster, Ave Maria, quoniam se ad hoc obligaverunt.

De hoc sacramento tractatum est supra per unicam distinctionem, videlicet 7.

EUCHARISTIA

Eucharistia, tertium et omnium dignissimum Ecclesiæ sacramentum, Christum substantialiter continens, est sacrificium caritatis, quo in donis Dei nullum majus; vitalis refectio, sine qua vita gratiæ subsistere non potest, nec amor nutriri : qua et post spiritualem regenerationem in Baptismo, ac spirituale augmentum in Confirmatione, spiritualiter nutriuntur fideles, reficiuntur, ad perfectum esse perfectionemque finalem perducuntur, et angelica dignitate honorati sunt. Per hujus sacramenti dignum usum, peccata exuruntur, motus sancti amoris in ipsum Deum diriguntur, vita gratiæ vel causa vivendi secundum gratiam filiis gratiæ et adoptionis administratur. Hujus subtractio exstinctio vitæ est. Qui refectionem istam non esurit et sitit, qui saporem illius non sapit, quid cogitare debet, nisi mortificatam se habere virtutem appetitivam interiorem, aut stomachum plenum spurcitiis vitiorum, vel se ebrium esse voluptate carnis, aut vanitate mundi ? Quo enim exemplo inseri magis imprimique potuit cordibus nostris paternæ dilectionis et beneficentiæ communio, quam exemplo communionis corporis et sanguinis patris et magistri Christi Domini ? Quis angelica dignitate honoratum se cogitat, et non inde velut quemdam stuporem devotionis in suum honoratorem quodammodo exprimat, et in gratiarum actiones non tantum resolvatur, sed totus liquefiat ? Hinc non tam ut digne comedant dignissimum hoc sacramentum, filii gratiæ mensam Domini accedant; sed ut ipsi quoque comedantur, et laute ac splendide Christum Dominum ex se reficiant, totis studiis enitantur. Quod utique facient, si assatos zelo gloriæ Dei, si frixos fraterna compassione, si coctos piæ ac sanctæ benevolentiæ desideriis, se eidem exhibeant. Materia hujus sacramenti est panis et vinum; minister, sacerdos rite consecratus; forma consecrationis panis : Hoc est enim corpus meum; sanguinis : Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Modus dispensandi et benedicendi notus est sacerdotibus.

De hoc sacramento tractatum est supra per sex distinctiones, videlicet 8, 9, 10, 11, 12, 13.

PŒNITENTIA

Pœnitentia quartum Ecclesiæ sacramentum est, quo peccator per peccatum mortuus, spiritualiter in anima resuscitatur, per novitatem vitæ renascitur, et filius Dei per gratiam adoptionis efficitur; ipsum esse spirituale, virtutes quoque, et gratia, omnium virtutum gratuitarum principium, restituuntur; gratum, reconciliatum et acceptum Deo, a quo se avertit, faciens vas Spiritus Sancti, propter meritum passionis Christi, cujus virtute Pœnitentia (ut alia sacramenta) operatur ex immensitate divinæ clementiæ, qua non solum unum aut peccatorum partem peccatori dimittit, sed omnia simul, donans sæpius peccatori majorem gratiam quam ante peccatum habebat. Partes Pœnitentiæ sunt tres : contritio cordis, confessio oris (cui annexa est absolutio sacerdotis), et satisfactio operis. Materia hujus sacramenti est actus

pœnitentis sensui subjectus, quo insinuat sacerdoti peccator, a peccatis se recessisse; minister, sacerdos habens potestatem absolvendi; forma : Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Modus dispensandi est notus.

De hoc sacramento tractatum est supra per novem distinctiones, videlicet 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22.

UNCTIO EXTREMA

Unctio Extrema, quintum Ecclesiæ sacramentum, et ultimum ejus medicamen, immediate disponens ad introitum gloriæ, est quædam spiritualis sanatio, ineptitudinem ac debilitatem quæ inest fidelibus ex peccato actuali non satis expurgato, curans, gratiamque continens ac conferens; corporalem quoque sanitatem inducens, non virtute suæ materiæ, sed divina, quam per sanctificationem recipit, prout ad sanitatem spiritualem proficuum est. Materia hujus sacramenti est oleum, sive liquor olivæ per episcopum consecratus; minister, sacerdos. Forma est : Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per N. Quæ forma modo deprecativo prolata, licet brevis sit, videtur tamen aptissima. Tangit enim sacramentum, quum dicitur, Per istam unctionem; et eum qui sacramentum inducit, quum additur, Et suam piissimam misericordiam; effectum quoque, quum subditur, Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti. Plures Ecclesiæ utuntur satis rationabiliter etiam modo infra scripto.

Modus benedicendi et dispensandi hoc sacramentum.

Pax huic domui. Et omnibus habitantibus in ea. Benedic, Domine, domum istam, et omnes habitantes in ea. Quia tu, Domine, dixisti, Pax huic domui, benedic, Domine, timentes te, pusillos cum majoribus. Benedicti vos a Domino, qui fecit

A cœlum et terram. *Responsorium* Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psal.* Miserere mei, Deus, secundum, etc. Et secundum, etc. Amplius lava, etc. Gloria Patri. Sicut erat, etc. *Adspergatur infirmus cum circumstantibus.*

Oratio. Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et mittere digneris sanctum angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet ac defendat omnes habitantes in hoc habita-
B culo. Per Christum Dominum nostrum.

Alia oratio. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra; descendat super omnes habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, ut in his manufactis habitaculis cum salubritate manentes, ipsi tuum semper sint habitaculum. Per Christum.

Hic ponatur manus sacerdotis super infirmum.

Oremus. — Domine Deus, qui per Apostolum locutus es, Infirmatur aliquis in vo- *Jacob.* v, 14, 15.
C bis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei : cunctos, quæsumus, Redemptor noster, gratia Spiritus Sancti languores istius infirmi cura, et omnia sana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis et corporis ab eo expelle, plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus et
D sanatus, ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Qui vivis.

Deinde dicantur septem Psalmi pœnitentiales, et post singulos ista antiphona : Sana, Domine, infirmum istum, cujus ossa turbata sunt, et cujus anima turbata est valde; sed tu, Domine, convertere et sana eum, et eripe animam ejus. *Psal.* Domine, ne in furore, etc. Sana, Domine.

Collecta. Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, et cum omni intenta supplicatione rogemus, ut hunc famulum

suum N. per angelum suum sanctum visitare, lætificare et confortare dignetur. Qui cum Patre et Spiritu Sancto. *Psal.* Beati quorum remissæ sunt, etc. Sana, Domine. A

Tunc sacerdos manum suam ponat super infirmum.

Antiphona. Dominus locutus est discipulis suis : In nomine meo dæmonia ejicite, et super infirmos manus vestras imponite, et bene habebunt.

Matth. x, 8; *Marc.* xvi, 17, 18.

Oratio. Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, et animam refove quam creasti, ut castigationibus emendatus, continuo se sentiat tua medicina sanatum. Per Christum. B

Psal. Domine, ne in furore. *Ant.* Sana, Domine, ut supra.

Oratio. Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per Christum.

Alia oratio. Dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum scelerum C atque languorum squalore vexatum, per angelum suum sanctum visitare, lætificare et confortare dignetur. Qui cum Patre et Spiritu Sancto.

Psal. Miserere mei, Deus. *Ant.* Sana, Domine, etc.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis et in necessitatibus laborantibus, majestatem tuam supplices exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum ad famulum tuum N. in angustiis et necessitatibus suis laboran- D tem, qui consolationibus suis eum attollat, quibus et de præsentibus malis omnibus consequatur auxilium, et æterna remedia comprehendat. Per Christum.

Psal. Domine, exaudi. *Ant.* Sana, Domine, etc.

Oratio. Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita et hunc famulum tuum a lecto ægritudinis tua potentia erigas ad salutem. Per Christum.

Alia oratio. Deus, qui humano generi salutis remedia, et vitæ æternæ munera contulisti, conserva huic famulo tuo tuarum dona virtutum, et concede ut misericordiam tuam non solum in corpore, sed et in anima sentiat. Per Christum.

Psal. De profundis. *Ant.* Sana, Domine, etc.

Oratio. Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, et famulum tuum diversa imbecillitate corporis laborantem placatus respice, et visita atque defende in salutari tuo, et ei cœlestis gratiæ præsta medicinam. Per Christum.

Psal. Domine, exaudi. *Ant.* Sana, Domine, etc.

Oratio. Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem et infirmitatem præcepti tui potestate depellis, adesto propitius famulo tuo, ut fugatis infirmitatibus, et viribus revocatis, per nomen sanctum tuum instauratam protinus sanitatem percipiat. Per Christum.

Sequitur Litania.

Kyrie, eleison. Christe, eleison.
Christe, audi nos.
Salvator mundi, miserere famulo tuo.
Sancta Maria, ora pro famulo tuo.
Sancta Dei Genitrix, ora pro eo.
Sancta Virgo virginum, ora pro eo.
Sancte Michael, ora pro eo.
Sancte Gabriel, ora pro eo.
Omnes sancti angeli et archangeli, orate pro eo.
Sancte Joannes Baptista, ora pro eo.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ, orate pro eo.
Sancte Petre, ora pro eo.
Sancte Paule, ora pro eo.
Sancte Andrea, ora pro eo.
Sancte Joannes, ora pro eo.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, orate pro eo.
Sancte Stephane, ora pro eo.
Sancte Laurenti, ora pro eo.
Sancte Vincenti, ora pro eo.
Sancte Georgi, ora pro eo.

Sancte Ignati, ora pro eo.
Omnes sancti martyres, orate pro eo.
Sancte Gregori, ora pro eo.
Sancte Martine, ora pro eo.
Sancte Nicolae, ora pro eo.
Sancte Hieronyme, ora pro eo.
Omnes sancti confessores, orate pro eo.
Sancta Maria Magdalena, ora pro eo.
Sancta Catharina, ora pro eo.
Sancta Agnes, ora pro eo.
Sancta Barbara, ora pro eo.
Sancta Ursula cum sodalibus tuis, orate pro eo.
Omnes sanctæ virgines, viduæ et continentes, orate pro eo.
Omnes Sancti, orate pro eo.
Propitius esto, parce ei, Domine.
Propitius esto, libera eum, Domine.
Ab omni malo,
Ab insidiis diaboli,
Ab hoste malo,
Ab ira tua,
Ab omni languoris molestia,
A periculo mortis,
A subitanea et improvisa morte,
A morte perpetua,
A pœnis inferni,
Ab omni immunditia mentis et corporis,
Per incarnationem et nativitatem tuam,
Per passionem et crucem tuam,
Per resurrectionem et ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus Sancti paracleti,
libera eum, Domine.
In hora mortis, succurre ei, Domine.
In die judicii, libera eum, Domine.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut pacem isto infirmo dones,
Ut sanitatem animæ et corporis ei dones,
Ut compunctionem cordis ei dones,
Ut fontem lacrimarum ei dones,
Ut fidem, spem, caritatemque perfectam ei dones,
Ut omnes principes tenebrarum ab eo repellere digneris,
Ut præsentiam et solatium sanctorum angelorum ei adesse jubeas,
Ut ad gaudia æterna eum perducere digneris,
te rogamus, audi nos.

A Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, libera eum, Domine.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, parce ei, Domine.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, succurre ei, Domine.
Christe, audi nos.
Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.
B Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum, Domine.
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Dominus conservet eum, et vivificet eum.
℟. Et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
℣. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.
C ℟. Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.
℣. Dominus custodiat te ab omni malo.
℟. Custodiat animam tuam Dominus.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te.
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Perfice gressus ejus in semitis tuis.
℟. Ut non moveantur vestigia ejus.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. D
℣. Esto illi, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Converte eum, Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam ab eo.
℣. Convertere, Domine, usquequo.
℟. Et deprecabilis esto super servum tuum.
℣. Domine, averte faciem tuam a peccatis ejus.
℟. Et omnes iniquitates ejus dele.
℣. Cor mundum crea in eo, Deus.

℟. Et spiritum rectum innova in visceribus ejus.

℣. Adjuva eum, Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera eum, et propitius esto peccatis ejus propter nomen tuum.

℣. Exsurge, Domine, adjuva eum.

℟. Et libera eum propter nomen tuum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. — Omnipotens et misericors Deus, quæsumus clementiam tuam immensam, ut ad introitum humilitatis nostræ in tuo nomine, hunc famulum tuum N. in hoc habitaculo jacentem, salutifere visitare digneris, sicut visitasti, Domine, Tobiam et Saram, et socrum Petri, puerumque centurionis; ita ut et iste pristina sanitate animæ et corporis recepta, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actionem. Qui vivis et regnas Deus.

Alia oratio. Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei. Qui cum Patre et Spiritu.

Post hoc sacerdos ostendat infirmo sanctæ crucis effigiem cum bonis ac salubribus admonitionibus in vulgari, quales sunt interrogationes Anselmi, quæ continentur his versibus :

Admonit. morienti.

Ecclesiæ credit et cunctis quæ tenet ipsa.
Gaudet quod moritur signatus nomine Christi.
Offenditque Deum peccatis, et dolet inde.
Vivere proponit quantum poterit sine culpa.
Credit salvari, non per se, sed cruce Christi.

Tunc lavet pollicem presbyter et circumvolvat lino proximos digitos, et pollice intingat sacrum oleum; et prius petat ab infirmo, utrum plus ei occurrat ad confitendum. Quo facto, instruat eum quare singula membra inungantur. Et sequentem orationem adjungat ad omnes inunctiones.

Sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis, et ad omnium absolutionem culparum, ac ad munimen et defensionem contra jacula immundorum spirituum; custodiatque Je- A sus Christus et perducat te in vitam æternam. Amen.

Ad oculos. — Pax tecum. Et cum spiritu tuo. Ungo oculos tuos oleo sanctificato, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut quidquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio. Sit tibi.

Ad aures. — Pax tecum. Ungo has aures sacrati olei liquore, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut quidquid peccati B delectatione nocivi auditus admissum est, medicina spirituali evacuetur. Per Christum.

Oratio. Sit tibi.

Ad nares. — Pax tecum. Ungo has nares oleo sacri liquaminis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut quidquid noxio contractum est odoratu vel superfluo, ista emundet medicatio. Per Christum.

Oratio. Sit tibi.

Ad labia. — Pax tecum. Ungo labia ista consecrati olei medicamento, in nomine C Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut quidquid otiosa vel etiam criminosa peccaverunt locutione, divina clementia miserante, hac unctione expietur. Per Christum.

Oratio. Sit tibi.

Ad pectus. — Pax tecum. Ungo pectus tuum hoc oleo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut hac unctione spirituali roboratus, per virtutem Christi cunctis adversantibus resistere valeas. Per Christum.

Oratio. Sit tibi.

(Manus sacerdotis non ungantur intra, D sed extra; laici vero et aliorum, intra.)

Ad manus. — Pax tecum. Ungo has manus oleo sanctificato, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut quidquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem sacri liquaminis evacuetur. Per Christum.

Oratio. Sit tibi.

Ad pedes. — Pax tecum. Ungo hos pedes oleo benedicto, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut quidquid superfluo vel nocivo incessu commiserunt, Sancto-

rum tuorum intercessionibus misericorditer hæc abluat unctio. Per Christum.

Oratio. Sit tibi.

Oratio. Inunxi te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti oleo sancto, ut in virtute Spiritus Sancti tribuat tibi hæc unctio sanitatem animæ et corporis, et remissionem omnium peccatorum, et vitam æternam. Amen.

Item. Indulgentiam et remissionem omnium peccatorum tribuat tibi omnipotens et misericors Deus.

Peracta unctione, lavabit manus cum sale et aqua, et comburet linum.

Oratio. Adesto, quæsumus, Domine, humilitatis nostræ obsequiis, eisque benignus cooperator adsiste, ut qui ad executionem mandatorum tuorum huic ægro manus imponentes, olei sacri unctionem exhibemus, hujusmodi servituti nostræ te interesse sentiamus : quatenus Spiritus Sancti gratia nostræ actionis officium comitante, ab hoc famulo tuo N. omnis languor et debilitas abscedat, totiusque vigoris et sospitatis plenitudo succedat; relictoque imbecillitatis grabato, ad te supernum medicum vultum et mentem erigat, et pro sospitatis restitutione laudes nomini tuo competenter in æternum persolvat. Per Christum Dominum nostrum.

Alia oratio. Libera, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, a peccatis omnibus et infirmitatibus hunc famulum tuum supplicantem, ut in tua sancta conversatione vivens, nullis per tuam gratiam afficiatur periculis. Per Christum.

Benedictiones. Dominus noster Jesus Christus apud te sit, ut te defendat; intra te sit, ut te conservet; post te sit, ut te justificet; super te sit, ut te benedicat. Qui cum Patre.

Alia. Benedicat te Deus Pater, sanet te Deus Filius, illuminet te Spiritus Sanctus, corpus tuum custodiat, animam tuam conservet, et quando de hoc corpore evacuaverit, ad supernam vitam perducere dignetur. Per Christum Dominum nostrum.

Alia. Benedicat te Deus Pater, adjuvet A te Christus Filius Dei, Spiritus Sanctus corpus tuum in sancto suo servitio custodiri faciat et conservari, mentem tuam illuminet, et sensum tuum custodiat ab omni malo, te liberet dextera sua, te defendat, et qui sanctos suos semper adjuvat, ipse te adjuvare et confortare dignetur. Per Christum.

Alia. Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit. Benedicat te Dei Filius, qui de supernis sedibus pro nobis salvator apparuit. Benedicat te Spiritus B Sanctus, qui in similitudine columbæ in flumine Jordanis super Christum requievit. Ipse te in Trinitate et unitate sanctificet, quem omnes gentes venturum judicem exspectant. Qui vivit et regnat.

Alia. Benedicat te Deus Pater, custodiat te Jesus Christus, illuminet te Spiritus Sanctus omnibus diebus vitæ tuæ. Amen. Confirmet te virtus Christi, indulgeat tibi Dominus universa delicta tua. Amen. Beatæ et gloriosæ semperque virginis Mariæ Dei Genitricis, omniumque simul Sancto- C rum gloriosa intercessio te protegat et ad vitam perducat æternam. Amen.

Alia. Deus, qui B. Petrum apostolum misisti ad Tabitham famulam tuam, ut ejus precibus resuscitaretur ad vitam, exaudi nos, quæsumus, omnipotens Deus, ut famulum tuum quem in tuo nomine visitat nostra fragilitas, exorata medicinæ tuæ medela eripiat ab hac tristitia. Per Christum.

Alia. Benedicat te Dominus, et custodiat te; illuminet Dominus Jesus faciem D suam super te et misereatur tui, convertat vultum suum ad te, et det tibi pacem omnibus diebus vitæ tuæ. Amen.

Alia. Benedicere digneris, Domine, et sanctificare istum famulum N. cœlesti benedictione. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cui est honor et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Alia. Sanet te Deus Pater omnipotens, qui te creavit in carne; sanet te Dei Filius, qui pro te passus est in cruce; sanet te Deus Spiritus Sanctus, qui super te effu-

sus est in Baptismo; sanet te sancta et individua Trinitas cum omni sanctitate; sanent te angeli et archangeli, Patriarchæ et Prophetæ, et omnes sancti Apostoli, martyres, confessores, virgines atque omnes Sancti; et ab omni malo atque dolore te eripiat Jesus Christus Dominus noster. Qui cum Patre.

Alia. Benedictio Dei Patris cum angelis suis sit super te; benedictio Christi cum Apostolis suis sit super te; benedictio Spiritus Sancti cum septem donis sit super te; benedictio Ecclesiæ catholicæ cum universis filiis suis sit super te. Fiant merita et orationes omnium Sanctorum tecum diebus ac noctibus, in verbo, in facto, in cogitatione, et in toto corpore. Commendo te sub potestate sanctæ Trinitatis, id est Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Benedictio Domini sit super te. Benediximus tibi in nomine Domini, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ordo visitandi multum infirmum, qui etiam tempore pestilentiæ observari potest.

Pax huic domui. Et omnibus habitantibus in ea. *Antiphona.* Benedic, Domine, domum istam et omnes habitantes in ea. Quia tu, Domine, dixisti, Pax huic domui, benedic, Domine, timentes te, pusillos cum majoribus. Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram.

Collecta. Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et mittere digneris sanctum angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet ac defendat omnes habitantes in hac domo. Per Christum Dominum nostrum.

Hic adspergatur infirmus. Adsperges me, Domine, hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Gloria Patri.

Collecta. Domine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es, Infirmatur aliquis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei: cunctos, quæsumus, Redemptor noster, gratia Spiritus Sancti languores istius infirmi cura, et omnia sana vulnera, ejusque peccata dimitte, atque dolores cunctos cordis et corporis ab eo expelle, plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus et sanatus, ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Qui vivis.

Jacob. v, 14, 15.

Alia. Sana, Domine, infirmum istum, cujus ossa turbata sunt, et cujus anima turbata est valde; sed tu, Domine, convertere et sana eum, et eripe animam ejus.

Alia. Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, et cum omni intenta supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum N. per angelum suum visitare, lætificare et confortare dignetur.

Alia. Parce, Domine, parce famulo tuo, ne in æternum irascaris ei quem redemisti, Christe, sanguine tuo. Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Tunc lavet pollicem et circumvolvat lino proximos digitos, et cum pollice intingat sacrum oleum, et per modum crucis singula membra liniat et lino abstergat, dicens : Per istam unctionem et per suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum, per auditum, per gustum, per odoratum, per tactum. Amen. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis, et ad omnium absolutionem culparum, ac ad munimen et defensionem contra jacula immundorum spirituum; custodiatque te Jesus Christus, et perducat te ad vitam æternam. Amen. Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat; intra te sit, ut te conservet; super te sit, ut te benedicat. Qui cum Patre. Deinde legatur evangelium.

In unctione infirmi ista præscripta tempore necessitatis sufficiunt, secundum doctores.

De hoc sacramento tractatum est supra per unicam distinctionem, videlicet 23.

ORDO

Ordo, sextum Ecclesiæ sacramentum, est signaculum quoddam ipsius, et sanctificatio seu consecratio cum signo sensibili visibili, quo homo masculus ad aliorum sacramentorum dispensationem, hominum gubernationem, et publicorum actuum exercitationem, per superiorem potestatem ordinatur. Materia hujus sacramenti non residet, sicut in aliis sacramentis, in materia quæ adjungitur, sed apud ministrum, qui spiritualem suam potestatem traducit et confert ordinando. Minister, nemo inferior episcopo, præterquam in minoribus ordinibus, qui quandoque ab habentibus auctoritatem a domino Papa conferuntur. Forma est expressio usus ordinis, per actum qui imperatur, et traductio potestatis, dum dicitur : Accipe vel age hoc vel illud.

Modus benedicendi et dispensandi hoc sacramentum.

Ordines minores et non sacri sunt quatuor, videlicet : ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, et acolythatus.

Et notandum est, quod omnes ordines dari debent et distribui coram altari. Item ordinandi debent prius peccata sua confiteri quam ordinem recipiant. In collatione autem cujuslibet ordinis, pontifex ordinandis in ejus præsentia constitutis, debet propter simplices prædicere quem ordinem recepturi sunt. Item debet palam interdicere ne quisquam in susceptione illius ordinis se furtive ingerere præsumat, prout jam dicetur. Item, dato quolibet ordine, debet ordinatos monere et instituere, qualiter debeant vivere, et Deo in suscepto ordine ministrare, et ea quæ ad ipsum officium noscuntur pertinere. Item omnes ordinandi debent se devote cum A tonsura et habitu convenientibus, cum candelis accensis, et cum paramentis ordinis quem suscepturi sunt congruentibus, coram ordinatore præsentare. Ordinati non debent statim recedere, sed exspectent benedictionem episcopalem solennem, quæ communis est pro omnibus ordinatis, et finem Missæ. Item, in ordinatione tam primæ tonsuræ quam cujuslibet ordinis debet ordinans dicere orationes et præfationes junctis manibus ante pectus.

Illud quoque notandum est, quod si B ordinationes fiant in sabbato quo cantatur, Sitientes, quia unica tantum dicitur lectio, tonsuræ debent immediate fieri post Introitum, et omnes minores ordines post Kyrie eleison successive dari. Subdiaconi fiunt immediate post Collectam; diaconi post Epistolam, et presbyteri post Evangelium. Aliis autem temporibus, quando fiunt ordinationes generales, clerici sive primæ tonsuræ fiunt post Kyrie eleison; vel in sabbato post Pentecosten, post Glòria in excelsis Deo, antequam prima collecta di- C catur. Ceteri etiam ordines debent distribui (prout sequitur) seriatim. Et vocentur omnes tonsurandi et ordinandi nominatim et sigillatim, quibus ante altare coram pontifice genua flectentibus, ille ad eos versus, interdicit sub anathematis pœna, ne quis se ad recipiendum primam tonsuram aut alium ordinem ingerat, qui non fuerit examinatus et approbatus, dicens, ut sequitur :

Auctoritate Domini nostri Jesu Christi et Ecclesiæ, omnibus vobis sub pœna ex- D communicationis firmiter præcipimus et mandamus, ut nulli servi dominorum, nisi manumissi sint; nulli clerici alterius diœcesis, absque licentia seu litteris dimissorialibus sui episcopi; nulli excommunicati, nulli illegitime nati, nisi fuerit cum eis sufficienter dispensatum; nulli furtive, aut in membris suis enormiter vitiati, nisi ex certa scientia examinatorum probati sint et admissi; nulli ordines minores cum aliquo ordine sacro, aut etiam sacrum cum sacro simul recipiendo; nulli ætatem suf-

ficientem non habentes, nulli per saltum ; et nulli qui profanaverint contra mandata apostolica, nisi cum eis sufficienter fuerit dispensatum, aut quibus aliud canonicum obstat impedimentum, hic expressum vel non expressum, præsumant accedere, nec ad hos sacros ordines accedant. Si secus attentatum fuerit a quoquam, decernimus irritum et inane, et pœnam supradictam excommunicationis se noverit incurrisse.

Deinde flexis genibus dicit archidiaconus vel capellanus : Postulat hæc sancta mater Ecclesia, Reverende pater, hos viros ordinibus aptos consecrari sibi a vestra paternitate.

Cui respondet episcopus : Vide ut natura, scientia et moribus tales per te introducantur, imo per nos tales in domo Domini ordinentur personæ, per quos diabolus procul pellatur, et clerus Domino Deo nostro multiplicetur.

Respondet archidiaconus vel capellanus : Quantum ad humanum spectat examen, natura, scientia et moribus digni habentur, et probi cooperatores effici in his, Deo volente, possunt.

Respondeat episcopus : Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus istos fratres consecrandos.

Post hæc prostrato episcopo et ordinandis, cantetur Litania. Et postquam dictum fuerit, Ut obsequium servitutis, etc., episcopus surgens et stans versus ordinandos, baculum in sinistra manu tenens, dicat : Ut hos electos benedicere digneris, te rogamus, audi nos. Ut hos electos benedicere et sanctificare digneris, te rogamus, audi nos. Ut hos electos benedicere et sanctificare et consecrare digneris, te rogamus, audi nos. Et sic ter facto signo crucis super eos, recumbit episcopus, clero prosequente Litaniam.

Ordinatio clericorum per primam tonsuram.

Si prima tonsura fuerit danda, detur post Kyrie eleison sive post Gloria in excelsis Deo. Sed quæratur primo, an sint A confirmati : quod si non, confirmentur.

Confirmatione autem facta, dicat episcopus :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Oremus, dilectissimi fratres, Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendas comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet B eis Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eis perpetuum conservet, et a mundi impedimento vel sæculari desiderio corda eorum defendat : ut sicut immutantur vultibus, ita manus dextera ejus virtutis eis tribuat incrementa, et ab omni cæcitate spirituali vel humana oculos eorum aperiat, et æternæ gloriæ lumen eis concedat. Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, etc.

Deinde tondeantur, et dicatur antiphona, C Tu es, Domine, qui restitues hereditatem meam mihi. Psalmus, Conserva me, Domine, dicitur usque ad versum, Dominus pars, etc. Et tunc quilibet tondendus dicat versum, Dominus pars hereditatis meæ. Tu es, etc. Gloria Patri. Tu es, Domine, qui.

Omnibus tonsis, dicat episcopus :

Oremus. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum pro divino amore deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneant, et eos sine macula gratia tua in sempiter- D num custodiat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde dicatur antiphona, Hi accipient benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo : quia hæc est generatio quærentium Dominum. *Psal.* Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo, usque ad finem, et repetatur antiphona, Hi accipient benedictionem a Domino.

Deinde dicat episcopus : Oremus. — Flectamus genua. — Levate.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hos famulos tuos benedicere dignare, quibus in tuo nomine sancto habitum sanctæ religionis imponimus, ut te largiente, devoti in Ecclesia tua persistere, et vitam percipere mereantur æternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tunc induat eos superpelliceis, dicens : Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Amen.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, propitiare peccatis nostris, et ab omni servitute sæcularis habitus hos famulos tuos emunda, ut dum ignominiam sæcularis habitus deponunt, tua semper in ævum gratia perfruantur, et sicut similitudinem tuæ coronæ eos gestare facimus in capitibus, sic tua virtute hereditatem consequi mereantur æternam in cordibus. Qui cum Patre et Spiritu Sancto, etc.

Deinde tradit eis antiphonarium ad tangendum, dicens : Videte ut quod ore cantatis, corde credatis; et quod corde creditis, operibus comprobetis. Quo facto adspergat eos aqua benedicta, et det eis benedictionem, dicens : Benedicat vos Dominus, et custodiat; ostendat Dominus faciem suam vobis, et misereatur vestri; convertat Dominus vultum suum ad vos, et det vobis pacem. Invocabo nomen Domini Dei super vos, ut ille vos benedicat. Amen. Et sequitur, Benedictio Dei Patris, etc. Et informet eos, ut deinceps portent coronam in capitibus suis, et quod omni die sub pœna peccati mortalis legant illum devotum psalmum, Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam; et quod sub eadem pœna recipiat unusquisque formatum suum de tonsura jam recepta.

Instructio episcopi. Scire debetis, omnes vos clerici ordinati nunc, per istam primam tonsuram vos factos de sorte Dei, a communi laicorum hominum consortio segregatos, et inter ministros Dei singulari modo applicatos, et propterea omnibus clericorum privilegiis gaudere vos posse, similiter et feuda Ecclesiæ recipere. Pro
A istis itaque gratiis et privilegiis debet quilibet vestrum quotidie legere sub pœna peccati mortalis psalmum, Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Quem etiam psalmum quilibet legere pro ordinario suo tenetur bis intra quindenam, pro sanitate et prosperitate ipsius. Hæc exponuntur in idiomate patriæ, propter juvenes non intelligentes.

Ordinatio ostiariorum.

Ordinandi ostiarii interrogandi sunt pri-
B mo, si omnes primam tonsuram habeant.

Admonitio episcopi. Suscepturi, filii carissimi, officium ostiariorum, videte quæ in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum, aperire ecclesiam et sacrarium, et aperire librum ei qui prædicat : quæ in vobis Dominus perficiat per suam misericordiam. Amen.

Tunc tradat eis claves ecclesiæ et nolam, dicens : Accipite hos claves, et sic agite quasi Deo reddituri rationem pro his
C rebus quæ in ecclesiis vobis commissis recluduntur.

Deinde dicat :

Oremus. — Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos benedicere dignetur quos in officium ostiariorum eligere dignatus est : ut sit eis fidelissima cura in domo Dei diebus et noctibus, ad distinctionem certarum horarum ad invocandum nomen Domini nostri Jesu Christi, adjuvante eodem Domino nostro Jesu
D Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. — Flectamus genua. — Levate.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium ostiariorum, ut inter janitores Ecclesiæ tuæ tuo pareant obsequio, et inter electos tuos partem mereantur habere mercedis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiri-

tus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ordinatio lectorum.

Deinde alloquatur ordinandos ad officium lectorum, dicens : Elegerunt vos fratres nostri, ut sitis lectores in domo Dei nostri, et ideo agnoscite officium vestrum, ut impleatis illud. Potens est enim Deus augere vobis gratiam perfectionis æternæ. Lectorem oportet legere ei qui prædicat, et lectiones veteris Testamenti pronuntiare, benedicere panem et omnes fructus novos, etc. : quæ in vobis Deus per suam gratiam impleat ad salutem. Amen.

Deinde tradat eis lectionarium, dicens : Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum his qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio.

Deinde dicat :

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos quos ad ordinem lectorum dignatur assumere, benedictionem suam clementer infundat, quatenus distincte legant quæ in Ecclesia Dei legenda sunt, et eadem operibus impleant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. — Flectamus genua. — Levate.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officio lectorum, ut assiduitate lectionum instructi sint atque ordinati, et agenda dicant, et dicta opere compleant : ut in utroque sanctæ Ecclesiæ filiis exemplo sanctitatis suæ consulant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ordinatio exorcistarum.

Admonitio episcopi. Ordinandi, fratres mei dilectissimi, in officium exorcistarum, debetis noscere quid suscipitis. Exorcistam oportet exorcismos memoriter A retinere, manusque super energumenos et catechumenos in exorcizando imponere, dæmones abjicere, et aquam in ministerio effundere : quæ vobis Dominus per Spiritum Sanctum concedat exsequi ad salutem. Amen.

Tunc tradat eis librum exorcismi ad tangendum, dicens : Accipite et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos sive catechumenos.

Oratio. Deum Patrem omnipotentem, B fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos benedicere dignetur in officium exorcistarum, ut sint spirituales imperatores ad abjiciendos dæmones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eodem vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

Oremus. — Flectamus genua. — Levate.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos C tuos in officio exorcistarum, ut per impositionem manuum suarum et oris officium, potestatem et imperium habeant spirituum immundorum nequitiam per verbum Filii tui Domini nostri Jesu Christi coercendi, atque probabiles sint medici Ecclesiæ tuæ, gratia curationum, virtuteque cœlesti confirmati. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

D

Ordinatio acolythorum.

Admonitio episcopi. Suscepturi, fratres carissimi, acolythorum officium, pensate quid suscipitis. Acolythum oportet ceroferarium ferre, luminaria accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare, etc. : quæ vobis Dominus digne exsequi concedat per suam misericordiam. Amen.

Deinde tradat eis ceroferarium cum cereo exstincto, ad tangendum ambabus manibus, dicens : Accipite ceroferarium cum

cereo, et sciatis vos ad accendenda lumi- A naria Ecclesiæ mancipari, in nomine Domini. Amen.

Postea tradat eis urceolum vacuum ad tangendum, dicens : Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini. Amen.

Oremus. — Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos benedicere dignetur in ordinem acolythorum : quatenus lumen visibile manibus præferentes, lumen quo- B que spirituale moribus præbeant, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. — Flectamus genua. — Levate.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum et Apostolos ejus, lumen claritatis tuæ in hunc mundum misisti, quique ut mortis nostræ antiquum aboleres chirographum, glorioso illum crucis vexillo affigi, ac sanguinem et aquam C ex latere illius pro salute generis humani effluere voluisti, benedicere dignare hos famulos tuos in officium acolythorum, ut ad accendendum lumen Ecclesiæ tuæ, et ad suggerendum vinum et aquam ad conficiendum sanguinem Christi Filii tui in offerenda Eucharistia sanctis altaribus tuis fideliter subministrent. Accende, Domine, mentes eorum et corda ad amorem gratiæ tuæ, ut illuminati vultu splendoris tui, fideliter tibi in Ecclesia tua sancta deserviant. Per eumdem Dominum nostrum Je- D sum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. — Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui ad Moysen et Aaron locutus es, ut accenderentur lucernæ in tabernaculo testimonii : benedicere et sanctificare dignare hos famulos tuos, ut sint acolythi in Ecclesia tua. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis et origo bonitatis, qui per Jesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque passionis mysterio redemisti, benedicere dignare hos famulos tuos quos in officium acolythorum consecramus, poscentes clementiam tuam, ut eorum mentes lumine scientiæ tuæ illustres, et pietatis tuæ rore irriges : ut ita perceptum ministerium auxiliante te peragant, quod ad æternam remunerationem pervenire mereantur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Tunc informet eos, ut bene et honeste vivant, dicens : Legitur enim primi Paralipomenon quintodecimo capitulo, quod David ministeria domus Dei amplians, ja- *I Par.* xv, nitores instituit et cantores ; et Salomon 16, 18. exorcistas invenit. Hæc omnia Ecclesia in novo Testamento imitata est. Habet enim janitores, quos ostiarios appellamus, quorum est officium ecclesiam Dei aperire fidelibus, et claudere infidelibus. Hoc intelligitur mystice, videlicet quod corda vestra, quæ secundum Apostolum, templum sunt *I Cor.* vi, 19. Spiritus Sancti, claudatis diabolo, et per virtuosam vitam aperiatis Deo. Item secundo, facti estis lectores, ut videlicet publice et in alto loco lectiones legere possitis in Ecclesia Dei, tam veteris quam novi Testamenti. Et tunc primo officium vestrum impleveritis, dum illa quæ legitis operibus comprobetis. Item tertio, facti estis exorcistæ, et secundum Isidorum, exorcista adjurans sive increpator vocatur. Hinc officium vestrum est, quod per verba oris vestri et manuum vestrarum impositionem, malignum spiritum a corporibus obsessis ejicere poteritis, quia estis spirituales imperatores diaboli. Sed malignum spiritum a corporibus obsessis minime ejicere poteritis, nisi primo a vobis ipsum diabolum, id est peccata mortalia, ejeceritis. Item quarto, facti estis acolythi. Acolythi Græce ceroferarii sive accensores

luminum nuncupantur. Tunc autem recte A luminaria ecclesiæ accenditis, dum per bona opera vestra aliis lucis exempla demonstratis. Etiam acolythi debent vinum et aquam ministrare ad Eucharistiam : quod tunc recte fit, dum per castam vitam vestram vos ipsos Deo hostiam offertis. Quibus gratiis attentis et pensatis, in recompensam Deo obligati estis singulis diebus dicere septem psalmos pœnitentiales cum litania, sub pœna peccati mortalis. Et cum hoc, quivis vestrum infra hinc et proximam quindenam, flexis genibus dicat sep- B tem psalmos cum litaniis, pro bono et felici statu reverendissimi patris et domini D. nostri, gratiosi archiepiscopi inclytæ Ecclesiæ Coloniensis. Et sub pœna excommunicationis, nullus recedat ante finem Missæ, et nisi habeat formatum suum secum super ordinibus nunc susceptis.

Ordinatio subdiaconorum.

Episcopus ordinaturus subdiaconos sic proclamet : Si quis habet aliquid contra hos viros, aut propter Deum dimittat, aut C cum fiducia exeat et dicat; verumtamen memor sit conditionis suæ.

Et tunc alloquitur eos dicens : Adepturi, fratres carissimi, officium subdiaconatus, sedulo attendite quale ministerium vobis traditur. Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris præparare, patenam et calicem ad altare deferre et diacono ministrare, pallas altaris et corporales abluere. Ubi corporales pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari; ipsa lotionis aqua in baptisterium debet effun- D di. Et ideo si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui; si usque nunc somnolenti, amodo vigilantes; si usque nunc ebriosi, amodo sobrii; si usque nunc impuri, amodo casti; si usque nunc aliquo vitio polluti, amodo mundi esse debetis. Ideo vos admoneo, ut tales vos exhibeatis, quatenus Deo placere possitis.

Deinde tradat duobus vel tribus calicem vacuum cum patena ad tangendum ambabus manibus, dicens : Accipite potestatem præparandi et offerendi calicem cum oblata, vino et aqua, ad conficiendum in eo *Cf.* p. 234 A, B. pro salute vivorum et mortuorum, corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Interim cantetur antiphona, Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo, cum isto psalmo, Credidi propter quod locutus sum. Et post quemlibet versum repetatur antiphona.

Post hoc illis genua flectentibus, episcopus stans cum baculo, dicat in modum capituli : Deum ac Dominum nostrum, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut super servos suos quos ad subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem suam et gratiam : ut in conspectu ejus fideliter servientes, prædestinata sanctis præmia consequantur, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Tunc conversus ad altare, dicat : Oremus. Diaconus : Flectamus genua. — Levate.

Et mox conversus ad ordinandos, illis genua flectentibus, dicat in modum capituli : Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos quos ad subdiaconatus officium eligere dignatus es, ut eos in sacrario tuo sancto strenuos sollicitosque cœlestis militiæ instituas excubitores, sanctisque altaribus tuis fideliter subministrent; et requiescat super eos spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et repleas eos spiritu timoris tui; et eos in ministerio tuo divino confirmes, ut obedientes facto, atque dicto parentes, tuam gratiam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde ponat in sinistro brachio cujus-

libet manipulum, dicens : Accipe manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Medio tempore cantetur responsorium, Te sanctum Dominum.

Deinde legat in modum capituli super ordinandos : Investione horum manipulorum subnixe te, Domine, deprecamur, ut hi famuli tui operentur in temporali conversatione, quatenus exemplo priorum patrum, in futuro mereantur perenniter gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post hæc imponat tunicellam cuilibet et retrahat præterquam ultimo, cui induet totaliter dicens : Induat te Dominus vestimento salutis et tunica justitiæ. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Et interim cantetur responsorium, Justum deduxit Dominus.

Deinde tradat duobus vel tribus simul librum Epistolarum, dicens : Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

His itaque peractis, reponat episcopus se super sedem suam, et informet ordinatos, dicens : Vos, inquam, electi, qui sacrum ordinem subdiaconatus suscepistis, scire debetis, quod secundum jura, ordines sacri non dantur nisi in certis temporibus in jure expressis; et ante collationem sacrorum ordinum Ecclesia præmittit certas lectiones veteris Testamenti, et etiam novi, in signum hujus quod ad hos ordines nemo debet promoveri nisi peritus in veteri et novo Testamentis : quia sacro isto ordine suscepto, obligatur unusquisque ad septem horas canonicas singulis diebus legendas, quæ sumptæ sunt ex utroque Testamento. Et attento quod subdiaconi obligantur ad horas canonicas, nemo ad hunc ordinem promoveri debet nisi sit provisus de competenti vitæ, ut non habeat necessario acquirere victum et amictum aliunde, puta per mercantiam et alia negotia sæcularia, quia juxta Apostolum,

A nemo militans Deo, immiscet se sæcula- II Tim. II, 4.
ribus negotiis, ut eo liberius Deo vacare valeat : quia per istum ordinem estis penitus a mundo abscissi. Et caveant super omnia, ne quis conficto vel falso titulo præsumat accedere. Et quilibet vestrum salvis horis canonicis, infra hinc et proximam quindenam, dicere debet tres primos nocturnos Psalterii pro bono et felici statu reverendissimi patris ac domini D. nostri, gratiosi archiepiscopi inclytæ Ecclesiæ Coloniensis. Et sub pœna excom-
B municationis, nullus recedat ante finem Missæ, et nisi habeat formatum suum secum super ordinibus nunc susceptis.

Post hæc surgat episcopus, et convertens se ad populum, baculum in manu tenens, dicat : Pax vobis; respondente clero : Et cum spiritu tuo. Et conversus ad altare legat collectam diei, concludendo cum collecta : Exaudi, quæsumus, Domine, preces supplicum, et devoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi, ut nullis persecutionibus impe-
C diti, liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde unus ordinatorum legat Epistolam, qua lecta cantetur Graduale, vel id quod cantandum est.

Ordinatio diaconorum.

Finita Epistola ac Graduali, clametur : Accedant ordinandi ad diaconatum.

D Deinde archidiaconus vel capellanus alloquitur episcopum, dicens : Postulat sancta mater Ecclesia, Reverende pater, ut hos præsentes subdiaconos ad onus diaconi ordinetis. Et quærat episcopus : Scis illos dignos esse? Respondet : Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsos dignos ad onus hujus officii. Et mox subjungit episcopus : Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus hos præsentes subdiaconos ad ordinem diaconatus. Si quis autem

habeat aliquid contra illos, pro Deo cum fiducia exeat et dicat; verumtamen memor sit conditionis suæ.

Post hæc alloquitur ordinandos, dicens : Promovendi, dilectissimi, ad Leviticum ordinem, cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare sacerdoti ad altare, baptizare et prædicare verbum Dei : quæ vobis Dominus concedat per suam gratiam ad salutem.

Deinde stans, et baculum in manu tenens, dicat : Commune votum communis oratio prosequatur, ut hi totius Ecclesiæ prece qui in diaconatus ministerium præparantur, Leviticæ benedictionis ordine clarescant, et spirituali conversatione præfulgentes, gratia sanctificationis eluceant, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde eis genua flectentibus, stans versus ad eos, dicat legendo hanc præfationem : Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut supra hos famulos suos quos ad sacrum ordinem diaconatus assumere dignatus est, benedictionis suæ gratiam clementer infundat, eisque consecrationis indultæ propitius dona concedat *, et preces nostras clementer exaudiat : ut quæ nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio, et quos sacris exsequendis mysteriis pro nostra intelligentia credimus offerendos, sua benedictione sanctificet et confirmet, ut prædestinata sanctis præmia consequantur, per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum ipso Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus.

* conservet

Et mox episcopus, surgentibus ipsis, subjungat præfationem sequentem, junctis manibus ante pectus, dicens :

℣. Per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

A ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum dator, ordinumque distributor, atque officiorum dispositor : qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponis : qui per Verbi * virtutem sapientiamque tuam Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia singula præparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas : cujus corpus, Ecclesiam videlicet tuam, cœlestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris, sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens, electis ab initio Levi filiis, qui in mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hereditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quæsumus, Domine, placatus intende, quos sacris tuis altaribus servituros in officium diaconii suppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines, divini sensus et summæ rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem, Domine, ea quæ nobis sunt ignota non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum; tu scrutator es cordium; tu horum vitam cœlesti poteris examinare judicio, quo semper prævales et admissa purgare et ea quæ agenda sunt concedere.

* Verbum

Deinde cantet chorus versus de Alleluia Paracletus. Et solus episcopus manus imponat super caput cujuslibet, dicens : Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus.

Quo facto, dicat episcopus in pristino tono : Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi, septiformis gratiæ

tuæ munere roborentur, et abundet in eis A totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritualis observantiæ disciplina. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctam plebes acquirant; et bonum conscientiæ testimonium præferentes, in Christo firmi et stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam potiora capere mereantur.

Et submissa voce prosequatur: Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum B Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti.

Deinde chorus cantet offertorium, Elegerunt Apostoli Stephanum; vel responsorium, Stolam jucunditatis.

Et episcopus sedendo vel circumeundo imponat cuilibet super sinistrum brachium stolam, dicens : In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, accipe stolam jucunditatis, quam immaculatam perferas ante tribunal Christi, et agnosce officium tuum atque impleas illud: potens est enim C Deus augere tibi gratiam. Amen.

Tunc chorus cantet responsorium, Levita Laurentius.

Et episcopus aptatam dalmaticam imponat cuilibet et retrahat, sed ultimo induat totaliter, dicens : Induat te Dominus vestimento salutis, et circumdet te semper indumento lætitiæ. In nomine Domini. Amen.

Postea dicat collectam sequentem : Domine sancte, Pater fidei, spei, gratiæ, et profectuum munerator, qui in cœlestibus D et terrenis angelorum ministeriis ubique dispositis, per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum, hos quoque famulos tuos spirituali dignare illustrare adspectu, ut tuis obsequiis expediti, sanctis altaribus tuis ministraturi puri accrescant, et indulgentia tua puriores, eorum gradu quos Apostoli tui in septenario numero, B. Stephano duce ac prævio, Spiritu Sancto auctore elegerunt, digni exsistant, et virtutibus universis quibus tibi servire oportet, instructi, dono Spiritus Sancti polleant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Postea tradat duobus simul vel tribus per ordinem librum Evangeliorum tangendum ambabus manibus, dicens : Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro mortuis. In nomine Domini. Amen. Et interim cantetur antiphona, Euntes in mundum universum.

Quo facto, episcopus versus ad altare, dicat : Oremus. Et dicatur : Flectamus genua. Levate.

Et conversus ad ordinandos, illis genua flectentibus, dicat : Exaudi, Domine, preces nostras, et super hos famulos tuos spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœlesti munere ditati, et tuæ majestatis gratiam possint acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde sedendo informet eos ut honeste et sancte vivant, dicens : Legitur, quod in veteri Testamento, ex duodecim tribubus una, scilicet Levi, electa est ut tabernaculo Dei ejusque sacrificiis, ritu perpetuo deserviret : quorum hodie, carissimi filii, et nomen et officium tenetis, quia ad ministerium tabernaculi testimonii, id est Ecclesiæ Dei, electi estis in Levitico officio; quæ semper in procinctu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat. Unde et Apostolus : Non est, inquit, nobis col- *Ephes.* VI, 12.
luctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ tela in cœlestibus. Quam Ecclesiam Dei, veluti tabernaculum, portare et munire debetis ornatu sancto, prædicatu divino, exemplo perfecto. Levitæ, id est diaconi, dicuntur assumpti vel ministri Dei. Et vos, filii, qui ab hereditate paterna nomen accepistis, estote assumpti a carnalibus desideriis, a

terrenis concupiscentiis, quæ secundum B. Petrum, militant adversus animam. (*I Petr.* II, 11.) Estote, inquam, nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, ut digne addamini et numeremini Ecclesiæ gradus *, ut hereditas et tribus amabilis Domini esse mereamini. Et quia comministri et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura : (*Is.* LII, 11.) Mundamini, qui fertis vasa Domini. Cogitate B. Stephanum merito præcipuæ castitatis ab Apostolis ad istud officium electum. Curate ut quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur : Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Habete pedes vestros calceatos Sanctorum exemplis, in præparatione Evangelii pacis : quod vobis Dominus concedat per gratiam suam. Amen.

* gradibus

Vos, inquam, obligati estis ad septem horas canonicas, et dicetis infra hinc et proximos quatuordecim dies, tres sequentes nocturnos, videlicet incipiendo a quinta feria, Salvum me fac, Deus, usque ad, Dixit Dominus Domino meo, pro gratiosissimo domino Coloniensi.

Et monet quod non recedant ante finem Missæ, et quod secum recipiant formata super ordine jam recepto.

Deinde legatur Evangelium ab uno noviter ordinato.

Ordinatio presbyterorum.

Finito Evangelio, archidiaconus clamat alta voce, dicens : Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem presbyterii. Et mox sigillatim et nominatim eos vocat. Tunc illi more diaconorum parati amictu, alba, stola et manipulo, tenentes planetas super brachia complicatas et candelas accensas in manibus, bini et bini coram ordinatore accedunt, et coram eo se in modum choreæ disponunt.

Omnibus ergo hoc ordine dispositis, archidiaconus dicit alta voce in tono lectionis : Postulat sancta mater Ecclesia, Reverende pater, ut hos præsentes diaconos ad onus presbyterii ordinetis. Et quærit episcopus : Scis illos dignos esse? Respondet : Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsos dignos esse ad onus hujus officii. Et mox subjungit episcopus : Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus hos præsentes diaconos ad ordinem presbyterii. Si quis autem habeat aliquid contra illos, pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat et dicat; verumtamen memor sit conditionis suæ.

Tunc dicat episcopus sedendo : Consecrandi, fratres carissimi, in presbyteratus officium, illud digne suscipere atque laudabiliter exsequi studeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare et baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, atque providendum ut cœlestis sapientia, probi mores et diuturna justitiæ observatio, ad id electos commendent. Unde Dominus præcipiens Moysi ut septuaginta viros de universo cœtu in adjutorium suum eligeret, quibus Spiritus Sancti dona divideret, suggessit : Quos tu nosti quod senes populi sunt. (*Num.* XI, 16.) Vos siquidem in septuaginta viris et senibus signati estis, si per Spiritum septiformem, Decalogum legis custodientes, probi et maturi in scientia similiter et opere estis. Sub eodem quoque mysterio et eadem figura, in novo Testamento Dominus septuaginta duos elegit, atque binos ante se in prædicationem misit, ut doceret verbo simul et facto, ministros Ecclesiæ suæ fide et opere debere esse perfectos, seu geminæ dilectionis, Dei videlicet et proximi, virtute fundatos. Tales itaque esse studeatis, ut in adjutorium Moysis et duodecim Apostolorum, episcoporum videlicet catholicorum, qui per Moysen et Apostolos figurantur, digne per gratiam Dei eligi valeatis. Hinc certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur et regitur, quum alii in ea pontifices, alii minoris ordinis sacerdotes, diaconi, et diversorum ordinum viri consecrantur; et ex multis et alternæ dignitatis membris

unum corpus Christi efficitur. Itaque, dilectissimi, quos ad nostrum adjutorium, fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris castæ ac sanctæ vitæ integritatem. Agnoscite quod agitis; imitamini quod tractatis, quatenus dominicæ passionis mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum familiæ Dei: quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamini. Quod ipse vobis concedat per gratiam suam. Amen.

A

Tunc duo presbyteri induti casulis, binos et binos ante sedem pontificis ducant; et eis genua flectentibus, quærat episcopus: Sunt digni? Respondeant presbyteri: Digni sunt. Iterum episcopus: Sunt justi? Respondeant presbyteri: Justi sunt. Episcopus: Dignos et justos faciat illos Deus in suo semper servitio manere. Respondeatur: Amen.

B

Iterum interrogat episcopus ordinandos: Vultis presbyterii gradum in nomine Domini accipere? Respondeat unusquisque pro se: Volo. Episcopus: Vultis in eodem gradu quantum prævaletis et intelligitis, secundum canonum sanctiones jugiter manere? Respondeant: Volo. Iterum episcopus: Vultis episcopo vestro ad cujus parochiam ordinandi estis, obedientes et consentientes esse secundum justitiam, in ministerium vestrum? Respondeat unusquisque ordinandorum, ponendo primos duos digitos utriusque manus super librum pontificalem, dicens: Volo, et hoc Deo et Sanctis ejus ita in præsenti promitto, prout scio et adimplere valeo. Sic me Deus adjuvet et omnes Sancti ejus, etc.

C

Tunc subjungit episcopus dicens: Voluntatem vestram bonam et rectam, Deus ad perfectionem sibi placitam perducere dignetur. Amen.

D

Tunc episcopus flexis genibus, mitra deposita, incipiat: Veni, Sancte Spiritus, etc. Et prosequente choro, ipse statim surgens, resumpta mitra, manus cum adstantibus sacerdotibus super capita singulorum ponat, ipsis genua flectentibus, dicens cuilibet: Accipe Spiritum Sanctum per impositionem manuum nostrarum; quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis peccata, retenta erunt. Et interim cantetur antiphona, Accipite Spiritum Sanctum.

Post hæc episcopus stans cum baculo, manum dexteram suspensam tenens, dicat hanc orationem:

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos quos ad presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet: ut quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. Per Dominum nostrum, etc.

Tunc conversus ad altare, dicat: Oremus. Diaconus: Flectamus genua. — Levate.

Et mox versus ad ordinandos genua flectentes, dicat: Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos benedictionem Sancti Spiritus et gratiæ sacerdotalis infunde virtutem, ut quos tuæ pietatis adspectibus offerimus consecrandos, perpetua tui muneris largitate prosequaris. Per Dominum nostrum, etc., in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Deinde ipsis surgentibus, episcopus junctis manibus ante pectus, dicat voce mediocri hanc præfationem:

℣. Per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum dator et distributor

omnium dignitatum, per quem proficiunt A universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationabilis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositis. Unde et sacerdotales gradus atque officia Levitarum sacramentis mysticis instituta creverunt, ut quum Pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis et operis adjumentum, sequentis ordinis viros et secundæ dignitatis eligeres. Sic et in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes, Moysis spiritum propagasti, quibus ille B adjutoribus usus, in populo innumerabiles multitudines facile gubernavit. Sic et in Eleazarum et Ithamarum, filios Aaron, paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares et frequentioris officii sacramenta ministerium sufficeret sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum fecundis prædicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, quæsumus, hæc adjumenta largire, qui C quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da igitur, quæsumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent. Sint providi cooperatores ordinis nostri, ut luceat in eis totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. D

Quod sequitur legatur plane sine nota : Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Postea cantetur responsorium, Tollite jugum.

Et episcopus reflectit orarium cuilibet, dicens : Accipe jugum Domini ; jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve. In nomine Domini. Amen.

Deinde imponat casulam cuilibet antependentem, sed retro plicatam manentem, dicens : Accipe vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur; potens est enim Dominus augere tibi caritatem et opus perfectum. Respondeatur : Deo gratias. Et cantetur medio tempore responsorium, Sint lumbi vestri præcincti.

Deinde episcopus reversus ad altare, conversus ad eos, ipsis genua flectentibus, dicat orationem hanc : Deus sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio plenaque benedictio est, tu, Domine, super hos famulos tuos quos presbyterii honore dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde, ut gravitate actuum et censura vivendi præbeant se esse seniores, his instituti disciplinis quas Tito et Timotheo Paulus exposuit : ut in lege tua die ac nocte omnique tempore meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur; justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, ceterasque virtutes in se ostendant, exemplo præbeant, admonitione confirment; ac purum atque immaculatum ministerii sui donum custodiant; et per obsequium plebis tuæ, panem et vinum in corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment; et immobili caritate in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, in die justi et æterni judicii Dei, conscientia pura, fide vera, Spiritu Sancto pleni resurgant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde episcopus deposita mitra, flexis genibus ante altare, incipiat alta voce : Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda, etc.

Quo dicto, episcopus resumpta mitra, lavet manus suas. Et accepto oleo catechumenorum, ungat manus cujuslibet, incipiens a pollice dextro ad indicem sinistrum, et postea a pollice sinistro ad indicem dextrum, dicens : Consecrare et

sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram benedictionem, ut quæcumque consecraverint consecrentur, et quæcumque benedixerint benedicantur et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi. Et ordinandus respondeat : Amen. Interim cantetur, Infunde unctionem, cum sequentia, Sancti Spiritus ; et ad quemlibet versum repetatur, Infunde, etc.

Quo facto, episcopus lavet manus suas, et accipiens calicem cum vino et aqua et patenam desuper cum oblata, choro cantante responsorium, Vere felicem præsulem, tradat eum cuilibet inter indicem et medium, ad tangendum pedem calicis et oram patenæ, dicens : Accipe potestatem offerendi Deo sacrificium, Missamque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. *Respondetur* Amen.

Deinde episcopus accepto baculo, dicat hanc orationem : Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur, da his famulis tuis prosperum officii sui ac dignitatis effectum, ut in confectione sacri corporis et pretiosi sanguinis dilecti Filii tui, te super omnia diligant et in omnibus timeant, tibique jugiter placere contendant. Per Christum Dominum nostrum.

Tunc episcopus circuiens dicat ad singulos : Pax tecum. Et det eis osculum, et recommendet se singulorum orationibus, dicens : Recommendo me orationibus tuis.

Quo facto, detur benedictio sacerdotalis : Benedictio Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos, ut sitis benedicti in ordine sacerdotali, et offeratis placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi, omnipotenti Deo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. *Respondetur* Amen.

Postmodum ponat se episcopus ad sedem suam revertendo se ad ordinatos, exhortando eos ut considerent qualem ordinem susceperint, dicens ad eos : O vos sacerdotes, attendite verbum Domini, primo Regum, secundo capitulo scriptum,

A Suscitabo mihi sacerdotem qui juxta cor *I Reg.* II, 35. meum et animam meam faciet. Quæ verba de sancto sacerdote et propheta Samuele Dominus locutus est. Simili modo ad hoc sacerdotes a Deo ex sua infinita bonitate electi sunt, ut juxta cor suum et voluntatem ei semper vivant. Unde Bernardus : O vos sacerdotes, considerate inenarrabilem ordinis sacerdotalis excellentem dignitatem, quod vos Deus non solum præ ceteris hominibus, verum etiam præ cunctis creaturis honoravit, quas ad laudem
B et gloriam nominis sui creavit, inquiens : Ego elegi vos de mundo, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat. *Joann.* xv, 16. Ego elegi vos, scilicet ad ordinem sacerdotalem, ut in eo eatis, prædicando, docendo, et fideliter operando, ut fructus vester maneat, æternaliter regnando. Carissimi, grandis est dignitas ordinis sacerdotalis, sed grandissimam ruinam malorum sacerdotum attendite, si Deo peccando non obedieritis. Quod in dignitate grandi estis, Apostolorum princeps est auctor, in-
C quiens : Vos estis genus electum, regale *I Petr.* II, 9. sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Sacerdotes vocati sunt Domini et Dei nostri ministri, cœli janitores et animarum pastores, quibus claves regni cœlorum traditæ sunt, quibus oves familiæ Dei commissæ sunt. Hæc diximus, ut cognoscatis grandem dignitatem ordinis quem hodie recepistis ; sed revera ruina malorum sacerdotum est tam grandis tamque terribilis, ut ineffabilis sit, difficilis quoque cogitatu. Sunt enim mali sacerdo-
D tes genus reprobum, diabolicum sacerdotium, gens iniqua, populus perditionis. Tot mortibus digni sunt, secundum Gregorium, quot exempla perditionis ad subditos transmittunt. Quum causæ ruinæ populi, sint sacerdotes mali, reddituri sunt rationem nedum de suis delictis, sed omnium quorum abutuntur donis. Ideo dicit Bernardus : Miror cujus ordinis sint sacerdotes. In apparatu vestium habent se ut milites, in aggregatione bonorum temporalium ut laici, in receptione spiritualium

ut clerici ; non militant ut milites, non laborant ut laici, non evangelizant ut clerici : ergo nullius ordinis sunt. Ibunt ergo *Job* x, 22. ubi nullus est ordo, sed ubi perpetuus horror inhabitat. A quo nos omnes custodiat Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre, etc.

Post hæc cuilibet ordinatorum solent injungi tres Missæ speciales. Prima de Spiritu Sancto, pro salute reverendissimi domini metropolitani, vel episcopi in cujus ecclesia ordinatio fit : ut operante Spiritus Sancti gratia, semper in beneplacito Dei omnipotentis debitum sui officii exsequatur. Secunda de beatissima virgine Maria, ut ipsa pro suo ordinatore, apud misericordiam Filii sui pia interventrix exsistat. Tertia (scilicet Requiem æternam) erit pro omnibus parentibus, amicis et recommendatis ipsius metropolitani, vel episcopi, ac suffraganei et ordinatoris, omnibusque fidelibus defunctis.

Denique solent injungi statim post primitias, triginta missæ continue legendæ ad placitum, prout occurrunt : non ob aliud, ut puto, nisi ut novelli sacerdotes, quamdiu instructorem ad manum habent, habitum usumque celebrandi acquirant. — Insuper solet rogare ordinator omnes ordinatos, ut quam primum intellexerint eum viam universæ carnis ingressum, quilibet unam Missam legat pro salute animæ ipsius.

Quo dicto, denuntiat episcopus populo indulgentias solitas.

Postea profert sententiam excommunicationis in hunc modum : Nos N., Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus, reverendissimi in Christo patris et domini D. N. archiepiscopi vel episcopi N. per civitatem et diœcesim N. in pontificalibus vicarius generalis, auctoritate apostolorum Petri et Pauli, ac Ecclesiæ nobis in hac parte commissæ, excommunicamus in his scriptis universos et singulos clericis per nos ordinatis injurias, violentias, seu impedimenta alia in corporibus, rebus seu redditibus eorum sine juris ordine debito

A irrogantes. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

His peractis, dicatur Dominus vobiscum, vel Credo, si debeat dici. Deinde dicatur offertorium diei, et parentur hostiæ secundum numerum ordinatorum. Et facta oblatione procedatur in Missa more solito. Et concludatur secreta hic posita cum secreta diei : Tuis, quæsumus, Domine, operare mysteriis, ut hæc tibi munera dignis mentibus offeramus. Per Dominum. Usquequo perventum fuerit ad Pax Domini,

B ubi diaconus se convertens ad populum, dicat : Humiliate vos ad benedictionem. *Respondetur* Deo gratias.

Tunc episcopus resumpta mitra et baculo, convertens se ad ordinatos, ipsis genua flectentibus, det eis benedictionem, dicens : Omnipotens Deus sua vos clementia benedicat, et sensum in vobis sapientiæ salutaris infundat. Amen. Catholicæ fidei vos documentis enutriat, in sanctis operibus perseverabiles reddat. Amen. Gressus vestros ab errore convertat, et viam pacis

C vobis et caritatis ostendat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen. Benedictio Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper. Amen.

Deinde amotis mitra et baculo, dicat : Et pax Domini sit semper vobiscum.

Postquam autem episcopus communicaverit, mox sacerdotes ordinati communicent de manu ejus, et communicandi præ-

D mittunt confessionem generalem. Et dum communicat eos, cantor incipit responsorium, Jam non dicam vos servos, sed amicos, etc. Et dum communicat singulos sacerdotes ordinatos, dicet cuilibet : Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te et perducat in vitam æternam. Amen.

Quo facto, procedatur in Missa usque dum perventum fuerit ad Complendam : ubi descendens episcopus deponat cuilibet sacerdoti noviter ordinato casulam re-

tro, dicens : Stola innocentiæ induat te Dominus. Ita tamen quod manus ordinatorum semper junctæ remaneant.

Et mox iterum unusquisque ad episcopum sigillatim accedit, ponens manus suas junctas inter manus episcopi, dicentis : Promittis episcopo tuo ad cujus parochiam ordinatus es, reverentiam et obedientiam ? Et ille respondet : Promitto. Pontifex tenens sic manus illius inter suas, osculetur mox unumquemque dicens : Pax Domini sit semper tecum. Et ille respondet : Amen.

His expletis, et omnibus ad ordinem suum reversis, dicit ad eos : Et quia res quam tractaturi estis, periculosa est, fratres carissimi, moneo vos ut diligenter et honeste totius Missæ ordinem, et hostiæ consecrationem et fractionem, atque communionem, ab aliis jam bene doctis sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandum Missam accedatis.

Quo facto, redeat ad altare, et convertens se ad populum, baculum in manu tenens, dicat : Dominus vobiscum. Clerus : Et cum spiritu tuo. Episcopus legat complendam diei, concludendo cum complenda quæ sequitur.

Complenda. Quos tuis, Domine, reficis sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis, ut tuæ redemptionis effectum et mysteriis capiamus et moribus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Et finiatur Missa more solito; qua finita recedat episcopus, præcedentibus eum ministris suis, sequentibus eum presbyteris ordinatis binis et binis, usque ad vestibulum pro ablutione manuum. Et interim cantetur responsorium, Ite in orbem universum, et prædicate, dicentes.

De hoc sacramento tractatum est supra per duas distinctiones, videlicet 24, 25.

MATRIMONIUM

Matrimonium, septimum Ecclesiæ sacramentum, omnium sacramentorum primum, et ante peccatum inter masculum

A et feminam a Deo institutum, divina benedictione sanctificatum ac fecundatum, est conjunctio legitima viri et mulieris, individuam vitæ consuetudinem retinens; vel, (*Cf.* p. 75 C et s.) est duarum idonearum personarum legitimus de conjunctione consensus; vel, est sancta et sanctificata ac perfecta societas, sive perfectæ ac sanctæ societatis vinculum maris et feminæ; vel, est unius ad unam plenum jus conjugalis usus, utroque alteri in corpus suum dante; vel, est conjunctio animorum et conjugum relatio. De-

B bet autem esse legitimum et ratum, inter fideles et legitimas personas, cum legitima solennitate et recta intentione contractum, in facie Ecclesiæ debito tempore solennizatum. Postea biduo vel triduo castitas custodiatur, ut orationi vacetur, et interim discat quisque conjugum vas suum, id est comparis sui corpus, possidere (I *Thess.* IV, 4, 5.) in sanctificatione et honore, et non in passione desiderii. Honor enim et reverentia (quemadmodum omnibus Ecclesiæ sacramentis) debetur Matrimonio.

C Et ideo, ut actibus ejus præsto sit divina gratia, et virtutis auxilia, et absque (*Cf.* p. 109 et s.) peccato fiant, nihil intendi debet nisi proles ad Dei cultum educanda, aut conservatio generis, sive justitia reddendi debitum, vel custodiendi se vel conjugem a contaminatione fornicationis aliisque prohibitis contaminationibus carnis. Qui autem contrahendo, non ista, sed matrimonio contraria intenderet, videlicet divitias ex avaritia, superbiam, pulchritudinem amore explendæ libidinis ac voluptatis,

D aut principaliter ipsam libidinem, mortaliter peccaret, quum dicat Augustinus : Adulter est, qui in propria uxore transitoriam quærit voluptatem, scilicet solam. (*Cf.* p. 106 in fine, 112 D.) Nam si ita quærat, ut alios fines licitos non excludat, solum venialiter peccat. Refrenanda est itaque et vehementer restringenda bestia illa, videlicet libidinosa voluptas, quæ majorem partem generis humani ab initio usque in finem devorare et absorbere non cessat. Quare videmus multos se prostituere omni vitio et desiderio car-

nis, et abire post flagitia et passiones ignominiæ, et abuti et contemnere proprias conjuges, factos quasi equus et mulus, quibus non est intellectus. *Tob.* VI, 17.

Ut autem honestum sit connubium et benedici a Deo mereatur, Dei honor ex prole, justitia et caritas in conjuge in omni conjunctione cogitetur, cum erubescentia quadam turpitudinis, et humiliatione cordis, quod ex peccato factum sit, quod jam absque peccato sanctus ille matrimonialis actus vix unquam fieri possit, quo etiam jam multi ex sola libidine in injuriam Dei et sacramenti tam enormiter abutuntur. Denique retractent sæpe inter se, aut quisque ipsorum per se, matrimonium esse signum sacrum matrimonii et connexionis spiritualis Christi et Ecclesiæ, Dei et animæ cujusque fidelis. Et quemadmodum vir conjunctione et amplexu carnali, de uxore quærit generare filios per transfusionem seminis in ipsam uxorem (sicut agricola in agrum semen spargens), quæ alias nunquam erat conceptura; sic anima Dei sponsa, ex caritativo ejus amplexu generare debet bonorum operum sobolem, et prolem, divini honoris cupidinem : quod nisi fecundata gratia nunquam posset. Et sicut jure matrimonii uxor subjecta debet esse regimini viri, ita anima subjecta debet esse Deo, legibus ejus et jussis in nullo operibus contradicendo.

Insuper, quemadmodum quilibet conjugum comparem pulchrum optat, per omnia placentem ; sic semper animam suam decore virtutum speciosam et per omnia Deo placentem exhibere studeat. Item, sicut castitatem corporis in invicem zelant, et omnes reliquas virtutes ; multo amplius sciant Deum zelare omnes virtutes in anima, sponsa sua. Amplius, sicut uxorem decet habere curam domus ut munda sit, custodiamque et educationem filiorum ; sic et Deus animam cujusque vult curam et sollicitudinem gerere domus conscientiæ suæ, ut munda sit ab omni inquinamento carnis et spiritus, et ut nutriat et educet

A pinguedine devotionis et lacrimarum assuefactione filios bonorum operum. Et hoc pacto voluptatem potest habere spiritualem concubitus, licet carnalis sit, et onera matrimonii, quæ multa et gravia sunt, levius ferri. Et revera matrimonium multa et gravia onera habet annexa. Quale onus servitus reddendi debitum conjugale, et erubescentia illius ? Quanta ærumnositas prægnantium? Quantus dolor partus? Quantus labor, sollicitudo et miseria nutrientium ? Quantum onus viris providere B prægnantibus, enixis et nutrientibus, custodire, regere et nutrire uxores, liberos et familiam? Sed arcta est via quæ ducit ad vitam æternam, et per multas tribulationes pervenitur ad illam, etiam ex omni statu Ecclesiæ.

Causæ matrimonium ipsum honestantes, et actum ejus a peccato excusantes, sunt fides, sacramentum, proles, vitatio fornicationis, etc. Materia ejus sunt actus exteriores maris et feminæ, disponentium se ad mutuum consensum, aut verbum pri- C mo prolatum ab altero de consensu. Forma sacramenti sunt verba exprimentia consensum in mutuam et perpetuam indissolubilem societatem maris et feminæ, jus perpetuum alteri altero in se dante ; vel verbum secundo prolatum ab altero conjugum : ut quum ad verbum illius qui primo dicit, Accipio te in uxorem, accedit verbum alterius dicentis, Et ego accipio te in virum, vel econverso, sit sacramentum. Nec dicendum est, quod conjunctio vel benedictio sacerdotis sit forma hujus D sacramenti, quæ solum est quid sacramentale, non quid pertinens ad sacramentum. Minister tamen est sacerdos, sine quo in facie Ecclesiæ sacramentum ipsum solennizari non debet, quia propter pericula spiritualia et carnalia adjuvandi sunt et muniendi nubentes oratione et benedictione sacerdotali, quæ est oratio totius Ecclesiæ nunquam fructu carens. Quoniam itaque absque oratione, benedictione et divini nominis invocatione non sunt solennizanda matrimonia, sequitur modus.

Benedictio annuli.

Ps. LXVII, 29-31. Manda, Deus, virtuti tuæ; confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum; ut excludant eos qui probati sunt argento. Gloria Patri.

Oratio. Benedic, Domine, annulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus: ut qui eum portaverit, in tua pace consistat, et in tua voluntate permaneat, ac in amore tuo vivat, crescat, senescat et multiplicetur in longitudinem dierum. Per Christum Dominum nostrum.

Alia. Creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor salutis æternæ, tu, Domine, mitte Spiritum Sanctum tuum paracletum super hunc annulum, ut armatus virtute cœlestis benedictionis illi proficiat ad æternam salutem. Per Christum.

Post benedictionem annuli sacerdos quærat de nominibus sponsi et sponsæ, et sub illis nominibus quærat, an velint copulari legitimo matrimonio: quibus respondentibus quod sic, recipiat sacerdos annulum benedictum, et det viro ad manus, dicendo quod imponat mulieri ad digitum annularem dextræ manus. Quo facto, sacerdos jungat manus dextras amborum dicendo idiomate patriæ: Ea conjunctione qua Deus Adam et Evam conjunxit insimulque commendavit, ego vos conjungo insimulque commendo. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde dicat sacerdos:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Deus Abraham, etc., ut statim infra.

Item si nuptiæ non sunt primæ ex parte viri, sed mulier virgo est, benedicuntur nuptiæ per omnia cum orationibus ut supra. In omnibus aliis nuptiis qualescumque etiam sint, hoc ipsum non fit. Sed tantum simpliciter fiunt benedictiones ad annulum, et ad sponsum et sponsam. Et evangelium, In principio erat Verbum, legatur cum sua conclusione.

Benedictio super sponsum et sponsam.

Psalmus. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. Gloria Patri et Filio. Sicut erat in principio.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servum et ancillam tuam, Domine.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. — Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob sit semper vobiscum, ipseque vos conjungat et impleat benedictionem suam in vobis. Per Christum.

Alia oratio. Respice, Domine, de cœlo sancto tuo super hanc conjunctionem, ut sicut misisti sanctum angelum tuum Raphaelem Tobiæ et Saræ filiæ Raguelis, ita digneris, Domine, mittere benedictionem tuam super istos adolescentes, ut in tua voluntate permaneant et in tua securitate consistant, et in amore tuo vivant, et senescant et multiplicentur in longitudinem dierum. Per Christum.

Alia oratio. Benedic, Domine, adolescentulos istos, et semina semen vitæ æternæ in mentibus eorum, ut quidquid pro utilitate didicerint, hoc semper perficere et adimplere mereantur. Per Jesum Christum recuperatorem omnium, Filium tuum uni-

genitum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Item alia oratio. Benedicat et custodiat vos Deus Pater, ostendatque faciem suam in vobis, et misereatur vestri, convertat vultum suum ad vos et det vobis pacem ; impleatque Christus omni benedictione spirituali corda et corpora vestra in remissionem omnium peccatorum, ut habeatis vitam æternam et vivatis in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio. Respice, Domine, super hos fideles tuos, ut in tuo nomine benedictionem cœlestem accipiant, et filios filiorum suorum usque in tertiam vel in quartam progeniem videant, et in tua semper fidelitate perseverent, ac in futuro cœlestia regna percipiant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio. Da, quæsumus, Domine, benedictionem tuam super hunc famulum tuum et famulam tuam propitius, ut tibi subditi fiant atque jugiter deserviant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

A *Oratio.* Omnipotens sempiternus Deus, qui primos parentes nostros Adam et Evam sua virtute copulavit, eosque sua benedictione sanctificavit et sancta in societate conjugavit, ipse corda et corpora vestra sanctificet et benedicat, atque in societate et amore veræ dilectionis conjungat. Per Dominum.

Benedicti sitis a Domino qui creavit mundum ex nihilo, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

B *Evangelium.* In principio erat Verbum, etc.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

Benedicat vos divina majestas, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

De hoc sacramento Conjugii tractatum est supra per septemdecim distinctiones, videlicet 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, C 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42.

NOTA. — Denique advertendum : quoniam pontificalia et libri ex quibus ordines conferuntur ac sacramenta Ecclesiæ dispensantur aut benedicuntur, per omnes particulares Ecclesias non concordant ad invicem, nullius Ecclesiæ antiquum in usu pontificale, aut liber sacramentalis damnandus est, aut temere mutandus, utpote ex causa legitima a superiore admissus, aut ex longo usu approbatus.

DISTINCTIO XLIII

A. *De resurrectionis et judicii conditione.*

Aug. Enchirid. c. 84. POSTREMO de conditione resurrectionis et modo resurgentium, necnon et de judicii et misericordiæ qualitate breviter disserendum est. Omnibus quæstionibus quæ de hac re moveri solent, satisfacere non valeo; resurrecturam tamen carnem omnium quicumque nati sunt atque nascentur, et mortui sunt et *Is.* XXVI, 19, juxta LXX. morientur, nullatenus ambigere debet Christianus. Ait enim Isaias : Resurgent I *Thess.* IV, 13-17. mortui, et resurgent qui erant in sepulcris. Et Apostolus : Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent, scilicet resurrectionis. Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Hoc vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in adventu Domini non præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli, et in tuba Dei, descendet de cœlo; et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera; et sic semper cum Domino erimus. — His verbis et veritas resurrectionis, et causa atque ordo resurgentium præclarissime insinuatur.

B. *De voce tubæ.*

Causa enim resurrectionis mortuorum erit vox tubæ, quæ in adventu Judicis ab omnibus audietur, et cujus virtute excitabuntur mortui et de monumentis resur- *Ps.* LXVII, 34. gent. Unde Propheta : Dabit voci suæ vocem virtutis, id est effectum resuscitandi *Joann.* V, 28, 29. mortuos. Et Joannes evangelista ait : Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. — Si vero quæritur, cujus vel qualis erit vox illa, Apostolus dicit, quod erit Archangeli, id est ipsius Christi, qui est princeps archangelorum; vel vox erit unius vel plurium angelorum. Ea- I *Cor.* XV, 52. demque dicitur tuba, quia erit manifesta; et novissima, quia post eam non erit Aug. Epist. 140, n. 78. alia. Hæc tuba (ut ait Augustinus) est clamor de quo dicitur in Evangelio : Media *Matth.* XXV, 6. nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tubæ nomine aliquod evidens et præclarum signum intelligitur. Quod vox Archangeli et tuba Dei ab Apostolo dicitur, in Evangelio vox Filii Dei et clamor appellatur : quod signum mortui audient, et resurgent.

C. *De media nocte.*

Media autem nocte dicitur venturus, ut ait Augustinus, non pro hora temporis, sed quia tunc veniet quum non speratur. Media ergo nocte, scilicet quum valde obscurum erit, id est occultum, veniet. Dies enim Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Potest tamen non incongrue intelligi mediæ noctis tempore venturus, quia ut ait Cassiodorus, hoc tempore primogenita Ægypti percussa sunt, quando etiam Sponsus venturus est. Pluribus etiam locis contestantur auctores, quod adventus Christi, dies dicitur Domini, non pro qualitate temporis, sed rerum : quia tunc cogitationes et consilia singulorum patebunt. Unde in Daniele : Vetustus dierum sedit, et libri aperti sunt coram eo. Libri sunt conscientiæ singulorum, quæ tunc aperientur aliis. Et tunc implebitur : Nihil occultum quod non reveletur. Adveniente autem summo Judice, non solum aeris tenebræ illuminabuntur, sed abscondita cordium manifestabuntur. Virtute ergo divina fiet, ut cuique opera sua bona vel mala cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset hominem conscientia, eaque teste damnetur vel salvetur.

Aug. Epist. 140, n. 78. I *Thess.* v, 2. Cassiod. in ps. CXVIII, 62. *Dan.* VII, 9, 10. *Matth.* x, 26. Aug. de Civit. Dei, lib. xx, c. 14.

D. *De memoria electorum, si tunc præcedentia mala teneat.*

Hic quæritur, utrum electis tunc adsit memoria præcedentium malorum, sicut bonorum. Quædam auctoritates videntur bonos tradere non habituros tunc memoriam præcedentium malorum, id est peccatorum vel tormentorum. Ait enim Isaias : Ego creo cœlos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor, sed gaudebitis in æternum. Item : Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, et absconditæ ab oculis vestris. Quæ de futuro exponens Hieronymus, ait : Oblivioni tradentur priora mala, quia forsitan in futuro pristinæ conversationis memoria omnino delebitur, succedentibus bonis æternis, ne sit pars malorum, prioris angustiæ memorari. Sed hæc et his similia possunt accipi sic, ut non excludant memoriam præcedentium malorum, sed ex ea molestiam et læsionem amoveant. Non enim eorum memoria Sanctos contristabit, vel eorum beatitudinem offuscabit, sed gratiores Deo reddet. Unde super psalmum octogesimum octavum ait Gregorius : Quomodo in æternum misericordias Domini canit, qui miseriæ non meminit? Quomodo autem plena beatitudo, si memoria reatus mentem tangit? Sed sæpe læti tristium meminimus, et sani dolorum meminimus sine dolore, et inde amplius læti et grati sumus. Ex his apparet, quod si priorum malorum memoriam Sancti habebunt in futuro, non eis tamen erit ad pœnam vel gloriæ derogationem, sed ad gratiarum actionem. — Si vero quæritur, utrum peccata quæ fecerunt electi, prodeant tunc in notitiam omnium, sicut mala damnandorum omnibus erunt nota ; non legi hoc expressum in Scriptura. Unde non irrationabiliter putari po-

Is. LXV, 17, 18. *Ibid.* 16. Hier. in Is. LXV, 17. Gregor. Moral. lib. IV, n. 72.

test, peccata hic per pœnitentiam tecta et deleta, illic etiam tegi aliis, alia vero cunctis propalari.

E. *De his qui vivi reperientur.*

[Aug. de Civit. Dei, lib. xx, c. 20, n. 2. Hugo, de Sacram. lib. II, p. XVII, c. 11.] Quæri solet, utrum illi quos vivos inveniet Christus, nunquam omnino morituri sint; an ipso temporis puncto quo rapientur obviam Christo, ad immortalitatem mira celeritate sint transituri. Non enim dicendum est fieri non posse, ut dum per aera in sublime portantur, in illo spatio et moriantur et reviviscant. Ad hunc autem sensum quo æstimemus illos in parvo spatio et passuros mortem et accepturos [I *Cor.* xv, 22.] immortalitatem, Apostolus nos urgere videtur, ubi dicit : Omnes in Christo vivifi- [*Ibid.* 36.] cabimur; et alibi, Quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Cur autem [Aug. op. cit. n. 3.] nobis incredibile videatur, illam multitudinem corporum in aere quodammodo seminari, atque ibi protinus immortaliter et incorruptibiliter reviviscere, quum credamus in ictu oculi futuram resurrectionem, et in membra sine fine victura, tanta velocitate rediturum antiquissimorum cadaverum pulverem? Sed vellem de his potius audire [Ibidem.] doctiores. Si ergo sanctos qui reperientur Christo veniente viventes, eique obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros; nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, [I *Cor.* xv, 51.] generaliter accipientes illud quod dictum est : Omnes quidem resurgemus, scilicet tam boni quam mali; sed non omnes immutabimur, scilicet in solennitatem resur- [Ambrosiast. in I Thess. IV, 14.] rectionis. De hoc etiam Ambrosius ait : In ipso raptu eorum qui vivi reperientur, mors erit et resurrectio; ubi anima quasi per soporem egressa de corpore, eidem in [Hier. Epist. 59, n. 3.] momento reddetur. Econtra vero, scribens ad Marcellam, Hieronymus testari videtur, dicens quosdam in fine sæculi, adveniente Christo, non esse morituros, sed vivos repertos in immortalitatem repente mutandos. Horum autem quid verius sit, non est humani judicii definire.

F. *Quomodo intelligitur Christus judex vivorum et mortuorum.*

[Hugo, op. cit. c. 12.] His autem adjiciendum est, dupliciter intelligi quod dicitur Christus judicaturus vivos et mortuos. Aut enim vivi accipiuntur qui in adventu ejus vivi reperientur, licet in raptu moriantur, et mortui qui ante decesserant; vel vivi et mortui accipiuntur justi et injusti.

G. *Quomodo omnes incorrupti resurgent.*

Quumque ex prædictis sane credi valeat omnes resurrecturos, credendum est etiam quod omnes resurgent incorrupti, non utique impassibiles : quia reprobi mortem patientur æternam, sed sine diminutione membrorum omnia humani corporis habituri membra; nec tamen gloria ac specie impassibilitatis induentur.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ TERTIÆ

HUCUSQUE ab exordio hujus quarti libri tractavit Magister de ecclesiasticis sacramentis, quibus homines purgantur ac sanctificantur in vita præsenti. In sequentibus autem octo distinctionibus determinat de pertinentibus ad finem hujus mundi inferioris, de ultima omnium hominum resurrectione, de metuendissimo Dei judicio generali, de retributione extrema, et variis rebus ad ista spectantibus. Primo itaque de ipsa resurrectione, omnipotenti Dei virtute futura ac fienda, determinat, hoc est : de voce tubæ, per quam, secundum unam expositionem, imperium seu potestas Altissimi designatur; et cur ac qualiter resurrectio ipsa fertur media nocte complenda. Deinde circa hæc movet quæstiones perutiles, an scilicet electi in resurrectione ac postea habebunt præteritorum malorum memoriam; et arguit pro parte utraque, ac solvit. Secundo scrutatur, an et quando sint morituri hi quos Christus ad judicium veniens reperiet vivos, juxta illud Apostoli : Deinde nos qui vivimus, qui residui sumus. Exponit quoque quo sensu Christus vocetur judex vivorum ac mortuorum, et quomodo mortui resurrecturi sint incorrupti.

I *Thess.* IV, 17.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur, **Utrum in fine sæculi fiet omnium resurrectio mortuorum omnipotenti Dei virtute.**

In hac quæstione plurima includuntur, de quibus ab aliis multæ quæstiones formantur, videlicet : an resurrectio illa erit naturalis vel miraculosa ac omnibus generalis, et cur differtur usque in terminum mundi : quæ omnia in prosecutione quæstionis istius tangentur et exponentur.

A Et arguitur primo, quod in fine mundi non erit resurrectio corporum. Nam (sicut in libro de Civitate Dei recitat Augustinus) magnus ille philosophus Porphyrius multipliciter probat, quod corpus omne fugiendum sit animæ ad beatificam contemplationem inhianti, seu eam adeptæ : imo propter hoc in hac re a Platone recessit, quoniam Plato asseruit animas etiam virtuosas ac suo modo beatas, rursus affici ad reunionem cum corporibus ac revolvi ad ea. — Insuper Porphyrius, maximæ im- B peritiæ arguit Christianos, eo quod dicunt hunc mundum inferiorem finiendum, quantum ad generabilia et corruptibilia; motumque cœli cessaturum, et ordinem universi, quantum ad rerum species, periturum.

Ex opposito quoque argui potest, quod resurrectio mortuorum sit naturalis, quoniam maximus ille philosophus Plato et optimus ejus magister Socrates, cum suis sequacibus dixerunt ac probaverunt animas separatas post certa tempora reunien- C das corporibus, et corrupta eadem numero renovanda, prout de hoc etiam tactum est in Scripto secundi : imo quum anima sit naturaliter corporis forma, naturalem habet aptitudinem et inclinationem ad ipsius informationem, quemadmodum pars ad suum totum; nec potest hujusmodi inclinatio esse frustra, nec optato effectu perpetue frustrari. Quod et Salomon in Ecclesiaste insinuasse videtur : Nihil (inquiens) novum sub sole; nec potest aliquis dicere, Ecce hoc recens est : jam enim præcessit D in sæculis quæ ante nos fuerunt. Quod et Ezechiel tetigisse videtur, dicendo : Sodoma rediet ad antiquitatem suam, id est, ad statum quem in antiquis et in lapsis diebus habuerat. Præterea secundo libro Machabæorum habetur de fideli et strenuissimo Dei pugile Juda : Nisi eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis. Sed hæc argumentatio apparet invalida. Anima namque est principalior pars hominis, cujus instrumentum est corpus;

tom. XXI, p. 92 C.

Eccle. I, 10.

Ezech. XVI, 55.

II *Mach.* XII, 44.

et tota promerendi demerendique ratio est ab anima, a ratione, a libera voluntate. Nec anima separata manet irremunerata, quousque corpori denuo conjungatur: imo nunc interim orat Ecclesia pro fidelium animabus, ut a suppliciis eruantur. Nec dubium quin principale agens valeat præmiari instrumento relicto. — Denique sanctus Job ait: Homo quum dormierit, non resurget; donec atteratur cœlum, non evigilabit. Et constat quod incorruptibile cœlum nunquam sit atterendum, quum non sit peregrinarum impressionum susceptivum, secundum Philosophum, qui et protestatur, supra orbem lunæ non posse accidere malum.

Job XIV, 12.

Circa hæc scribit Henricus septimo Quodlibeto: Resurrectio carnis non est nisi quædam nativitas ejus quod occidit prius et cecidit, dicente Gregorio Moralium quarto: Si resurrectio carnis non esset quasi nativitas quædam, de ea Veritas non dixisset, In regeneratione, quum sederit Filius hominis, etc.; et hoc, quoniam prima et secunda nativitas ex præexsistente materia fit. Propter quod minus mirabilis est resurrectio quam creatio, dicente eodem, sexto libro: Omnibus sine dubio constat, quod plus sit creari quod non erat, quam reparari quod erat. Attamen resurrectio ista de numero miraculorum est Dei, quæ secundum eumdem, semper sunt consideranda per studium, et nunquam discutienda per intellectum. Frequenter etenim sensus humanus dum quarumdam rerum rationes quærit nec invenit, in majoris dubitationis se voraginem mergit. Unde fit ut quidam cadavera mortuorum in pulverem redacta considerent, dumque resurrectionis vim ex ratione colligere nequeunt, hæc per resurrectionem ad statum pristinum redire desperent. Verum de hac re non debet homo ambigere, quamvis eam per rationem non possit concipere. Et istud super Job, et super Ezechielem, atque in homiliis super Evangelia multipliciter probat B. Gregorius per

q. 16. — *Matth.* XIX, 28.

A Scripturas et rationes, vel potius per similitudines rerum quæ in creaturis contingunt.

Denique, etsi istud ratione non comprehendatur, tamen ut vacillantium fidem pro viribus sustentemus, istud utrumque probare tentemus. Nec in hoc dubitatio ulla est ex parte Dei, cujus virtute est facienda, sed tantum ex parte rei. Deo quippe possibile est facere quidquid in rebus est possibile fieri. Porro ex parte rei, quantum ad animam intellectivam, quæ B immortalis est, et permanet separata, retinens in se esse, quod prius corpori communicavit, et rursus, quantum in se est, nata est communicare; non est in ista magna difficultas, quin de facili intelligatur quomodo possibilis sit resurrectio. Ex hoc namque, quod cecidit resurgere dicitur, quoniam idem esse quod prius habuit, ei restituitur. Quare, quum hoc ipsum esse totum in anima maneat, qui videre potest quomodo eadem anima suo corpori possit restitui, non est difficile ei C videre quomodo idem numero possit corpus recuperare, non solum quod consistit in rei essentia, sed etiam quod consistit in exsistentia, quod anima in se perseveranter inamissibiliterque conservat. De cujus esse conservatione in anima, loquitur S. Gregorius sub nomine vitæ (quæ ultra esse non dicit nisi determinatum modum essendi), exponens quomodo Dominus reddidit sancto Job in filiis et filiabus duplicia, quum tamen non nisi tres filias septemque filios restituerit ei, et jam ante D totidem filios ac filias præcise habuerit. Addidit, inquit, omnia Dominus sancto Job duplicia, quia amissos filios ac filias ei in occulta animarum vita servavit, totidemque adjecit. Hinc tota difficultas de resurrectione restat ex parte corporis resoluti in pluralitatem materiæ. *Job* XLII, 10.

Sed nec in hoc est magna difficultas apud eos qui in nuda materia hominis non ponunt formam substantialem præter animam intellectivam, quum anima maneat eadem numero quæ prius, simili-

ter materia; atque ex parte Dei est perfecta omnipotentia conjungendi semel separatam animam eidem materiæ. Quæ anima secum adducit omnes easdem dispositiones materiales et corporales quæ prius fuerunt corruptæ : quæ etsi non essent eædem numero, quum tamen sint accidentales, esset nihilo minus vera resurrectio, eadem substantia exsistente; nam idem numero manens, mutatur in accidentalibus secundum varia tempora.

Porro magna difficultas seu dubitationis occasio restat ponentibus in homine plures formas substantiales, videlicet formam de potentia materiæ eductam præter animam rationalem. Istis etenim restat ostendere, qualiter forma corrupta possit eadem numero reparari. Quod tamen ex parte Dei constat non impossibile esse. Imo nec ex parte materiæ, in cujus potentiam resoluta est hujusmodi forma, et de qua rursus potest educi, quantum ex parte potentialitatis materiæ. Nam et eadem materia quæ aliquando fuit sub singulari alicujus hominis forma, postea habet esse sub forma bruti, sicut super Ezechielem scribit Gregorius : Carnem hominis lupus comedit, lupum leo voravit, leo moriens in pulverem rediit; quomodo caro hominis a lupi et leonis carne dividitur? Quibus quid aliud respondere debemus, nisi ut prius cogitent qualiter ipsimet in mundum venerunt? et tunc invenient qualiter resurgent. Quod intelligo, adspiciendo ad diversas potentias materiæ, ex quibus formæ educuntur, et in quas resolvuntur et rursus possunt educi. Unde subjungit : Quid mirum, si possit Omnipotens in illa mortuorum resurrectione carnem hominis a carne bestiarum secernere, ut unus idemque pulvis non resurgat in quantum pulvis lupi aut leonis, sed resurgat in quantum pulvis est hominis?

Restat ergo hic difficultas ex parte transmutationis qua de potentia materiæ forma rursus est educenda. Quæ transmutatio non potest numero eadem esse cum illa qua forma illa corrupta fuit prius educta : A quia non potest in eodem tempore esse quod fluxit, nec redit; juxta quod probat Philosophus eamdem sanitatem numero reparari non posse, nisi eadem numero transmutatio repetatur qua transmutatione fuit sanitas illa producta : quam transmutationem impossibile est eamdem numero repeti, sicut et impossibile est tempus præteritum repeti idem numero. — Quibus respondeo, quod agenti naturali istud sit impossibile, quoniam agit transmutatione et actione differenti a sua sub- B stantia; non autem est impossibile supernaturali agenti, quod operatur in instanti, et cujus actio est sua essentia, et sua voluntas æternaliter fixa, quieta, independens, et sine motu producens et creans. — Hæc Henricus.

Et hæc clarius sunt ante ostensa, tam super secundum, de creatione et modo (dist. I, q. 2.) agendi primi agentis, quam super hunc quartum, circa modum transsubstantiatio- (dist. XI, q. 1.) nis et conversionis panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Verumtamen hæc C ultima difficultas de recuperatione ejusdem formæ substantialis irrationalis in resurgentibus, non habet hic locum secundum veritatem, sed secundum erroneas opiniones ponentium plures formas substantiales in homine : de quibus opinionibus etiam dictum est super secundum, et super hunc quartum, tractatu de Sacramento altaris. (tom. XXII, p. 135 D' et s.; XXIV, p. 286 D et s.)

De his scribit Guillelmus, libro de Universo, parte secunda : Consequens est investigare de universo, an habeat reno- D vationem, et utrum unam vel plures. Itaque antiquorum astronomorum et poetarum quorumdam fuit opinio, quod anno quem vocant vertentem, fiet renovatio universi, eruntque omnia sicut fuerunt in creationis exordio, et current omnia sæcula in hoc secundo anno, quemadmodum cucurrerunt in magno primo anno, et erunt iidem Plato et Aristoteles cum suis discipulis, etc., et eadem agent et patientur quæ egerunt et passi sunt in sæculo anteriori, atque in omni parte mundi iidem

erunt qui præcesserunt. Qui annus (secundum eos) continet triginta sex millia annorum: quia secundum probationes Ptolemæi, unaquæque stellarum fixarum movetur singulis centum annis uno gradu; quare quum circulus cœli non contineat nisi trecentos sexaginta gradus, unaquæque stellarum fixarum complebit revolutionem suam totam, id est descriptionem totius circuli cœli, in tot centenariis annorum, quot gradus continet circulus cœli, hoc est in trecentis sexaginta centenariis annorum, quæ sunt triginta sex millia annorum. Porro de septem planetis sentiunt idem, quia eodem numero annorum ad statum suum primitivum absque ulla diversitate revertentur. Prædictum igitur spatium tot annorum est annus revolutionis totius cœli, ac reversionis ad omnium motuum suorum principium. Motus autem naturæ, id est generationis et corruptionis, quæ continetur intra circulum lunæ (propter quod sublunaris vocatur), quum secundum opinionem illorum sequatur mundum superiorem in motibus ac permutationibus suis, revertetur secundum se totum, et secundum omnia sua, ad statum suum primitivum. Et quoniam quidam de hac opinione posuerunt mundum esse æternum, alii creatum ex tempore: coacti sunt primi fateri infinitas tales revolutiones et renovationes esse jam factas, et infinitas futuras; secundi vero dixerunt finitas præcessisse, et infinitas futuras esse. Nonnulli demum sunt opinati, magnum illum annum continere quadraginta millia annorum, et hoc forsan propter diversitatem reversionis septem planetarum. Quum ergo mundus superlunaris causaliter se habeat super mundum hunc sublunarem, visum est illis quod inceptio rerum generabilium et corruptibilium, sit ex inceptione motus cœlestis, et progressus ex progressu: ergo et reversio ex reversione, et iteratio ex iteratione. — Sed error iste etiam ab Aristotele in diversis locis est satis reprobatus; nec rationi est consonum, quod iidem effectus revertantur in numero et

A naturali causalitate ac ordine, nisi per motus ac transmutationes numero easdem: quæ sic redire non valent, nisi et eodem numero tempore repeterentur; quod constat de entibus naturæ successivæ dici non posse. Nec rationabile est, istam inquietudinem jugiter perdurare, nec unquam ad statum quietum pertingere.

Hinc rationabilior est fidei christianæ assertio, quod animæ rationales immortales consistunt, nec corporibus reuniuntur ut in hanc vitam instabilem revolvan-

B tur: imo secundum merita sua recipiunt corpora glorificanda, aut in miserias demergenda. Nempe, quum glorificandæ sint animæ, necesse est et corpora earumdem ipsis reuniri et conglorificari: quia nec aliter animæ possent plenarie glorificari, imo essent quasi damnificatæ ac mutilatæ quantum ad vires suas quarum operationes exercentur per corpora. Denique vires sensitivæ et appetitivæ inferiores, et corpus ac membra, suo modo contra vitia pugnaverunt, atque in actibus bonis subser-

C vierunt et cooperata sunt animabus: ergo cum eis munerabuntur. Imo sermo iste quo vires inferiores aut superiores mereri dicuntur, est tropicus: quia quum agere et pati, mereri ac demereri, sint proprie suppositorum, ipse totus homo meretur aut demeretur. Idcirco suscitandus est et resurrecturus, et secundum corpus ac animam remunerabitur. Etenim quum anima sit pars hominis, si solæ animæ glorificabuntur, non corpora; non toti, sed medii homines beatitudinem consequentur.

D At vero insipientibus non solum admirationi est, sed incredibile quoque videtur, quod de pulvere seu cinere in quæ humana corpora fuerunt resoluta, reformentur in resurrectione universali. Verum insania ista accidit eis ex ignorantia, qua ignorant omnipotentiam Creatoris, et mirabilia ac omnem admirationem excedentia opera ejus, videlicet quod cœlos et universa in eis contenta creavit; et superomnipotentem ejus imperiositatem, qua vocat ea quæ non sunt tanquam sint, et obe-

diunt ei quasi sint, quanto magis mortua A corpora obediunt ei quasi viventia? Hinc sicut vocante eo ad esse, necesse est ea venire ad illud; sic eo jubente ut resurgant, necesse habent resurgere, sicut
Joann. v, 28.
prædixit : Veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus. Sed mirabile est de talium hominum admiratione, imo inconsideratione et excæcatione, qui aridissima ligna et salices quotidie vident reviviscere, refrondescere, reflorere, refructificare, et tamen de se ipsis hoc nolunt sperare; quum constet B Creatori tanto majorem curam esse de reformatione ac renovatione hominum mortuorum quam arefactarum herbarum et arborum, quanto natura humana est illis nobilior, et quanto ad majorem gloriam ac honorem est superdignissimo Creatori reformatio ac renovatio rationalium creaturarum quam vegetalium rerum. Amplius, quum videant tam multorum generum animalia de pulvere et ex putredine incessabiliter generari, non utique nisi principaliter atque formaliter divina virtute C; qua stoliditate, duritia et infidelitate desperant futuram mortuorum corporum humanorum resuscitationem ex ipsis pulveribus in quos resolvuntur, præsertim quum tam parva videatur utilitas generationis animalium talium ad gloriam Conditoris, comparatione resuscitationis et glorificationis hominum ad laudem et gloriam Creatoris? Præterea, quum videant virtute naturæ ex vili obscuroque cinere generari mundissimum ac splendidissimum vitrum, coruscantissimas quoque ac vernantissimas D gemmas; cur desperant ex cineribus corporum humanorum posse ipsa corpora reparari, præsertim quum hoc requirat bonitas et munificentia, justitia et gloria Dei, merita etiam mortuorum, labores, item operationes et afflictiones corporum defunctorum, quæ in Omnipotentis obsequio habuerunt, et propter justitias ac virtutes eorum? — Hæc Guillelmus libro prætacto, in diversis hinc inde capitulis, in quibus de his diffuse pertractat.

Insuper Thomas : Secundum diversas (inquit) positiones de ultimo hominis fine, diversificatæ sunt sententiæ ponentium sive negantium resurrectionem futuram. Ultimus quippe finis hominis, quem omnes homines naturaliter desiderant, est beatitudo. Quam aliqui posuerunt homini esse possibilem in hac vita : unde nec aliam vitam posuerunt post præsentem. Sed hanc opinionem satis excludit fortunæ varietas, corporisque humani infirmitas, et imperfectio scientiæ ac virtutum in vita hac, et instabilitas ac ærumnositas status præsentis, quibus omnibus impeditur felicitatis perfectio. — Hinc alii posuerunt vitam aliam post præsentem, in qua dixerunt hominem vivere solum in anima, atque in ea impleri naturale desiderium de beatitudine obtinenda, et corporis resumptionem potius impedire quam conferre ad beatitudinem illam : ideo corporum resurrectionem negabant. Hujus præterea opinionis apud diversos diversa erant fundamenta erronea. Nam quidam hæretici dixerunt corporalia a diabolo esse creata aut formata, nec animam a Deo lucis creatam esse perfectam, nisi sit separata a corpore. Hinc omnes hujus hæresis sectæ resurrectionem corporum negant. — Alii asseruerunt totam hominis naturam consistere animam, et eam corpori uniri ut motorem, non ut formam substantialem : sicque sola anima beatificata non frustraretur naturale hominis desiderium ad salutem, et ita non oportet ponere resurrectionem. Sed hujus opinionis fundamentum destruit Philosophus secundo de Anima, probans animam esse corporis formam. Quum itaque homo non possit esse beatus in hac vita, necesse est ponere resurrectionem, quæ erit in fine mundi, quando et cœlum atteretur, non quantum ad suam substantiam, sed quantum ad suæ causalitatis influentiam, seu quantum ad suæ virtutis effectum, quoniam ultra non influet ad generationem et corruptionem. Nec verum est, quod perfectissimus animæ status sit sine corpore esse, sed glorificari in se et in corpore.

Erit etiam resurrectio illa generaliter omnium hominum, quoniam ea quorum ratio sumitur ex natura speciei, oportet similiter inveniri in omnibus quæ ejusdem sunt speciei. Quumque resurrectio conveniat homini ex hoc quod anima perfecte beatificari non potest sine corpore, nec habere esse perfectum in separatione ab illo, quum sit naturaliter pars ipsius, patet quod resurrectio erit omnibus gene-
Ps. I, 5. ralis. — Quod autem ait Psalmista, Ideo non resurgent impii in judicio, intelligitur de spirituali resurrectione, qua homo resurgit a ruina peccati per judicium discussionis conscientiæ suæ. — Nec obstat illud
Dan. XII, 2. Danielis, Multi de his qui dormiunt in pulvere, evigilabunt : quia ut Augustinus exponit, intelligitur sic, Multi, id est omnes, qui multi sunt; et talis modus loquendi frequens est in Scripturis. Potest quoque partitio intelligi quantum ad pueros in originali defunctos, qui non dicuntur proprie evigilaturi, quia nec sensum pœnæ nec gloriæ habituri sunt.

Porro dum quæritur, an resurrectio sit naturalis; dicendum, quod motus seu actio habet se ad naturam tripliciter. Nam aliquis motus seu actio est, cujus natura non est principium nec terminus : qui motus quandoque est a principio supernaturali, ut glorificatio corporis; interdum vero a quocumque principio alio, ut motus lapidis sursum. Est etiam aliquis motus, cujus principium et terminus est natura, ut motus lapidis deorsum. Et est aliquis motus, cujus terminus est natura, sed non principium, imo interdum aliquid super naturam, ut illuminatio cæci (visus enim est naturalis, sed causa ejus est supernaturalis), quandoque autem aliquid aliud, ut in acceleratione florum aut fructuum per artificium facta. Quod autem principium sit natura et non terminus, esse non potest : quia principia naturalia sunt ad determinatos effectus limitata, ultra quos se extendere nequeunt. Operatio ergo vel motus primo modo se habens ad naturam, nullo modo potest dici naturalis; sed est

A aut miraculosa, si est a principio supernaturali; vel violenta, si est a quocumque alio principio. Operatio vero seu motus secundo modo se habens ad naturam, est simpliciter naturalis. Quæ autem tertio modo se habet ad naturam, non potest dici simpliciter naturalis, sed secundum quid, in quantum videlicet perducit ad id quod secundum naturam est; sed dicitur vel miraculosa, vel artificialis, vel violenta. Naturale quippe proprie appellatur, quod secundum naturam consistit; et illud se- B cundum naturam est, quod habet naturam et quæ consequuntur eamdem, ut patet in secundo Physicorum. Ideo motus non potest dici naturalis, nisi ejus principium sit natura.

Resurrectionis autem principium natura esse non valet, quamvis ad vitam naturæ resurrectio terminetur. Natura namque est principium motus ejus in quo est, vel activum, ut in motu gravium et levium, et in naturalibus alterationibus animalium; vel passivum, ut in generati- C one simplicium corporum. Passivum autem principium generationis naturalis, est passiva potentia naturalis, quæ semper habet aliquam activam potentiam sibi correspondentem in natura, ut nono Metaphysicæ dicitur. Nec differt quantum ad hoc, an correspondeat passivo principio activum principium in natura respectu ultimæ perfectionis, utpote formæ; aut respectu dispositionis quæ est necessitas ad formam ultimam, ut in generatione hominis, secundum fidei positionem; vel etiam D de omnibus aliis, secundum opinionem Platonis ac Avicennæ. Nullum autem activum principium resurrectionis est in natura, nec respectu conjunctionis animæ ad corpus, neque respectu dispositionis, quæ est necessitas ad talem conjunctionem : quoniam dispositio talis non potest a natura induci nisi modo determinato per viam generationis ex semine. Unde etsi ponatur esse aliqua potentia passiva ex parte materiæ seu inclinatio quæcumque ad animæ conjunctionem, non tamen suf-

ficit ad rationem motus naturalis. Ideo resurrectio, loquendo simpliciter, est miraculosa, non naturalis, nisi secundum quid. Hinc ex naturalibus nequeunt demonstrativæ rationes adduci ad resurrectionis probationem, sed solum persuasivæ : quoniam naturalia quamdam imperfectam similitudinem supernaturalium continent, non perfectam, nec evidentem, sicut unio animæ et corporis repræsentat unionem mentis cum Deo per gloriam fruitionis.

Si vero objiciatur, quia secundum Apo-
Rom. VIII, 19. stolum ad Romanos, resurrectio et glorificatio est ad quam creaturæ exspectatio tendit : ergo est quid naturale; dicendum, quod operatio tota naturæ est sub operatione divina, quemadmodum operatio artis inferioris sub operatione artis superioris. Unde sicut omnis operatio artis inferioris exspectat aliquem finem, ad quem non pertingit nisi operatione superioris artis formam inducentis, aut artificio facto utentis; ita ad ultimum finem, ad quem exspectatio tota naturæ tendit, perveniri non potest operatione naturæ, sed omnipotentiæ Dei. — Hæc Thomas.

Qui consequenter inquirit de causa resurrectionis. Et constat quod causa ejus effectiva prima ac principalis, sit Deus. — Verum insuper sciscitatur, an Christi resurrectio causa sit nostræ resurrectio-
tom. XXIII, p. 381 B et s. nis : ad quod super tertium est responsum. Deinde, an vox tubæ; et an angeli cooperabuntur ad eam.

Ad quæ respondet : Causam effectui oportet aliquo modo conjungi, quoniam movens et motum, faciens et factum, sunt simul, ut probatur in septimo Physicorum. Porro Christus resurgens, est causa univoca nostræ resurrectionis : hinc oportet quod in resurrectione corporum generali, Christus aliquo signo corporali operetur. Quod signum, secundum quosdam, erit ad litteram, vox Christi resurrectionem imperan-
Matth. VIII, 26. tis : sicut imperavit mari et vento, et mox facta fuit ingens tranquillitas. Alii dicunt, quod hoc signum non erit nisi repræsentatio Christi in mundo hoc, prout Matthæus

A testatur : Sicut fulgur exit ab oriente, et *Matth.* XXIV, 27. apparet in occidente, ita erit adventus Filii hominis. Et innituntur auctoritati Gregorii, perhibentis : Nil aliud est tubam sonare, quam mundo suum judicem repræsentare. Sicque apparitio Filii Dei, vox ejus vocatur, quoniam ei apparenti obediet tota natura ad humanorum corporum reparationem : unde in jussu venturus de- I *Thess.* IV, 16. scribitur; ejusque apparitio in quantum vim sortitur imperii, vox ipsius vocatur. Quæ etiam vox interdum dicitur clamor,
B tanquam præconis ad judicium citantis; et rursus quandoque sonus tubæ nuncupatur, vel propter evidentiam suam, aut propter convenientiam ad usum tubæ qua in veteri Testamento congregabantur Judæi ad concilium, commovebantur ad prælium, et convocabantur ad festum. Sic etenim resurgentes congregabuntur ad concilium judicii, ad prælium quo orbis terrarum pugnabit contra insensatos, atque ad festum jucunditatis æternæ. — Quod si quæratur, unde erit voci illi efficacia
C tanta; dicendum, quod sicut formæ sacramentorum habent vim sanctificandi, non ex hoc quod audiuntur, sed ex hoc quod proferuntur, ita vox illa quæcumque sit, efficaciam habebit instrumentalem ad suscitandum, non ex hoc quod sentietur, sed ex eo quod proferetur : sicut et vox nostra ex aeris impulsione suscitat dormientem, solvendo organum audiendi.

Præterea, secundum Augustinum tertio de Trinitate, sicut corpora inferiora et grossiora per subtiliora et superiora ordi-
D nate reguntur; ita omnia corporalia gubernantur a Deo per spiritum vitæ rationalem. Unde in omnibus quæ in corporalibus fiunt, utitur Deus ministerio angelorum. *Cf.* t. XXII, p. 145 C', 164 C'. In resurrectione autem aliquid erit ad transmutationem corporum pertinens, puta, collectio cinerum, et eorum præparatio ad corporis reparationem humani; et quantum ad hoc, utetur Deus in resurrectione ministerio angelorum. Sed sicut *Cf.* t. XXI, p. 59 B'; XXII, p. 182 B. anima a Deo immediate creata est, ita a Deo immediate suo corpori reunietur abs-

que cooperatione angelica. Similiter gloriam corporis Deus immediate efficiet, sicut et animam immediate glorificat. A

Insuper resurrectionem hanc generalem decet fieri in fine sæculi. Materia namque corporum inferiorum subjacet immutationi ac motui corporum superiorum cœlestium : ideo esset contra ordinem rerum divinitus institutum, si corpora inferiora ad statum incorruptionis perducerentur manente superiorum corporum motu. Quumque resurrectio sit futura ad vitam immortalem atque incorruptibilem statum, B differtur usque in diem judicii finemque mundi, in quo motus cœli cessabit. Unde quidam philosophi, qui posuerunt motum cœli nunquam cessare, posuerunt reditum animarum ad mortalia corpora, sive ponerent reditum animæ ad idem corpus in *Cf.* p. 245 D'. fine magni anni, ut Empedocles, sive ad aliud, sicut Pythagoras, dicens quamlibet animam ingredi quodlibet corpus, ut dicitur primo de Anima.

Porro quod aliquibus Sanctis pie creditur condonatum, quod eorum resurrectio C *Cf.* t. XXIII, p. 381 A. est jam facta, ut Virgini gloriosæ et Joanni evangelistæ, ex privilegio gratiæ speciali peractum est. — Similiter respondendum, si arguatur de his qui simul cum *Matth.* XXVII, 52. Christo resurrexerunt, de quibus in sermone de Assumptione videtur dubitare *Cf.* t. XI, p. 313 C'. Hieronymus, utrum completo testimonio resurrectionis Christi rursus obierint, an magis in ipsis completa sit resurrectio, ita quod simul cum Christo ascenderunt in cœlos, in anima et corpore glorificati : quod verius congruentiusque videtur ad D hoc, quod veri testes veræ resurrectionis Christi exstiterint. Unde alibi fatetur Hieronymus, quod eorum resurrectio accelerata est non propter ipsos, sed propter resurrectionem Christi testificandam, ad fundandum fidem novi Testamenti : quod testimonium potius decuit fieri per sanctos veteris Testamenti, quam per eos qui fundato jam novo Testamento decesserunt.

Apoc. XX, 5, 6. Verum contra prædicta objicitur, quod in Apocalypsi habetur : Hæc est resurrectio prima, et regnabunt cum Christo mille annis. Et postea legitur ibi de resurrectione finali. *Apoc.* XX, 13. Ergo non omnes resurgent simul in fine mundi. — Dicendum, quod sicut Augustinus recitat vicesimo de Civitate Dei, occasione verborum illorum quidam hæretici dixerunt primam resurrectionem esse futuram mortuorum sanctorum, ut regnent cum Christo in terra mille annis : unde et Millenarii sunt vocati. Sed ut Augustinus exponit, verba illa exponenda sunt de spirituali resurrectione, qua homines per gratiam a morte animæ surgunt ; secunda vero erit resurrectio corporum. Et in prima resurrectione regnant sancti per gratiam cum Christo in Ecclesia militante mille annis, per quos totum tempus vitæ præsentis mystice designatur.

Amplius, tempus illud resurrectionis atque judicii est occultum. Nam ut in libro LXXXIII Quæstionum asserit Augustinus, quasi ultima ætas humani generis est tempus ab adventu Salvatoris usque ad sæculi finem : quod tempus quibus generationibus computetur et decurrat, incertum est, quemadmodum etiam ultima ætas unius hominis quandoque diutius durat quam omnes præcedentes ejus ætates. Ratio hujus est, quoniam determinatus numerus futuri temporis sciri non potest nisi per revelationem, vel per naturalem rationem. Tempus autem quod erit usque ad futuram resurrectionem, sciri nequit per rationem naturalem, quoniam simul erit resurrectio et finis motus cœli. Ex motu vero accipitur numerus rerum quæ determinato tempore per naturalem rationem prævidentur futuræ. Sed ex motu cœli non potest cognosci finis ejus, quia quum sit circularis, ex hoc ipso habet quod secundum naturam suam perpetue possit durare. Nec per revelationem Deus illud manifestat, quatenus homines semper solliciti sint et parati Christo occurrere. Hinc Apostolis sciscitantibus dixit : Non *Act.* I, 7. est vestrum nosse tempora vel momenta, etc. Per quæ verba, secundum Augustinum, Christus repressit omnium digitos

calculantium de fine mundi. Quod enim noluit indicare Apostolis, nec aliis revelabit. Unde omnes qui prædictum tempus numerare voluerunt, hactenus falsiloqui sunt inventi. — Denique per numerum
Apoc. xii, 6. dierum seu annorum qui in Apocalypsi et
Dan. xii, 11, 12. Daniele exprimuntur, intelligitur tempus indeterminatum, seu totum spatium durationis vitæ præsentis seu militantis Ecclesiæ, sicut sæpissime in Scripturis per numerum determinatum indeterminatus numerus designatur.

Quidam tamen ex his quæ in veteri Testamento seu Israelitico populo contigerunt, voluerunt prænuntiare de numero et duratione persecutionum Ecclesiæ, fineque mundi; et defecerunt. Quamvis enim status novi Testamenti sit præfiguratus per statum veteris Testamenti, non tamen oportet ut singula correspondeant singulis, præsertim quum in Christo omnes figuræ veteris Testamenti sint impletæ. Hinc Augustinus octavodecimo de Civitate Dei, respondet quibusdam volentibus accipere numerum persecutionum Ecclesiæ juxta numerum plagarum Ægypti, dicens : Ego per res illas gestas in Ægypto, persecutiones Ecclesiæ prophetice præfiguratas non arbitror, quamvis ab eis qui hoc putant, exquisite et ingeniose illa singula his singulis comparata videantur, non prophetico spiritu, sed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando ad veritatem pertingit, aliquando fallitur. — Et similiter esse videtur de dictis abbatis Joachim, qui ex talibus conjecturis de futuris aliqua vera prædixit, et in aliquibus fuit deceptus.

Præterea si quæratur, an resurrectio fiet in instanti; dicendum, quod in resurrecti-
Cf. p. 249 D'. one aliquid fiet ministerio angelorum, et aliquid virtute divina immediate. Et quod
Cf. t. XXI, p. 180 A. angelorum ministerio fiet, non accidet in instanti, si instans dicat indivisibile temporis ; erit tamen in instanti, si instans sumatur pro imperceptibili tempore. Quod autem fiet immediate virtute divina, complebitur subito seu in termino temporis

A quo operatio complebitur angelorum : quoniam virtus superior inferiorem ad perfectionem adducit. Omnipotentiæ quoque Dei, quum sit penitus infinita, competit agere in instanti. Quemadmodum etiam formæ verborum sacramentales habent ef- *Cf.* t. XXIV,
fectum in ultimo prolationis instanti, ita p. 282 D' et s.
vox tubæ, cujus virtute resurrectio fiet.

Iterum quæritur, an resurrectio erit media nocte. Respondendum, quod determinata hora noctis qua resurrectio erit, non potest pro certo sciri. Attamen satis pro-
B babiliter a quibusdam putatur, quod erit quasi in crepusculo, sole exsistente in oriente, et luna in occidente, quia in tali dispositione sol et luna creduntur creata : quatenus eorum circulatio compleatur penitus per reditum ad idem punctum. Nam et de Christo dicitur, quod tali hora surrexit. — Denique, dum resurrectio erit, non erit tempus, sed terminus temporis : quoniam in eodem instanti in quo cessabit motus cœli, erit resurrectio mortuorum. Attamen erit situs siderum secundum dispositio-
C nem qua se habent nunc in aliqua hora determinata : et secundum hoc dicitur resurrectio futura tali aut tali hora.

Adhuc circa hæc quæritur, an mors erit terminus *a quo* resurrectionis in omnibus, hoc est, an omnes ante resurrectionem morientur. Dicendum, quod circa hoc diversimode Sancti loquuntur, ut habetur in littera. Securior tamen communiorque opinio est, quod omnes qui tunc vivent, morientur et a morte resurgent. Primo, quia hoc magis concordat divinæ justitiæ, quæ
D humanam naturam pro primi parentis peccato damnavit, ita ut omnes qui per actum naturæ ab eo originem ducerent, infectionem originalis peccati contraherent, et per consequens, debitores exsisterent mortis. Secundo, quia hoc magis concordat Scripturæ, quæ omnium futuram resurrectionem denuntiat; resurrectio autem proprie non est, nisi ejus quod cecidit ac dissolutum est, ut asserit Damascenus. Tertio, quia hoc magis concordat ordini naturæ, in quo invenimus ea quæ

sunt corrupta et vitiata, in suam novitatem non reduci nisi mediante corruptione : sicut acetum non fit vinum nisi aceto corrupto ac transeunte in vitis humorem. Cumque natura humana in defectum necessitatis moriendi devenerit, non erit ei reditus ad immortalitatem nisi per mortem. Convenit quoque hoc ordini naturæ ob aliam rationem. Nempe ut octavo Physicorum dicitur, motus cœli est quasi vita quædam omnibus natura exsistentibus : quemadmodum motus cordis est vita totius corporis. Hinc sicut cessante cordis motu, membra cetera mortificantur; ita cessante motu cœli, non potest aliquid vivum manere ea vita quæ ex influentia illius motus conservabatur. Talis autem est præsens hæc vita. Unde oportet quod ex hac vita discedant, qui post motum cœli quiescentis victuri sunt. — Porro quod Christus dicitur judex vivorum et mortuorum, non est referendum ad judicii tempus, nec ad totum tempus præteritum, quoniam omnes judicandi aliquo tempore fuerunt vivi, et aliquo tempore mortui ; sed ad illud tempus determinatum quod immediate præcedet judicium, quando videlicet signa judicii incipient apparere.

Ex his patet responsio ad quæstionem qua quæritur, utrum resurrectio erit a cineribus. Dicendum est enim quod sic, nisi aliquibus specialis gratiæ privilegio condonetur contrarium, quemadmodum de re-
Cf. p. 250 C. surrectionis acceleratione jam dictum est. Scriptura autem, sicut resurrectionem prænuntiat, ita et corporum reformationem,
Philipp. III, 21. ad Philippenses tertio. Hinc sicut oportet omnes mori ad hoc quod vere resurgant, ita oportet omnium corpora dissolvi in cineres ad hoc quod reformentur : quemadmodum enim mors inflicta est homini in pœnam a divina justitia, ita et corporis
Gen. III, 19. resolutio; unde in Genesi : Pulvis es et in pulverem reverteris. Exigit quoque ordo naturæ, ut non solum animæ ac corporis dissolvatur conjunctio, sed etiam elementorum commixtio : sicut acetum non potest in vini qualitatem reduci, nisi prius
A facta resolutione in naturam præcedentem. Ipsa etiam elementorum commixtio ex motu cœli causatur et conservatur : quo cessante, omnia mixta in elementa pura mox resolventur. — Porro per cineres intelliguntur hic omnes reliquiæ remanentes, humano corpore resoluto. Primo, quia communis mos fuit antiquorum, corpora mortuorum comburere, et cineres conservare : unde inolevit modus loquendi, ut ea in quæ corpus humanum resolvitur, cineres appellentur. Secundo, propter causam
B resolutionis, quæ est incendium fomitis, quo corpus humanum radicitus est infectum : ideo ad hujus infectionis purgationem oportet usque ad componentia corpus humanum resolvi. — Quod si quæratur, quomodo corpora tunc viva poterunt tam repente in cineres redigi; respondendum, quod ignis conflagrationis, qui faciem mundi purgabit, vehementia sui caloris hoc celerrime aget, sicut et alia mixta in præjacentem resolvet materiam.

Postremo quæritur, an pulveres illi ex
C quibus corpora reparabuntur humana, habebunt naturalem inclinationem ad animas quibus jungentur. Dicendum, quod circa hoc est triplex opinio. Una, quod corpus humanum nunquam resolvitur usque ad elementa : sicque in cineribus permanet semper vis aliqua addita elementis, quæ causa est naturalis inclinationis ad eamdem animam. Quæ opinio contrariatur auctoritati Augustini, dicentis in Enchiridio : Corpus humanum, in quamcumque aliorum corporum substantiam sive in
D ipsa elementa vertatur, in quorumcumque hominum vel animalium cibos cedat carnemque vertatur, illi animæ cedet in temporis puncto quæ illud habuit prius, et animavit ut fieret homo et cresceret. Est etiam contra sensum et rationem, quoniam omnia ex contrariis composita, possibile est resolvi in ea ex quibus componuntur. — Hinc alii dicunt, quod partes elementorum in quas humanum resolvitur corpus, retinent plus de luce ex hoc quod fuerunt animabus humanis conjun-

ctæ, atque ex hoc inclinationem quamdam A habent ad animam. Quod frivolum est, quoniam partes elementorum sunt unius naturæ, et æqualiter habent participationem lucis et obscuritatis. — Idcirco dicendum, quod in cineribus illis nulla est inclinatio naturalis ad resurrectionem, sed solum ex ordine divinæ providentiæ, quæ statuit illos cineres priori animæ reuniri : propter quod illæ partes elementorum iterato illi jungentur, non aliæ. Quod autem in Job
Job xx, 11. dicitur de iniquo, Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et simul cum eo B in pulvere dormient; non est intelligendum quod vitia actu maneant in pulveribus mortuorum, sed secundum ordinem divinæ justitiæ, quo pulveres illi sunt deputati ad corporis resurrectionem, quod pro peccatis cruciabitur in æternum. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Petrus in omnibus. Et quoniam compendiose declarat qualiter resurrectio Christi erit causa nostræ resurrectionis, responsionem ejus inducam. Quemadmodum (inquit) Adam est principium C mortis, sic Christus vitæ. Adam vero est causa mortis tam spiritualis quam corporalis; Christus autem est causa vivificationis ab utraque. Ipse namque est mediator Dei et hominum, in redeundo ac reducendo ad Deum, sicut Adam in exeundo. Hinc Christo mediante, descendunt a Deo in homines omnes gratiarum effectus ad reditum pertinentes : ideo sicut est universalis causa resurrectionis animarum, ita et corporum. Est quoque causa resurrectionis dupliciter, secundum duplicem naturam D exsistentem in ipso : quia in quantum Deus, est causa prima et quasi æquivoca, sicut sol plantæ; in quantum homo, est causa proxima et quasi univoca, sicut planta prior plantæ ex se ortæ. Porro in quantum Deus, est causa dupliciter. Est namque causa principalis et causa exemplaris omnium rerum. Similiter in quantum homo, est causa dupliciter. Est enim resurrectionis causa efficiens instrumentalis, per imperium voluntatis, et est causa exemplaris in eodem genere causæ, per suæ resurrectionis proprietatem. Hæc Petrus.

Qui rursus interrogat, utrum idem numero homo resurgat. Respondet : Idem et diversum sunt primæ differentiæ entis in actu. Hinc ex eisdem quibus res habet esse actu, habet esse idem aut diversum. Homo autem habet esse ex anima et corpore counitis. Unde ex eisdem numero corpore et anima habet idem numero esse. Oportet autem fateri, eumdem numero esse hominem qui meretur ac præmiatur. Quumque anima immortalis exsistat, et incorruptibilis sit ipsa prima materia corporis, constat eumdem numero hominem resuscitari. Attamen de forma hominis substantiali diversa est opinio, quum aliqui dicant non esse in eo formam substantialem præter animam rationalem; alii, quod post separationem animæ a corpore, manet in carne forma mixtionis, qua caro vere est caro, quamvis non caro hominis nisi æquivoce. Quæ forma per putrefactionem resolvitur in rationem seminalem, de qua postmodum divina virtute eadem numero forma reparatur : quæ quum sit incompleta respectu ultimæ formæ, videlicet animæ, ideo adveniens anima non est accidentalis sed substantialis forma, ponens esse in esse quidditativo specifico et completo.

Si autem objicias, quoniam omnis forma resultans ex conjunctione aliquorum, iteratur iteratione conjunctionis; talis autem forma consistit humanitas, quia ex corporis et animæ resultat conjunctione : ergo iterata illorum conjunctione, iteratur et ipsa. Dicendum, quod hoc verificatur de forma quæ ex conjunctione ipsa causatur. Humanitas autem ex ipsa conjunctione causari non dicitur, quum secundum quosdam, est idem quod anima; nominaturque anima, in quantum est forma partis; et humanitas, secundum quod est forma totius. Verum secundum Avicennam, humanitas non est pure et proprie forma, sed hominis tota essentia, continens in se animam simul et corpus; dicitur tamen for-

ma, quia per modum formæ in abstracto significatur. — Hæc Petrus.

Præterea, circa hæc addit Richardus : Perfectio universi exigit substantiam esse triformem seu triplicem, scilicet, pure corporalem, pure spiritualem, et ex utraque compositam; ideo nisi resurgeret genus humanum, esset universum sua perfectio-
Cf. t. XXII, p. 71 D' et s. ne privatum, quum probatum sit super secundum, corpora cœlestia animata non esse. — Animæ quoque unientur eisdem numero corporibus quibus ante fuerunt conjunctæ, quoniam animæ separatæ naturaliter ac determinate inclinantur ad corpora quæ animaverunt. Quamvis namque a principio creationis, anima quæ est hujus corporis forma, potuisset esse forma alterius corporis, tamen ex sua unione ad corpus hoc, amicitiam, inclinationem et habitudinem ad ipsum contrahit naturalem : quemadmodum si indifferens esset viro accipere alterutram duarum puellarum omnino similium, tamen postquam unam duxisset, magis afficeretur ad illam; et si ambæ resurgerent, adhuc magis inclinaretur ad eamdem. Unde et sexto Naturalium asserit Avicenna : In substantia animæ quæ incipit esse cum aliquo corpore, inest ex primis principiis affectio naturalis inclinationis ad occupandum se circa illud, et ad illud regendum, et ad providendum adhærendumque ei : et sic illi fit propria. Rectitudo quoque divinæ requirit justitiæ, ut qui participes sunt in demerito atque merito, participes sint in pœna et præmio. Certum est autem unamquamque animam cum proprio suo corpore communicare in bonis et malis : ergo remunerabitur cum eodem. — Insuper animas parvulorum in solo originali defunctorum, decet suis reuniri corporibus, ut in eisdem pœnam damni sustineant ex quibus infectionem contraxerunt.

Cf. p. 245 D'. Insuper quidam dixerunt, quod quum omnia naturalia per influentiam cœlestium corporum disponantur, quando omnes partes cœli redibunt ad primum suæ creationis locum, omnia generabilia et corru-
A ptibilia eadem numero revertentur, non simul, sed successive, eo ordine quo prius fuerunt; et hoc, per naturam universalem, quæ secundum Avicennam sexto Metaphysicæ suæ, est virtus infusa in cœlorum substantias, universitatem generationum gubernans. Porro octava sphæra ab occidente in orientem movetur proprio motu in centum annis per unum gradum. Gradus autem sunt trecenti sexaginta, quia duodecim sunt signa, in quorum quolibet sunt gradus triginta. Centies vero trecenti
B sexaginta constituunt triginta sex millia. Hi ergo dicunt, tunc futuram reformationem corporum per naturam. Sed sicut præhabitum est, opinio ista hæretica est, et rectæ philosophiæ contraria. Cf. p. 246 D et s.

Præterea de hoc, an corpori sufficienter disposito ad animæ reunitionem, possit se anima naturali virtute unire, sunt duæ opiniones, quarum una tenet quod imo, alia quod non; et potest utraque probabiliter sustineri.

Hæc vero tria quæ ait Apostolus, In jus- I Thess. IV, 16.
C su, et in voce Archangeli, et in tuba Dei, sic distinguuntur : quoniam primo Christus in suo descensu jubebit pulveres, seu quascumque corporum mortuorum partes, recolligi per ministerium angelicum : quod notatur, quum dicitur, Descendet in jussu. Secundo, præcipiet ex illis pulveribus recollectis corpora reformari, animasque reformatis uniri (quæ duo fient virtute divina) : quod præceptum notatur, quum dicitur, Et in tuba Dei. Tertio, Archangeli qui fuerunt custodes provinciarum, in
D provinciis quas custodierunt, valenter clamabunt sono sensibili articulato, ut universi coram Judice corporaliter compareant, definitivam et irrevocabilem sententiam audituri : quæ vox notatur quum dicitur, Et in voce Archangeli.

Amplius, naturalis inclinatio materiæ ad formam, non est nisi naturalis aptitudo recipiendi formam. Non enim potest ibi poni aptitudo naturalis quæ ultra hoc sit animalis; nec ita naturalis sicut in gravibus ad descensum. Hæc quoque aptitudo

materiæ ad formam est duplex, puta : remota, et sic in pulveribus corporum humanorum, imo et aliorum generabilium, est naturalis aptitudo ad susceptionem animæ rationalis, quia ad eam est materia aliquo modo disponibilis; et propinqua, et ita non est in illis pulveribus naturalis aptitudo seu inclinatio ad animam, quum non habeant ad eam aliquam inchoationem nec dispositionem naturalem determinatam, sed potius indeterminatam et vagam.

Quæritur etiam, in quo loco resurgent. Et respondetur, quod in locis in quibus tempore resurrectionis erit pars principalior corporis : et si in pluribus locis fuerint partes æque principales, ut medietas cordis seu capitis in uno loco, et medietas alia in alio, resurgent ubi placuerit Deo. — Item si inquiratur, an omnes mortui simul resurgent; dicendum quod imo, aut modico brevissimoque momento unus ante alium. Nam aliqui opinantur quod electi ante reprobos, et electi mortui ante ignem conflagrationis, ante eos qui in ipso igne morientur protinusque resurgent. Aliqui vero putant opposito modo de electis. — Hæc Richardus, de quibus infra plenius disseretur.

Concordat in præhabitis Bonaventura, secundum quem resurrectio erit omnium simul, propter sex rationes. Prima est severitas divinæ justitiæ, quæ infligit pœnam incinerationis corporum usque ad secundum Filii Dei adventum, sicut inflixit pœnam carentiæ visionis usque ad adventum ipsius primum. Secunda est meritum fidei, quæ multum meretur, credendo nos simul resuscitandos, qui videmur bestiis similes in moriendo. Tertia est unitas mystici corporis, propter quam decet nos simul glorificari. Et quia non simul felicitamur quantum ad animam, congruum est ut saltem secundum corpus simul glorificemur. Quarta est subsidium nostræ infirmitatis, quia dum Sancti suorum corporum glorificationem adipisci nequeunt sine nobis, vehementius nostram glorifi-

A cationem desiderant, dicente Apostolo ad Hebræos : Deo aliquid melius providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur. Quinta est divinæ justitiæ manifestatio. Quum enim omnibus debeat esse manifestum, quam juste Deus salvet justos, et impios damnet, decrevit hoc in fine coram omnibus exhibere ac adimplere. Sexta est consummatio gloriæ. Nam quum angeli sancti sint adhuc quodammodo viatores quantum ad administrationis officium, et quoad profectum in gau- *Hebr.* XI, 40.

B dio accidentali secundum multitudinem electorum ; non debuit perfectio gloriæ consummari nisi simul in fine, in omnium generali beatifica consummatione.

Circa id vero, an resurrectio erit miraculosa vel naturalis, dicendum quod in resurrectione sunt tria. Primum est reformatio corporis ex ipsis pulveribus, quod erit super naturam. Secundum erit reunio animæ cum corpore suscitato atque disposito, et hoc erit secundum naturam. Tertium erit animæ et corporis colligatio

C deinceps perpetua, quod etiam erit supernaturale, videlicet quod ex corruptibili et mortali immortale efficitur. Quumque primum et ultimum horum trium sit super naturam, nec ad secundum natura sufficiat, resurrectio non est dicenda naturalis, sed miraculosa seu super naturam. — Hæc Bonaventura.

Porro dicta Alberti in dictis Thomæ sententialiter continentur. Et addit Albertus, quod tamen partim præhabitum est : Quemadmodum Christus moriens causa est no- p. 253 B et s.

D stræ reconciliationis, et resurgens causa est nostræ justificationis, atque ad infernum descendens, nostræ ereptionis ; sic quoque sua resurrectione nostræ resurrectionis futuræ est causa. Denique in his parum aut nihil ratio valet humana : ideo Sanctis inspirationem a Deo habentibus est prorsus consentiendum. Qui quum dicant, quod Christi resurrectio sit causa effectiva et sacramentalis nostræ resurrectionis, idcirco et ego hoc dico, nihil de verbis eorum mutando. Unde dicendum,

quod triplex nostræ resurrectionis est causa. Prima, efficiens principalis æquivoca, scilicet Deus Trinitas. Causa namque æquivoca nuncupatur, quando causa et effectus non sunt unius speciei seu rationis : sicut sol generat hominem. Causa univoca nominatur, quæ producit simile sibi in specie, ut leo leonem : sicque Christus ut resurgens, causa nostræ resurrectionis censetur ; causa (inquam) efficiens secundum habitum. Causa autem univoca secundum actum seu actualis, erit Christus in judicio deferens ac præsentans passionis suæ insignia, ad cujus præsentationem nostra resurrectio mox sequetur. — Vox demum tubæ seu Archangeli, erit secundum Magistrum, vox angeli alicujus et multorum angelorum, id est unius et plurium : alicujus, utpote qui est præpositus Ecclesiæ ; et multorum angelorum obsequentium ei, circa singulorum rationes et exsecutiones diversas.

At vero finis mundi præsciri non potest ex motu cœli, per propriam mathematicorum scientiam. Sed finis alicujus regni et civitatis ac habitabilis terræ nostræ bene scitur ex propria scientia mathematicorum, non autem totius terræ : quia dum una quarta pars habitabilis, modo efficitur inhabitabilis propter brevitatem diametrorum planetarum, et præcipue solis, tunc eo ipso longior longitudo alterius partis eorumdem diametrorum erit in altera parte quarta, et illa efficitur habitabilis, transeunte habitatore et habitabilitate ab una quarta in alteram. Nihilque amplius accipi potest a propria mathematicorum peritia, sicut sciunt omnes qui de hac arte aliquid noverunt perfecte, ut scribunt auctores Ptolemæus, Malarba, et Albumasar in libro de Conjunctionibus majoribus, Rabbi Abraham quoque libro de Conjunctionibus Saturni et Jovis, et Maschaallah libro de Conjunctionibus planetarum. Quod et Aristoteles innuit in fine primi libri de Causis proprietatum elementorum et planetarum.

Porro de magno anno diversa tradiderunt diversi philosophi, secundum variam anni hujus acceptionem. Dicitur namque magnus annus planetarum multipliciter, scilicet quantum ad unius planetæ significatum quod instillat sectæ : et sic alii sunt anni maximi Saturni, et aliorum planetarum. Et secundum hoc dicuntur anni medii, secundum quos durat significatum planetæ in civitate aut villa; et minimi, secundum quos durat significatum in nato, et alii siderei anni honoris ejus. Quandoque etiam dicitur magnus annus quoad restitutionem planetarum ad loca atque origines suas, ut quilibet a sua progrediatur origine, sicut a principio sui progrediebatur. Interdum magnus annus vocatur secundum reditum totius sphæræ stellatæ. In omnibus vero his annis non accipitur status motus, nec revolutio ultima post quam non sit alia : ideo finis mundi nunquam a philosophis determinatur, sed bene finis hujus sectæ vel habitationis.

Denique Sanctis facta est revelatio de signis antecedentibus judicium, sed (ut puto) determinatum tempus nunquam revelatum est alicui in toto, ita ut sciret quantum ab hodie aut alio determinato die sit usque ad diem judicii. Daniel autem videtur determinare tempus quod erit inter mortem Antichristi et diem judicii, sed quod erit usque ad Antichristi apparitionem non dixit. Imo omnes qui se de hoc intromiserunt, fatui sunt inventi. — Et si objiciatur, quod Plato in Timæo locutus est de diluvio ignis, et juxta dicta Sanctorum, hoc diluvio facies mundi inferioris peribit : dicendum, quod philosophi considerant causas diluviorum particularium secundum elevationes et depressiones planetarum in signis calidis et frigidis, et secundum dominia calidorum et frigidorum, non autem de conflagratione universali ignis, ut tradit fides; scripserunt tamen de magno anno, quo omnia (ut dixerunt) in primum chaos revertentur, ac denuo educentur.

Tempus autem congruentius finali judicio videtur nox media, ex congruentia

judicandorum qui hic merentur, ut incerti de hora, sint semper solliciti. — Præcedet etiam judicium illud citatio, quæ ultima erit, per Henoch et Eliam ; et quoad hoc, ibi servabitur ordo juris. — Hæc Albertus. Scripta vero Antisiodorensis de his, in præinductis contenta sunt.

Amplius Scotus : Duo, inquit, videnda sunt hic. Primum de possibilitate, id est, an resurrectio possit esse. Secundum de facto, id est, utrum realiter erit. De primo sic dicitur : Si in homine anima sensitiva esset diversa ab anima rationali, optime concluderetur quod in resurrectione non erit eadem anima sensitiva, et per consequens nec idem animal. Si autem ponatur, quod eadem anima secundum substantiam sit in homine rationalis et sensitiva, nullas in hoc angustias patiemur : quoniam aliorum animalium forma seu anima non est per se subsistens, ut post corruptionem compositi maneat, sicut anima rationalis, quæ *esse* quod sibi in corpore acquiritur, post separationem a corpore retinet; et in participationem illius *esse,* corpus per resurrectionem reducitur, ita quod non sit aliud *esse* corporis et aliud animæ in homine : propter quod nulla interruptio facta est in *esse* hominis substantiali per mortem. Ideo possibile est hominem redire eumdem numero per resurrectionem, non sic in aliis corruptis. Hæc Scotus.

Quocirca sciendum, quod recitat hic positionem Henrici in hujus distinctionis p. 245 B. principio positam, et consequenter arguit contra eam, probans quod quamvis anima rationalis omnino destrueretur, seu etiam annihilaretur, nihilo minus posset Omnipotens eamdem numero reparare, eumdemque numero hominem resuscitare. Sed advertendum, quod disputatio ista videtur inutilis, quum non sit contra mentem Doctoris solennis, imo nec contra verba ejus integre fideliterque resumpta, quamvis possit aliqualiter æstimari esse contra verba tanti doctoris truncate relata captioseque repetita. Non enim doctor ille affirmat, imo nec opinatur, quod Omnipotens non

A posset animam aliamve substantiam (quamvis destructam et annihilatam) eamdem numero reparare : imo formaliter hoc concedit, et frequenter id factum est in evangelica lege ad confirmationem fidei christianæ : quoniam S. Sylvester suscitavit taurum defunctum, et vir admirabilis ac divinus, Germanus episcopus, suscitavit a morte suum asinum mortuum, vitulum quoque suæ familiæ coctum et comestum ab ea. Et quamvis Henricus dicat, in hoc animam rationalem ab anima brutali dif-
B ferre, quod ipsa est post mortem subsistens, et esse actuale quod corpori communicavit, in se retinens; ex hoc tamen non infert, quod ideo anima brutalis per omnipotentiam Dei non valeat reparari ac suscitari, sed quod ex parte rei major sit difficultas seu dubitatio apud infideles seu minus fideles, de resurrectione irrationalium quam rationalium creaturarum. Deinde Henricus intendit concludere, quod *Cf.* p. 245 D. naturali agenti impossibile sit mortuum suscitare naturali potestate, potissime ex
C parte transmutationis seu motus, sine quo non operatur agens naturale : quoniam motus seu transmutatio præterita quæ desiit esse, non potest numero eadem repeti, sicut nec tempus, quum sint de genere successivorum, quorum reiterationis in identitate naturali impossibilitas non ex parte infinitæ omnipotentiæ Dei est, sed ex rerum incapacitate seu contradictionis implicatione. Et breviter, in hujus decisione quæsiti, nihil videtur Henricus asserere quod doctrinæ communi non concordet,
D nisi quod hic sicut et alibi dicit, in homine præter animam rationalem esse formam aliam substantialem corporeitatis. Et si hoc irrationabile est, quanto magis quod Scotus ponit in homine ultra hoc etiam alias formas substantiales? ut recitatum et tom. XXII, p. 287 C'. reprobatum est supra, tractatu de Sacramento altaris.

Insuper Scotus hic arguit : In homine est aliqua entitas positiva, quæ neque est pars materialis, nec pars formalis, quia aliquid est ibi causatum a causis intrin-

secis; sed nec causa materialis, nec causa A formalis a causis intrinsecis est causata, nec ambo simul : ergo est aliqua alia entitas a causis divisim acceptis. Et illa destruitur, alioqui homo non esset vere mortuus; et tamen illa reparabitur entitas eadem numero : alias non esset idem numero homo. — Circa hæc verba quæro, quæ sit ista entitas alia : quia aut de prædicamento substantiæ, aut de aliquo genere accidentis. Si primum, aut est materia, aut forma substantialis, aut forma totius, quæ vocatur humanitas : quæ est aut ipsa B anima rationalis secundum rem, quamvis secundum aliam rationem; vel animam materiamque includit, et est realiter idem cum anima rationali et carne simul acceptis. Si autem est de genere accidentis, non de necessitate exigitur ad materialem et substantialem hominis resurgentis seu resuscitati identitatem. Denique, Verbum æternum assumpsit humanitatem, non tamen aliquid de genere substantiæ exsistens, nisi animam rationalem et carnem.

dist. VI, q. 5. Super tertium etiam (si bene recorder) C contra hujusmodi entitatem satis est disputatum. Et multa hic scribit Scotus, quæ etiam a Bonaventura hic reprobantur, sed et alia multa scribit in hac quæstione ad reprobandum dicta Henrici, quæ non sunt contra verum intellectum ipsius : idcirco pertranseo.

Insuper Scotus sciscitatur, utrum possit esse notum per naturalem rationem, resurrectionem hominum generalem esse futuram. Et circa hæc scribit : Si accipi potest ratio sufficiens ad probationem re- D surrectionis, oportet hanc accipi a forma specifica hominis, vel ab operatione conveniente homini secundum formam illam. Primo modo procedendo, ex tribus propositionibus concluditur propositum; et si illæ essent naturali ratione patentes, haberemus propositum. Prima est, Anima intellectiva est forma hominis specifica; secunda, Anima intellectiva est incorruptibilis : ex quibus sequitur quod specifica hominis forma sit incorruptibilis. Tertia est, Forma hominis specifica non manebit perpetuo extra suum totum : ergo aliquando redibit. Ergo homo resurget : quia secundum Damascenum libro quarto, resurrectio est ejus quod dissolutum est, secunda surrectio.

Prima harum propositionum nota est rationi, et puri philosophi illam confessi sunt, et super secundum probata est. Nam *Cf.* t. XXII, p. 141 B. et philosophi communiter dicunt, rationale esse differentiam hominis, intelligentes per *rationale* animam intellectivam esse essentialem hominis partem; nec (breviter) invenitur aliquis philosophus notabilis qui hoc neget, licet ille maledictus Averroes, in sua fictione tertio de Anima (quæ tamen fictio nec sibi nec aliis intelligibilis est), ponat intellectum esse quamdam substantiam separatam, hominibus conjungibilem mediantibus phantasmatibus. Quam conjunctionem nec ipse, nec aliquis eum sequens, potuit explicare; nec potest salvare, hominem formaliter intelligere : imo secundum ipsum, homo non esset formaliter nisi quoddam animal irrationale, quamvis excellentius aliis irrationabilibus. — Ad secundæ propositionis probationem sic arguunt philosophi : Quod *Cf.* t. XXII, p. 148 D'. corrumpitur, aut corrumpitur per contrarium, aut per defectum alicujus necessario requisiti ad esse ejus. Sed anima intellectiva non habet contrarium, nec esse corporis est simpliciter necessarium ad ejus esse. Præterea, simplex non potest separari a se ipso : anima est simplex, etc. — Tertia propositio declaratur : Pars extra suum totum est imperfecta. Sed animam rationalem manere perpetuo imperfectam, inconveniens est : præsertim quum nullum violentum sit perpetuum. Separatio autem animæ a corpore, est quasi quid violentum, quum sit contra naturalem animæ inclinationem.

De ista materia Scotus scribit prolixe, ponendo diversas auctoritates Philosophi, ex quibus videtur sensisse animas esse immortales. Ad quas respondet, quemadmodum et Henricus in Quodlibetis et in

Cf. t. XXII, p. 132 B. Summa, quod Aristoteles semper nutavit A et dubitavit in ista materia, sicut et de mundi æternitate et providentia Dei et finali retributione justitiæ; et secundum diversa principia quæ habebat, nunc loquebatur favorabilius pro una parte, nunc pro alia. Ex quibus Scotus concludit, quod resurrectio generalis (quam ponimus) non possit naturali ratione probari. Mihi vero videtur, quod duæ illæ propositiones possunt demonstrative probari, et super se- dist. XVII, q. 2; XIX, q. 1. cundum ostensæ sunt. Sed tertia habet instantiam : quamvis enim animæ sit na- B *Cf.* t. XXI, p. 107 C. turale primo conjungi corpori, tamen dum esset semel separata a corpore, et scientias ac virtutes adepta, convenientius ei esset perpetuo esse separatam, quam corpori corruptibili ærumnoso rursus conjungi; nihilo minus salubrius ei esset reuniri corpori glorificando, secundum quod fides ponit catholica.

Contra positionem demum philosophorum, dicentium omnia in hoc mundo post magnum annum renovari, arguit Augustinus, quia opinio illa tollit veram felicita- C tem. Nam anima separata beata, aut putaret se nunquam ad hujus vitæ miserias revolvendam ac reituram, aut sciret hoc. Si primum, esset falsa opinione beata; si secundum, merito formidaret ac tristaretur : quæ ratio efficacior est ad reprobandum insanias quæ Origeni imputantur, ut *Cf.* t. XXII, p. 141 D' et B.; XXIII, p. 136 C'. supra secundum expositum est.

Insuper ad hoc, utrum resurrectio sit naturalis, respondet : Naturale multipliciter sumitur, et secundum hoc diversis opponitur. Nam uno modo opponitur su- D pernaturali; alio modo, artificiali seu voluntario; tertio, violento. Resurrectio ergo erit naturalis, prout naturale opponitur violento, non prout opponitur supernaturali.

Amplius ad id, utrum resurrectio erit in instanti, respondet, quod collectio cinerum erit in tempore; introductio vero formæ corporis, id est, formæ substantialis corporeitatis in corpus ex pulveribus formandum, erit in instanti et immediate a Deo. — In qua responsione præsupponit in quolibet resuscitando ad minus futuras duas formas substantiales, videlicet formam corporeitatis et animam rationalem. Contra quod probatum est super secundum, non esse nisi unam formam substantialem in uno composito : quod et Philosophus et Commentator in multis sentiunt locis. — Postremo asserit Augustinum sentire in expositione verborum Apostoli, Deinde nos qui vivimus, etc., quod primo resurgent qui ante secundum illum Christi adventum defuncti fuerunt, et protinus post hoc, qui tunc vivi invenientur. — De loco autem resurrectionis dicit posse putari, quod in diversis locis resurgent, vel quod per angelos sanctos pulveres deferentur ad aliquem locum communem, in quo simul resuscitabuntur. — De hora autem dicit esse incertum, an in hora qua Christus surrexit, vel qua fuit judicatus, aut in qua tradidit spiritum. Nam quod dicitur Christus venturus in nocte, potest exponi de incertitudine temporis sui adventus.

(Margin: dist. XV, q. 5; XVII, q. 2. — I *Thess.* IV, 17.)

QUÆSTIO II

Quæritur modo, **Utrum in hora judicii unusquisque cognoscet distincte omnia sua peccata, et etiam aliorum universorum, tam electorum quam reproborum.**

Videtur quod non : quia secundum Philosophum, contingit plura simul scire, id est habitualem cognitionem habere, unum vero intelligere; unde communiter fertur, quod impossibile sit plura simul actualiter intelligere. Quomodo ergo posset quis tam sui ipsius quam innumerabilium millium hominum, tam innumerabilissima peccata, tam subito ac distincte cognoscere? — Videtur quoque hoc confusivum esse Sanctis quampluribus, quod singula eorum peccata per pœnitentiam deleta, universis singulisque paterent. — Sed et

peccata per pœnitentiam sublata, sic sunt ac si nunquam fuissent. — Insuper, nihil cognoscitur nisi per similitudinem aliquam; et peccata quæ sunt velut privationes, noscuntur per habitus oppositos, nec tot atque tantorum habituum similitudines possunt simul actuare intellectum : *Cf.* t. XXI, p. 263 B. præsertim quum dictum sit super secundum ex auctoritate Algazelis, quod sicut corpus nequit simul diversis formari figuris, ita nec intellectus pluribus intelligibilibus speciebus.

In oppositum est, quod finale illud judicium fiet, quatenus universi et singuli sciant justissimum esse Dei judicium : quod agnoscere non valebunt, nisi sua ac aliorum peccata noscant distincte.

Dicitur quoque in littera de libris conscientiarum, quod in illis legentur gesta cunctorum : quod non videtur possibile, quum gesta illa jam diu desierint, nec in aliquo repræsententur. — Nec bene sonare videtur, quod reprobi et iniqui tantam desuper illuminationem habebunt, ut cordium intueantur secreta in aliis.

Circa hæc scribit Albertus : Quemadmodum ait Glossa in epistolam ad Romanos, *Rom.* I, 18. notæ quædam præteritorum malorum in conscientiis remanent, et has notulas puto esse reatus, per quos unicuique sua repræsentantur peccata. Unde Richardus de S. Victore in libro de Judicio loquitur : Quid sunt corda judicandorum, nisi quædam (ut sic loquar) actiones scriptæ? Et quid judicantium corda in omnem divinitus veritatem edocta, nisi quædam quasi canonum decreta? Ex hac ergo gemina scriptura omnis trahitur sententia unde quilibet judicandorum absolvitur vel ligatur. Ex quibus accipitur, quod tam judicandorum quam judicantium conscientiæ libri dicantur; sed judicandorum conscientiæ ponunt causas judicandi, judicantium vero conscientiæ exhibent canones sententiæ in talibus causis ferendæ. Denique omnia peccata per pœnitentiam non deleta, ibi patebunt. Quæ enim deleta sunt,

A non sunt peccata : ideo ibi ad scientiam et judicium non revocantur. Omnia etiam mala propria et aliena ibi manifestabuntur. Etenim super illud ad Corinthios, Quoadusque veniat Dominus, etc., dicit I *Cor.* IV, 5. Glossa : Tunc omnia aperta erunt omnibus, ut possint de omnibus judicare. — Et si quæratur, quid cruciatus oriatur ex hoc iniquis; dicendum, quod est pœna damni et pœna sensus. Pœna damni maxima, est privatio boni increati et creati, propter deformitatem peccati. Pœna sensus est du-
B plex, puta, interior remorsus conscientiæ, et pœna exterior, scilicet incendium ignis cum aliis afflictivis. Et inter illas credo exteriorem ignem esse magis vehementem : quia remorsus interior aut est de damno, aut de hoc quod peccando se subdidit corporeo afflictivo. Hæc Albertus.

Qui etiam sciscitatur, utrum possibile sit omnia peccata simul in momento accusari. Respondet : Ad hoc mihi videtur dicendum, quod accusatio erit duplex. Una de peccatis in genere ad memoriam red-
C euntibus; alia in specie et numero. Prima in judicio sufficit ad condemnationem; secunda deservit vermi conscientiæ. Prima quoque erit momentanea, alia successiva. Et istud dico, quia nequaquam credo quod contingat plura simul intelligi aut considerari in actu. Alii tamen dicunt contrarium, et quod accusatio erit in specie et numero vitiorum. Hæc Albertus.

De his Thomas plenius planiusque conscribens : Teste (inquit) Apostolo ad Romanos, in die quo Dominus judicabit,
D unicuique conscientia sua testimonium *Rom.* II, 15. reddet, et cogitationes erunt accusantes et defendentes. Et quia oportet quod testis et accusator et defensor in quolibet judicio habeant notitiam horum quæ in judicio versantur, in illo autem communi judicio omnia hominum opera in judicium venient, oportet quod omnium operum suorum unusquisque notitiam habeat. Unde tunc conscientiæ singulorum erunt veluti quidam libri continentes res gestas, ex quibus procedet judicium. De quibus

Apoc. xx, 12. in Apocalypsi legitur: Libri aperti sunt, et A alius liber apertus est, qui est liber vitæ; et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris. Ubi per libros sic apertos intelliguntur, secundum Augustinum, Sancti novi ac veteris Testamenti, in quibus Deus monstravit quæ præcepta donavit. Per librum vero vitæ intelliguntur conscientiæ singulorum, quæ dicuntur singulariter unus liber, quoniam una divina fiet virtute ut cunctis propria facta ad memoriam revocentur. Et hæc vis in quantum reducet homini ad memoriam sua facta, B liber vocatur. Vel per primos libros designantur conscientiæ, per secundum sententia Judicis descripta in providentia ejus. Quamvis autem multa merita atque demerita a memoria excidant, omnia tamen aliquo modo manent in suo effectu. Merita namque non mortificata, manent ac relucent in præmio; mortificata vero, permanent in reatu ingratitudinis, quæ augetur ex hoc quod homo post gratiæ susceptionem peccavit. Demerita quoque per pœnitentiam non deleta, in reatu pœnæ C eis debitæ manent; et quæ per pœnitentiam sunt deleta, manent in pœnitentiæ memoria. Ad hoc tamen principaliter operabitur vis divina, secundum Augustinum. — Verumtamen notitia seu memoria peccatorum non erit Beatis causa doloris, sed potius materia jucunditatis et gratiarum actionis de omni misericordia eis exhibita : quemadmodum angeli gaudent de divina justitia qua relinquuntur eis commissi, ita quod peccant ac pereunt.

Præterea si quæratur, an quilibet possit D legere in conscientia alterius omnia quæ sunt scripta in ea; dicendum, quod in extremo judicio oportet divinam justitiam omnibus apparere, quæ jam latet in multis. Sententia vero Judicis damnans aut salvans, non erit justa, nisi secundum merita ac demerita proferatur : ideo sicut oportet quod judex et assessor merita noscant causarum, ad hoc quod judicium proferant justum; ita ad hoc ut sententia appareat ac innotescat aliis esse justa, oportet quod causas sententiæ sciant, hoc est merita electorum, et demerita reproborum. Hinc sicut unicuique clara erit sua præmiatio seu sua damnatio, et cur taliter præmietur, ita et ceteris omnibus innotescet. Et hæc est probabilior communiorque opinio, quamvis Magister aliter sentiat, dicens, quod peccata per pœnitentiam deleta, aliis in judicio non patebunt : ex quo sequeretur quod nec pœnitentia pro illis peccatis facta, cunctis constaret; per quod multum gloriæ electorum et laudi divinæ detraheretur. Hæc autem merita seu demerita omnibus ostendentur in suis effectibus vel in se ipsis virtute divina, ut dictum est. Nec illa publicatio vitiorum erit Sanctis ad ignominiam, sed magis ad gloriam, propter subsecutam pœnitentiam et misericordiam Dei eis exhibitam : sicut et nunc non est Paulo apostolo et Mariæ Magdalene ad inhonorationem, quod eorum peccata in Ecclesia agnoscuntur et recitantur.

Quæritur quoque, an universi in judicio videbunt omnia ista intuitu uno et instanti, vel diviso intuitu et successivo. Dicendum, quod de hoc est duplex opinio. Una quod sic : quod de Beatis facile credi potest, quum omnia videant in uno, hoc est in increato speculo ac lumine Dei; de reprobis vero est hoc magis difficile. Propter quod alii dicunt, quod mali videbunt omnia peccata sua in genere, et hoc eis ad damnationem sufficiet. Sed hoc non videtur consonum Augustino, vicesimo de Civitate Dei dicenti, quod omnia mentis intuitu enumerabuntur : quod sine particulari ac distincta cognitione fieri nequit. Hinc media via eligi potest, dicendo, quod singula considerabuntur, non tamen in instanti, sed brevissimo tempore, divina virtute ad hoc adjuvante, et hoc est quod Augustinus dicit ibidem, quod mira celeritate enumerabuntur. Nec hoc impossibile reputetur, quum in tempore quantumlibet brevi sint potentialiter infinita instantia. — Ex quibus patet solutio ad objecta. — Hæc Thomas in Scripto.

Consonat Petrus : In judicio, inquiens, A apparebit omnibus perfectissime præsens justitia, ac præterita misericordia Dei circa ipsos. Et ut evidentissime appareat eis præsens Dei circa ipsos justitia, manifestabuntur eis præsentia eorum merita atque demerita. Rursus, ut appareat eis præterita Dei circa ipsos misericordia, innotescent eis merita eorum præterita, quamvis fuerint annullata. Hæc Petrus. — Scripta quoque Richardi continentur in præinductis, et concordant eisdem.

Porro Bonaventura hic multa interrogat B de libro vitæ, quid sit, cur Filio approprietur : de quibus pertranseo, quoniam supra primum sunt expedita. Et addit, respondendo ad istud, utrum omnia videantur si- (tom. XX, p. 526 D et s.) mul ab omnibus: Omnes repente vel simul omnia peccata videbunt, et magis credendum quod simul. Ad quod intelligendum, sciendum est quod multa videre simul ut multa, tripliciter potest contingere. Primo, ratione ejus in quo videntur, quia videlicet aliquis videt multa in uno: et ita in speculo æterno multa simul videntur. Secundo, ratione sublimationis intellectus, quia efficitur deiformis per gloriam : et ita Beati vident simul plura, sicut et Deus, quamvis non omnimodo ita. Tertio, ratione divinæ virtutis hoc facientis; quæ tamen per hoc non facit intellectum gloriosum, nec ostendit ei exemplar æternum, sed elevat intellectum, ut possit aliquid supra se, sive ad gloriam vel ad pœnam. Hæc Bonaventura.

DISTINCTIO XLIV

A. *De ætate et statura resurgentium.*

(Hugo, de Sacram. lib. II, p. XVII, c. 18. — *Ephes.* IV, 13.) SOLENT autem nonnulli percontari et quærere, an in eadem ætate et statura corporis omnes resurrecturi sint. Quidam putaverunt omnes resurrecturos secundum mensuram ætatis et staturæ Christi, ideo quia Apostolus ait : Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. (Haymo in Ephes. IV, 13.) Sed in his verbis non eadem resurgentibus assignatur statura, sed ætas. Omnes enim in eadem ætate resurgent, in qua Christus mortuus est et resurrexit, cujuscumque ætatis mortui fuerint. *Virum* autem posuit, non ut distingueret sexum, sed ut significaret perfectionem virium quam tunc habebunt; sed non omnes eamdem staturam (Aug. de Civit. Dei, lib. XXII, c. 15.) corporis obtinebunt. Unde Augustinus : Non (ait) in mensuram corporis vel staturæ, sed ætatis : quia unusquisque suam recipiet mensuram corporis, quam vel habuit in juventute, etiam si senex obiit, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Ætas vero illa erit ad quam pervenit Christus, scilicet juvenilis, ut circa triginta annos. Triginta enim duorum annorum et trium mensium erat ætas Christi, (Ibidem.) in qua mortuus est et resurrexit. Non est autem fas dicere, quod in resurrectione accedat corpori magnitudo quam nec habuit hic, nec erat habiturum diu vivendo. Nec majora corpora redigenda sunt ad modum dominici corporis : periret enim mul- (*Luc.* XXI, 18.) tum de illis corporibus, quum nec periturus sit capillus, ut ait Dominus : Capillus de capite vestro non peribit.

B. *Quod resurget quidquid fuit de substantia et natura corporis, et in eadem parte corporis.*

Non enim perit Deo terrena materies de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, et in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque etiam animalium vel hominum cibum carnemque mutetur, illi animæ in puncto temporis redibit, quæ illam carnem primitus ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit. Ipsa ergo terrena materies, quæ discedente anima fit cadaver, non ita in resurrectione reparabitur, ut ea quæ dilabuntur et in alias atque alias rerum species vertuntur, quamvis ad corpus redeant unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt, redire necesse sit. Alioqui si capillis redit quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus quod toties dempsit exsectio, immoderata et indecens cogitantibus resurrectionem carnis, et ideo non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cujuslibet solubilis metalli igne liquesceret, vel contereretur in pulverem, vel confunderetur in massam, et eam vellet artifex rursum ex illius materia et quantitate reparare, nihil interesset ad ejus integritatem quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat, restituta resumeret; ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex de toto quo caro nostra exstiterat, eam mirabili celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad ejus redintegrationem, utrum capilli ad capillos redeant, et ungues ad ungues; an quidquid eorum perierat, mutetur in carnem, et in partes alias corporis revocetur, curante artificis providentia, ne quid indecens fiat. Indecorum quippe aliquid ibi non erit; sed quidquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit.

Hugo, de Sacram. lib. II, p. XVII, c. 15. Aug. Enchirid. c. 88. — Ibid. c. 89. — Ibid. c. 90.

C. *Quod Sancti sine omni deformitate resurgent.*

Hoc autem in corporibus Sanctorum intelligendum est, de quibus consequenter adjungit : Resurgent ergo Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate; in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit : propter quod et spiritualia dicta sunt, quum procul dubio corpora sint futura, non spiritus. — Ex his apparet quod una erit ætas omnium resurgentium, scilicet juvenilis; statura vero diversa, scilicet quam quisque habuerat in juvenili ætate, vel erat habiturus, si ante est defunctus. Nec de substantia de qua hominis caro creatur, aliquid peribit, sed omnium particularum ante dispersarum collectione redintegrabitur naturalis substantia corporis. Sanctorum quoque corpora sine omni vitio, fulgida sicut sol resurgent, præcisis cunctis deformitatibus quas hic habuerunt.

Hugo, op. cit. c. 17. Aug. op. cit. c. 91.

D. *Si mali tunc habeant quas hic habuerunt deformitates.*

Hugo, de Sacram. lib. II, p. XVII, c. 20. Aug. Enchirid. c. 92.

De reprobis autem quæri solet, an cum deformitatibus hic habitis resurgent. Hoc Augustinus non asserit, sed dubium reliquit, ita inquiens : Quicumque ab illa perditionis massa quæ per Adam facta est, non liberantur per Christum, resurgent quidem etiam ipsi, unusquisque cum sua carne, sed ut cum diabolo ejusque angelis puniantur. Utrum vero ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum corporum resurgant, quæcumque in eis gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. Ecce non definit, an tunc habeant deformitates quas hic habuerunt reproborum corpora.

E. *Quod non consumentur corpora quæ tunc ardebunt.*

Id. de Civit. Dei, lib. XXI, c. 4.

Si vero quæritur dé corporibus malorum, quomodo in igne ardeant et non consumantur, Augustinus variis exemplis adstruit, et sempiternis ignibus ea ardere, et non consumi illa combustione : sicut animus (cujus præsentia corpus vivit) et dolorem pati potest, mori autem non potest. Hoc enim erit tunc in corporibus damnatorum, quod nunc esse scimus in animis omnium.

F. *Si dæmones corporali igne cremantur.*

Hugo, op. cit. p. XVI, c. 5. Aug. op. cit. c. 10, n. 1. Ibid. n. 2. *Apoc.* XX, 9.

Solet etiam quæri, an dæmones corporali igne ardeant. Ad quod Augustinus respondens ait : Cur non dicamus, quamvis miris, veris tamen modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Gehenna illa, quæ stagnum ignis et sulfuris dicta est, corporeus ignis erit, et cruciabit damnatorum corpora hominum vel dæmonum, sed solida hominum, aeria dæmonum. Unus enim utrisque ignis erit, ut Veritas ait. De quo igne si quæritur, qualis vel ubi sit, Augustinus sic respondet : Ignis æternus cujusmodi sit, et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit.

Aug. op. cit. lib. XX, c. 16.

G. *Si animæ sine corporibus sentiunt ignem corporalem.*

Hugo, ubi supra.

Quum autem constet animas igne materiali in corporibus cruciandas, quæri solet, an interim ante resurrectionem corporum animæ defunctorum reproborum materiali igne crementur. De hoc Julianus Toletanæ Ecclesiæ episcopus, Gregorii dicta secutus, ita scripsit : Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igne teneatur? Teneri autem per ignem

Julian. Prognostic. lib. II, c. 17.

spiritum dicimus, ut in tormento ignis sit videndo atque sentiendo. Quod autem non solum videndo, sed etiam experiendo anima ignis tormentum patiatur, ex Evangelio colligitur, ubi Veritatis voce dives mortuus dicitur in inferno sepultus; cujus anima quod in igne teneatur, insinuat, quum Abraham deprecatur dicens : Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Dum ergo peccatorem divitem damnatum in ignibus Veritas perhibet, quis sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? Præcipue quum humanam animam corporis similitudinem habere doceat Augustinus, ita inquiens : Profiteri animam habere posse similitudinem corporis et corporalium omnino membrorum quisquis renuit, potest negare animam esse quæ in somnis videt vel ambulare se, vel sedere, vel huc atque illuc gressu vel etiam volatu ferri. Hoc sine quadam similitudine corporis non fit. Proinde si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem; ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus, sive in requie, sive in doloribus. In Cassiani etiam voluminibus legitur, quod non sint otiosæ, neque nihil sentiant, quum dives ille in inferno se flamma cruciari clamet. Unde probatur, animas defunctorum non solum suis sensibus non privari, sed nec istis affectibus, scilicet spe, tristitia, gaudio ac metu carere; et ex his quæ sibi in illo generali examine reservantur, eas quædam jam incipere prægustare.

Luc. XVI, 22-24.

Aug. de Genesi ad litt. lib. XII, n. 62.

Cassian. Collat. I, c. 14.

H. *De abortivis fetibus et monstris.*

Illud etiam investigari oportet, si abortivi fetus et monstra resurgent, et qualia. De quo Augustinus ita ait : Occurrit de abortivis fetibus quæstio, qui jam nati sunt in uteris matrum, sed non ita ut jam possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus, de his qui jam formati sunt, tolerari potest utcumque quod dicitur. Informes vero quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerunt? Scrupulose quidem inter doctores quæri ac disputari potest, quando incipit homo in utero vivere, an sit quædam vita occulta quæ nondum motibus viventis appareat. Negare enim vixisse puerperia quæ ideo membratim exsecantur ut ejiciantur ex uteris prægnantium, ne matres etiam, si mortua ibi relinquantur, occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest; mortuus vero, ubicumque illi potuit mors evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat, reperire nequeo. Neque enim et monstra quæ nascuntur et vivunt, quantumlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, sed potius correcta eorum emendataque natura. Absit enim ut illum bimembrem, quem nuper natum in oriente fratres fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt, et S. Hieronymus scriptum reliquit, ut unum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum erat, si gemini nascerentur, resurrecturos æstimemus. Ita et cetera quæ nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram in resurrectione revocabuntur.

Hugo. de Sacram. lib. II, p. XVII, c. 14.

Aug. Enchirid. c. 85.

Ibid. c. 86.

Ibid. c. 87.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ QUARTÆ

PRÆINDUCTA distinctione tractavit Magister de ipsa resurrectione et concernentibus eam, puta de loco et tempore ipsius. Hic tractat de ipsis resurrecturis et proprietatibus eorumdem. Primo, in qua ætate ac statura resurgent, et utrum quælibet pars pulverum redibit ad pristinum locum seu membrum. Consequenter ostendit, quod electorum corpora omni carebunt deformitate, et quid de hoc sentiendum sit circa iniquos. Discutit quoque deinceps, qualiter corpora damnatorum poterunt sine omni consumptione sine fine ardere. Quocirca scrutatur, quod difficilius est intelligere, qualiter spirituales et incorporales substantiæ, utpote dæmones et animæ rationales, queant corporeo igne affligi. Ultimo loquitur de monstruosis effectibus, scilicet abortivis, etc., quali in corpore surgent.

Circa hæc Thomas et alii quidam quærunt, an eadem numero corpora surgent, et item iidem numero homines : ad quæ jam in præcedenti distinctione responsum est. (quæst. 1, p. 244 B et s.)

QUÆSTIO PRIMA

NUnc ergo quærendum, **Utrum quidquid fuit in corpore, resurget in eo, et in membris eisdem.**

Et videtur quod sic, loquendo de partibus substantialibus. Quod de anima certum est; de partibus vero materialibus idem apparet, quum non appareat ratio cur potius resurgeret in eo id quod in eo in una fuit ætate, quam quod in alia. — Amplius, sicut caro cooperatur condelectaturque animæ, et ei subservit in bonis et malis; sic justum est ut simul cum anima remuneretur, ac particeps fiat tormen-
A torum gaudiorumve ejus. Ergo omnes partes materiales quæ ita participaverunt cum anima in bonis aut malis, simul cum ea resurgent, etiam in membris eisdem, præsertim in illis in quibus delectationes carnales plus sentiuntur. Nec videtur idem numero corpus, idemque homo individualis, nisi resurgat in eo quidquid ad ejus substantiam a principio nativitatis usque ad mortem pertinuit, præsertim quum capilli et ungues sint reparandi in eo.

In oppositum est, quia secundum hoc
B homo resurgeret in quantitate prorsus enormi.

Circa hæc omnia movet Antisiodorensis hanc quæstionem, quid sit veritas humanæ naturæ, quæ resurgere perhibetur, et quæ sola ac tota resurget. De hoc, inquit, est duplex opinio. Nam aliqui dicunt, quod id solum quod ab Adam decisum est, sit veritas naturæ humanæ, eo quod Dominus dicat : Omne quod in os intrat, in ventrem vadit et in secessum (*Matth.* XV, 17.)
C emittitur. Cui opinioni objicitur : dum pater per decisionem generat filium, id quod decisum est, erat de veritate naturæ humanæ patris : ergo non manet in eo tota veritas suæ humanitatis. Denique si nihil de nutrimento transit in veritatem naturæ humanæ, nulla est scientia medicorum, qui dicunt contrarium. — Respondemus, quod non solum illud quod ab Adam decisum est, sit de veritate naturæ humanæ. Et quod ait Salvator, Omne quod intrat, etc., exponitur sic : aliquid de om-
D nibus illis; nec dixit *totum*, sed *omne*.

Notandum, quod quantum ad corpus, aliquid dicitur esse de veritate naturæ humanæ quatuor modis. Primo, quantum ad esse, ut caput et cor et alia principalia membra, sine quibus homo esse non valet. Secundo, quantum ad bonum integrum esse, ut visus, auditus, manus et pedes. Tertio, quantum ad perfectionem, ut nutrimentum, sine quo nequit puer pertingere ad robur et debitam quantitatem, ac usum seu operationem virium

suarum. Et de veritate naturæ ex nutrimenti conversione provenientis est decisio seminis, quod resurget in filio, non in patre. Quarto, quantum ad decentiam, ut capilli et ungues. Itaque quidquid est de veritate naturæ humanæ primo modo et secundo ac quarto, resurget; non autem quod tertio modo : quia non totum quod ex nutrimento in carnem et membra conversum est, sed tantum quantum ad congruam quantitatem exigitur. Ait namque Apostolus : Omnes resurgemus in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Unde qui moritur puer, resurget in tanta quantitate quantam habuisset si ad Christi pervenisset ætatem. Unde Augustinus libro de Civitate Dei : Habet omnipotentia Creatoris unde suppleat in his ubi minus fuit, et habet quid detrahat ubi plus fuit. Hinc sicut Deus multiplicavit quinque panes sine additione extrinseca, sic sine alia adjectione multiplicabit materiam corporis ejus qui obiit puer. Similiter detrahet quod amplius fuit. Nam aliquis superflue sumit de nutrimentis, et multa fiunt in eo de veritate naturæ humanæ tertio modo, quæ non fierent si moderate reficeretur : et illa detrahet Deus. Generaliter quippe verum est quod asserit Augustinus, quod Deus detrahet vitium, id est superfluitatem, et conservabit naturam.

Ephes. IV, 13.

Sed his objici potest. Pono quod quis nascatur simus et crescat ad virilem ætatem et maneat simus : ergo resurget simus, quum nihil ei de veritate naturæ addatur. Ad hoc Augustinus respondet, quod sicut dum statua funditur iterato, id quod prius fuit de pede, fit de manu, et econtrario; sic dum homo resurgit, quod prius fuit de uno membro, postea fit de alio. — Sed contra hoc rursus objicitur, quia secundum hoc non esset idem numero nasus. Et ita de aliis membris argui potest. Quumque totum sit idem quod suæ partes, non resurgeret idem numero corpus. Dicendum, quod de statua partim est simile, et partim dissimile. Nam simile est in hoc, quod sicut in statua quod prius fuit de pede, postea fit de naso, vel econtrario, ita in corpore resurgente; dissimile autem in hoc, quod non est eadem statua quæ prius, sed corpus numero idem resurget. In hoc rursus dissimile est, quoniam non est de intentione fundentis statuam, ut quod prius fuit in pede, postea sit de naso, imo est a casu; sed de intentione Dei reparantis est, quod id quod prius fuit de pede, postea sit de naso. Ideo dicimus, quod simpliciter idem est nasus, quamvis non sit materialiter idem. Nec sequitur, Non est materialiter idem, ergo non est idem : quia non secundum materiam, sed secundum formam identitas sumitur. Porro ex totali pulvere restauratur totale corpus idem numero, quantum ad materiam et formam atque essentiam; sed non est verum quod ex pulvere partis valeat restaurari eadem pars quantum ad materiam et formam ac condecentiam, nisi miraculose. Hinc parti indecenti ex defectu, fiet additio, vel multiplicabitur in se, ut in corporibus parvulorum. — Hæc Antisiodorensis in Summa, libro quarto, quæ ex sequentibus magis patebunt.

Itaque Thomas respondendo ad istud, utrum oporteat pulveres humani corporis per resurrectionem redire ad easdem partes quæ in eos sunt dissolutæ : In hac (ait) quæstione differt considerare, quid sine identitatis præjudicio fieri possit, et quid fiet ut congruentia observetur. Quantum ad primum, sciendum quod diversæ partes in homine sumuntur dupliciter. Primo modo, diversæ partes carnis, seu diversæ partes ossis, sicut sunt diversæ partes totius homogenei. Secundo, diversæ partes specierum diversarum totius heterogenei, sicut os et carnes. Si ergo dicatur pars materiæ redire ad aliam partem speciei ejusdem, hoc non faciet varietatem nisi in partium situ : qui partium situs variatus, non variat speciem in totis homogeneis; sicque si materia unius partis redeat ad aliam partem, nullum fit præjudicium identitati totius. Sic quoque est in exemplo quod in littera ponitur de statua, quo-

niam statua non redit eadem numero secundum formam, sed secundum materiam secundum quam est substantia quædam, et etiam homogenea, quamvis non secundum formam artificialem. Si autem dicatur, quod materia unius redit ad aliam partem alterius speciei, sic necessario variatur non solum partium situs, sed et identitas earumdem : ita tamen si tota materia, aut aliquid quod erat de veritate naturæ humanæ in una, in aliam transferatur; non autem si aliquid quod erat in una superfluum, transferatur in aliam. Ablata vero partium identitate, aufertur identitas totius, loquendo de partibus essentialibus; non autem loquendo de partibus accidentalibus, ut sunt capilli et ungues, de quibus Augustinus loqui videtur. Loquendo demum secundum congruentiam, probabilius apparet quod etiam situs partium idem servabitur in resurrectione, præsertim quantum ad partes essentiales atque organicas, quamvis forsan non quantum ad partes accidentales.

Quæritur quoque, an omnia corporis membra resurgent, et utrum humores, itemque capilli et ungues. Et respondendum ad primum horum trium, quod (ut dicitur secundo de Anima) anima se habet ad corpus non solum in habitudine formæ et finis, sed etiam causæ efficientis. Est namque comparatio animæ ad corpus sicut artis ad artificiatum, libro septimo Moralium Eudemiorum. Quidquid autem explicite in artificiato ostenditur, hoc totum implicite ac originaliter in arte continetur; sic et quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter et quodammodo implicite continetur in anima. Hinc sicut opus artis perfectum non esset, si quid eorum quæ ars continet, artificiato deesset; ita nec homo esset perfectus, nisi totum quod in anima implicite continetur, foris in corpore explicetur; nec aliter corpus corresponderet proportionaliter animæ. Idcirco oportet corpus in omnibus membris perfectum resurgere. — Et si objiciatur, quod aliquorum membrorum usus seu operatio tunc non erit; dicendum, quod membra in comparatione ad animam dupliciter considerantur. Primo, per habitudinem materiæ ad formam; secundo, in habitudine instrumenti ad agentem. Et secundum primam habitudinem, finis membri non est operatio, sed potius perfectio speciei : et ita post resurrectionem quædam membra manebunt, quamvis non secundo modo, prout finis membri est usus seu operatio; et tamen etiam tunc manebunt membra ad ostendendam virtutem agentis, ut vis potentiarum animæ demonstretur in eis. Intestina quoque tunc remanebunt, nec vacua erunt, sed nobilibus humoribus plena. Membra etiam alicui amputata antequam pœnitentiam ageret, tunc resurgent, quoniam ipse homo proprie promeretur et agit, non pars seu membrum ipsius.

Ad secundum dicendum, quod quidquid pertinet ad veritatem naturæ in resurgente, hoc totum in eo resurget : hinc illa corporis humiditas resurget in homine, quæ ad ejus integritatem pertinuit. Est autem in homine triplex humiditas. Una in recedendo a perfectione hujus individui : aut quoniam est in via corruptionis et a natura abjicitur, sicut urina, sudor, sanies, etc.; vel quia a natura ordinatur ad conservationem speciei in individuo alio, sive per actum generativæ, ut semen, sive per actum nutritivæ, ut lac : et nulla talium humiditatum resurget, quia non est de perfectione individui resurgentis. Secunda humiditas est, quæ non pervenit ad perfectionem ultimam quam natura in individuo operatur, sed est a natura ordinata ad illam; et ista est duplex. Una, quæ habet formam determinatam, secundum quam inter partes corporis continetur : ut sanguis, et alii tres humores quos ordinat natura ad membra, quæ generantur aut vegetantur ex eis, sed tamen habent aliquas formas determinatas, quemadmodum aliæ corporis partes : ideo inter eas resurgent. Quædam vero humiditas est in via transeundi de forma ad formam, ut

de forma humoris ad formam membri : et illa non resurgent, quia post resurrectionem singulæ corporis partes in suis formis stabilientur. Hæc quoque humiditas in duplici statu accipi potest. Primo, ut est in principio transmutationis : sicque ros dicitur, illa humiditas scilicet quæ est in foraminibus parvarum venarum. Secundo, ut est in transmutationis progressu et incipit dealterari : et ita vocatur cambium. Et in neutro statu resurget. Tertia humiditas est, quæ ad ultimam pervenit perfectionem a natura intentam in corpore individui, et est dealterata ac membris incorporata, vocaturque gluten : quæ quum sit de membrorum substantia, cum ipsis resurget, et in ipsis.

Ad tertium respondendum, quod anima se habet ad corpus animatum sicut ars ad artificiatum, et ad ejus partes sicut ars ad sua instrumenta : unde et corpus animatum nuncupatur organicum. Ars autem utitur instrumentis quibusdam ad operis intenti exsecutionem ; et hæc sunt de prima artis intentione. Utitur quoque aliis instrumentis ad principalium instrumentorum conservationem ; et hæc sunt de intentione artis secunda : sicut ars militaris utitur non gladio tantum, sed et vagina pro gladii conservatione. Ita in partibus corporis animati aliquæ ordinantur ad operationes animæ exsequendas, sicut cor, hepar, pes, manus ; quædam vero ad conservationem hujusmodi partium. Unde sicut folia ad cooperimentum sunt fructuum, ita capilli et ungues in homine ad custodiam partium aliarum : et ita sunt de secunda hominis perfectione, non prima. Quumque resurrecturus sit homo in omni sua perfectione, ungues et capilli resurgent in ipso. — Si autem quæratur, a qua forma talia informentur in homine, an scilicet ab anima rationali ; dicendum, quod capilli et ungues in homine nutriuntur et augentur, ideo perficiuntur et informantur ab anima rationali, quum in homine non sit nisi una forma substantialis : a qua informantur secundum quod forma

A illa est vegetativa, sicut et ossa, idcirco non sentiunt.

Insuper quæritur, an totum quod fuit in corpore de veritate humanæ naturæ, resurget in eo. Videtur quod non, quia si quis humanis carnibus vesceretur, oporteret carnes illas in carnem suam conversas in diversis resurgere. Conformiter argui potest de costa Adæ, de qua formatum est corpus Evæ.

Ad istud Thomas respondet, recitando tres opiniones de veritate carnis huma- B næ : quarum prima est, quod nihil de cibo et potu in illam convertitur, sed tota fuit in primo parente. Sed quoniam istæ opiniones super secundum diligenter ac diffuse sunt introductæ et explanatæ, de ipsis hoc loco pertranseo. Et secundum has opiniones, diversimode ad primum objectum respondetur. Et secundum primam opinionem, facile diceretur, quod carnes quæcumque comestæ, non sunt de veritate humanæ naturæ in comedente : ideo non resurgent in ipso. Juxta alias vero opi- C niones, unumquodque resurget in illo in quo magis accessit ad perfectam participationem veritatis speciei ; et si æqualiter in utroque accessit, resurget in illo in quo primo fuit, quia in illo habuit primo ordinem ad resurrectionem, ex conjunctione ad animam rationalem illius. Hinc si in carnibus comestis fuit superfluitas aliqua non pertinens ad veritatem humanæ naturæ in illo primo, resurgere poterit in secundo : alias quod pertinebat ad veritatem humanæ naturæ in primo, resurget D in eo et non in secundo ; sed in secundo accipietur loco ejus, aliquid ex eo quod ex aliis cibis in carnem secundi conversum est, vel si nunquam pastus est alio cibo quam carnibus humanis, divina virtus aliunde suppleret quantum egeret ad quantitatis perfectionem, sicut supplet in parvulis mortuis. Costa demum de qua facta est Eva, fuit in Adam non de veritate naturæ individui, sed speciei : ideo non resurget in eo, sed in femina.

dist. xxx, q. 5.

Præterea quæritur, utrum quidquid ma-

terialiter fuit in membris hominis, totum in eo resurget. Et respondendum, quod res naturaliter in homine non habet ordinem ad resurrectionem, nisi secundum quod pertinet ad veritatem naturæ humanæ, quia secundum hoc ordinem habet ad animam rationalem. Totum vero quod materialiter est in homine, pertinet ad veritatem humanæ naturæ quantum ad id quod habet de specie; sed non totum considerata materiæ totalitate, quoniam tota materia quæ fuit in homine a principio suæ vitæ usque ad finem, excederet debitam speciei quantitatem, ut dicit opinio tertia, quæ probabilior mihi videtur. Hinc totum quod est in homine resurget, considerata totalitate speciei, quæ attenditur secundum quantitatem, figuram, situm et ordinem partium; non autem resurget totum, considerata totalitate materiæ. — Hæc Thomas in Scripto. Præterea in Summa contra gentiles, libro quarto, multa scribit de his, quæ super secundum sunt inducta. Ibi enim ponit infidelium objecta contra fidem resurrectionis, quæ tamen nunc in diversis articulis ex dictis doctorum tacta sunt et soluta : idcirco non immoror.

cap. 79 et s.

Concordat Petrus in omnibus his. Et insuper quærit, utrum deformitates tollentur a corporibus electorum et etiam reproborum. Respondet : In corporibus quadruplex exsistit deformitas. Prima ex qualitate, ut simitas. Secunda ex superflua quantitate, sicut gibbositas. Tertia ex diminutione substantiæ, ut mutilatio. Quarta ex situ et ordine partium, quemadmodum transpositio membrorum. Omnes istæ deformitates ad vitium spectant naturæ, non ad naturam : ideo universæ a corporibus electorum tollentur, quia secundum Augustinum, in ipsis natura salvabitur, vitia auferentur. Cicatrices autem in martyribus non resurgent, quamvis in Christo sint reservatæ ex specialibus causis; vel si resurgent, hoc erit Sanctis illis ad gloriam ac decorem, et ad virtutis ostensionem. Amplius, quædam sunt deformitates ex diminutione; et illæ secundum

A omnes tollentur, quoniam mortui resurgent incorrupti, id est integri in membris. Quædam vero contingunt ex aliis causis, quarum quædam nunc tactæ sunt : et istæ deformitates manebunt in reprobis, ut aliqui dicunt, ex rigore divinæ justitiæ; secundum alios, auferentur propter perfectionem et veritatem naturæ ostendendam in illis : quod probabilius videtur. Hæc Petrus.

Bonaventura et Richardus concordant, et addunt : Secundum Avicennam et physi-

B cos, humor et humiditas differunt, quoniam humor dicitur ut est in venis, humiditas ut est extra venas et ad membra derivatur. Quatuor autem humores sunt : sanguis, cholera, phlegma, melancholia. Humiditas vero complexionalis absque dubio resurget. Sed de humoribus quid dicemus, quum sint currentes, nec de substantia membri, nec de complexione radicali ? Dicendum, quod indubitanter resurgent, quum et vinum in officio Missæ in Christi sanguinem convertatur; et sicut surrexit

C sanguis in Christo, sic resurget in membris ejus electis. Hoc quoque testatur Ambrosius in sermone de Martyribus. Et Augustinus ad Orosium : Credimus (inquit) hominem non tantum cum carne et ossibus, sed etiam cum sanguine et omnibus quæ ad naturam ejus pertinent, resurrecturum. Resurget quippe in corpore, non tantum quod est de ejus necessitate, sed etiam quod est de ejus integritate, condecentia et pulchritudine. Quumque capilli et ungues sint de corporis condecentia et orna-

D tu, propter quod calvitium imperfectio est naturæ; idcirco resurgent, similiter intestina quæ (secundum Britonem) dicuntur quasi intus stantia. Unde vicesimo secundo de Civitate Dei asserit Augustinus : Quod si inspexerimus interiorem harmoniam quæ est in visceribus et intestinis, miro modo nos delectaret, omnique formæ foris oculis apparenti præferretur.

Si demum inquiras de carne quæ in duobus est successive, in quo resurget; dicendum, quod caro potest in duobus es-

se dupliciter. Primo ita ut sit in uno tanquam in principio, et in alio sicut in individuo et suo toto : et talis caro resurget in secundo, quia non fuit in primo nisi ut ordinata ad secundum ; et sic costa fuit in Adam ordinata ad feminæ formationem, et semen in patre ad propagationem filii ; purissimus quoque sanguis in gloriosissima Virgine, ex quo concepta fuit caro Christi. Si vero caro sit absolute in utroque sicut in individuo, hoc potest tripliciter accipi : primo, quod sit in utroque secundum speciem ; secundo, quod sit in eis secundum materiam ; tertio, quod sit in uno secundum speciem et in alio secundum materiam. — De primo modo est controversia. Nam aliqui dicunt, quod caro unius secundum speciem, potest fieri caro alterius secundum speciem, ut si homo de illa nutriatur ac generet : et hoc dicunt, quia omnino est transmutabilis caro una sicut et alia, quod experimentaliter patet. Quam dicunt resurrecturam in illo in quo majorem et essentialiorem ordinationem sortita est, et Deus supplet alteri illud : ut si de modica parte corporis unius quantum ad carnem secundum speciem, generatus sit alius, resurget in generato, et Deus supplebit in primo quod amissum est, sicut in Adam replevit carnem pro costa. Alia opinio est, quod de carne secundum speciem, alius homo nec generari potest neque nutriri, sed solum de carne secundum materiam : quoniam transmutatio non est nisi ex ente in potentia, et ideo caro secundum speciem, transmutari nequit in carnem secundum speciem. Sed hæc opinio fundamentum non habet, quum et lupus nutriatur carnibus lupi, et alia quædam animalia carnibus propriæ speciei. Caro etiam secundum speciem, potest fieri non caro, et sic in potentia erit. Prima item opinio repugnare videtur identitati corporis resurgentis. Si enim de una parte carnis meæ secundum speciem, fieri potest caro alterius secundum speciem, pari ratione de alia, et ita de qualibet ; sicque anima totam suam amitteret carnem, nec verum esset quod ait Job : In carne mea videbo Deum, Salvatorem meum. Hinc sanius dici potest, quod sicut resurrectio erit per divinam virtutem, sic ordinatio carnis ad illam animam est secundum Dei decretum : quod quum sit inviolabile, facit quod caro unius secundum speciem, fieri nequeat caro alterius secundum speciem. Hinc in utroque secundum speciem esse non valet, quia de necessitate in utroque resurgeret. — Si autem caro sit in utroque secundum materiam, ut quando homo nutritur de carne alterius secundum materiam ; dico, quod redit ad primum, quia ad utrumque est ordinata de congruo, et sequens ordinatio, quum non sit fortior, non solvit præcedentem. — Si autem in uno sit secundum speciem, et in alio secundum materiam, resurget in eo in quo secundum speciem fuit : quia ad illum essentialiorem ordinem habet, sive sit primus sive secundus. Idcirco si quis nutritur de carnibus alterius secundum speciem, talis caro redit ad primum. Et si quis generetur de carnibus secundum materiam, quia de his quæ sunt secundum speciem, generari non potest ; dico, quod caro stat in secundo, et Deus recompensat primo, quoniam essentialiorem habet ordinem ad animam in secundo.

(Marginal notes: A, B, C, D; *Gen.* II, 21; *Job* XIX, 26.)

Insuper Augustinus in Enchiridio quærit, utrum deformitates manebunt in corporibus damnatorum, nec solvit. Et videtur dicendum quod manebunt, quia ad hoc resurgunt ut condemnentur, pejorisque fiant conditionis : idcirco non dabitur eis pulchritudo quam non habuerunt, nec auferetur eis deformitas. — Hæc Bonaventura.

Præterea, circa præhabita scribit Albertus : Ridiculum est dicere, nihil de cibo converti in corpus humanum, et talia dicta quorumdam theologorum derisibilem faciunt theologiam apud peritos. Sciendum vero, quod duplex est humidum, videlicet radicale et nutrimentale. Radicale vocatur, quod est in substantia seminis, quod vir-

tute formativa formatur in organa. Virtus A quoque formativa est in semine ab anima patris tantum, habens calorem pro instrumento cum triplici calido, scilicet animæ, cœli et ignis. Et a calido ignis est dissolvens et distendens, sed a calido cœli in speciem movens speciemque inducens, a calido autem animæ movet ad vitam et animam. Similiter est ibi frigidum in triplici virtute. Frigidum namque elementi est coagulans, et frigidum cœli terminans ad speciem, atque in quantum est animæ instrumentum, continet complexionatum B vivificabile. Conformiter est de humido et sicco. Humidum autem nutrimentale superfluum est in generante, et radicale seu seminale in generato : ideo substantiale est in genito, et generanti accidentale. — Porro capilli generantur de fumo nutrimenti sicco, qui exsiccatur quando per poros pertingit ad aerem ; ungues vero de sicco terrestri per calorem cordis ad superficiem pulso. Idcirco (ut Augustinus fatetur) non sunt de veritate naturæ secundum se, sed in quantum conferunt ad C decorem, sicque resurgent. Hæc Albertus.

QUÆSTIO II

PRæterea quæritur, **An omnes resurgent in æquali ætate, pari statura, eodemque sexu, et ad exercendum opera generativæ ac nutritivæ potentiæ.**

In hac quæstione tacta sunt quatuor. D Primum est, an omnes resurgent in ætate æquali. Videtur quod non. Nam ordo in omni pluralitate pulcherrime ornat : ergo in tanta resurgentium multitudine maxime perornaret, quod esset in eis ætatum diversitas. Rursus, si resurgent in ætate æquali, convenientissimum videretur quod in ætate senili, non juvenili, quoniam ætas senilis venerabilior est, juxta illud libri
Sap. IV, 8. Sapientiæ : Senectus venerabilis est. Unde
Lev. XIX, 32. et Moyses loquitur : Coram cano capite consurge, et honora personam senis. Item Joannes in Apocalypsi vidisse se testatur *Apoc.* IV, 4.
in cœlo viginti quatuor seniores. — Conformiter potest argui de statura. Nam et in processionibus ornat, quod quidam sunt parvuli, aliqui mediocres, alii eminentes in statura. — Similiter, quum sexus virilis sit dignior, apparet quod in illo sexu omnes resurgent, vel magis in nullo, quum sexus ordinetur ad prolificationem. — Amplius, quum delectationes gustus et tactus sint valde intensæ, videtur quod in totius habitaculo voluptatis non deerunt.

Circa hæc occurrunt quasi infinita scribenda, præsertim de hoc, an resurrectio erit ad exercendum opera vitæ animalis. Et potest alicui apparere quod imo : non enim negatur quin electi post resurrectionem utentur sensu visus, sensu quoque auditus, in quibus et vehementer delectabuntur. Et ut infra tangetur, probabile est quod erunt et suavissimi odoris, sicut et corpora reproborum fœtidissima érunt : sicque in odoratu erit Sanctis delectatio ingens. Rursus, corpora electorum erunt temperatissimæ harmoniæ complexionisque optimæ, et ita ad tangendum dulcissima. Hinc sicut damnati in universis et singulis sensibus suis interioribus et exterioribus inæstimabiliter affligentur, sic Sancti in glorificatorum corporum suorum sensibus cunctis (ut apparet) indicibiliter deliciabuntur, potissime quum eorum jucundatio nequaquam sit minus copiosa futura quam impiorum afflictio. Hinc multi dixerunt, quod post resurrectionem futuram erit usus venereorum, refectio corporalium alimentorum. In quem errorem rudem ac vilem prolapsi sunt Sarraceni ac Tartari, imo et Judæi quamplures (qui error incepit tempore Apostolorum), et quidam hæretici Millenarii, imaginantes quod post resurrectionem Sancti per mille annos carnalibus voluptatibus abundabunt. Et ut super Jeremiam scribit S. Hieronymus, etiam quidam ecclesiastici viri consenserunt in hoc; Papias quoque Hierapolitanus antistes, ut super Angeli-

cam hierarchiam narrat Albertus. Postmodum vero sancta mater Ecclesia istud totaliter reprobavit, et doctores scholastici contra insaniam illam copiose subtiliterque scripserunt.

Itaque Guillelmus Parisiensis in libro de Fide et legibus, et in libro de Universo, disputans contra Sarracenos, super his fideliter loquitur : Voluptates (inquiens) venereæ propter se ipsas nequaquam sunt appetendæ; imo quantum in ipsis est, magis impediunt et offuscant plenam mentis creatæ conversionem in Creatorem, et spiritualem delectationem. Sunt etiam ligamenta rationis et retinacula brutalitatis, et quantum ad viliorem inferioremque hominis partem competunt ei, ac per eas bestiis conformamur. Non ergo ad veram et perfectam, ad spiritualem ac deiformem, ad angelicam et cœliformem beatitudinem pertinent quæ post resurrectionem ultimam dabitur Sanctis. Insuper corporalium ciborum ac potuum oblectamenta, nec per se nec propter se sunt appetenda, sicut nec corporalis comestio atque potatio, quæ non sunt nisi quædam medicinæ ac remedia contra famem et sitim, ac instaurationes quotidianæ deperditionis ac ruinæ ex consumptione cibi et potus : propter quod contra quotidianam indigentiam ordinantur. Sua quoque satiatione gignunt fastidium, nec diu nec multum possunt oblectare sumentem in quo nulla est fames nullaque sitis; imo quo spiritualis delectatio frequentius atque intensius percipitur ac sentitur, eo plus contemnuntur : quod viris heroicis et internis in hac vita tanto experimentalius ac certius constat, quanto amplius heroici seu divini, spirituales et perfecti consistunt. — Istam disputationem Guillelmus prolixe prosequitur. Verum sensum eorum quæ scribit, S. Thomas compendiose perstringit, cujus scripta paulo post tangam.

Porro de primis punctis hujus quæsiti Bonaventura in quæstionibus circa litteram breviter ait : Ætas resurgentium dupliciter accipi potest. Primo, per comparationem ad principium durationis : et ita nunc computatur. Secundo, penes dispositionem et valetudinem corporis : et ita accipitur ætas juvenilis. Sic quoque dicuntur homines resurrecturi in juvenili ætate : omnes namque tales ac tanti resurgent in corpore, quales et quanti fuerunt, aut fuissent si vixissent in ætate juvenili. Et sic ætas non nominat durationem, sed corporis dispositionem : sicut si Deus crearet nunc hominem in eo statu ac habitu quem habet vir in tricesimo anno, diceretur homo hujusmodi in virili ac juvenili creatus ætate.

Insuper de sexu loquitur Augustinus vicesimo secundo de Civitate Dei : Quidam dixerunt, quod sexus femineus non resurget, quum dicat Apostolus : Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sed sicut Augustinus exponit ibidem, vir perfectus, intelligitur caput nostrum, videlicet Christus, et mysticum corpus ejus, puta Ecclesia, quæ constat ex omnibus membris ejus, quæ suo tempore complebuntur. Vel si hoc ad resurrectionis formam (quæ erit una) est referendum, quid impediret nominato viro intelligi etiam feminam ? ut virum pro homine positum acciperemus, ut ibi : Beatus vir qui timet Dominum ; ubi dicitur vir non a sexu, sed virtute, non corporis, sed mentis. Non ergo Apostolus per verba illa negat resurrectionem mulierum. Imo manifesta ratio docet, quod quia a principio a Deo institutus est et creatus sexus uterque, uterque ad perfectionem pertinet speciei : ideo uterque resurget, non ad generationem, sed ad naturæ perfectionem et decorem : quia tunc membris illis dedecus et inhonestas penitus auferentur, et quod nunc excitat ad libidinem, tunc excitabit ad Dei laudem. — Et si objiciatur, quod sexus femineus seu mulier importat imperfectionem, quæ tunc tolletur, et quod juxta Philosophum, femina dicitur mas occasionatus; dicendum, quod

Ephes. IV, 13.

Ps. CXI, 1.

mulier dicit imperfectionem quantum ad statum præsentem, in quo est sexus subjectionis, et comparatione viri sexus præstantioris : sicut et vir imperfectus est comparatione angeli. Quod autem mulier vocatur mas occasionatus, intelligendum est per respectum ad naturam particularem, quæ intendit effectum producere perfectiorem quo potest; non respectu naturæ universalis, quæ intendit conservationem speciei, ad quam necessarius est et intentus sexus uterque.

Sed adhuc objici potest de nanis et de carentibus membro aliquo a nativitate, qui in hac vita nec habuerunt nec habituri fuerunt quantitatem idoneam ac debitum hujusmodi membrum. Dicendum, quod statim ex quo generatum est corpus humanum, statutum est ei quantum debeat esse mole, quoniam quantitas causaliter est in eo : ideo natus tantus fiet mole quantum se virtus augmentativa extendit, nisi aliunde impediatur. Et juxta hoc intelligendum est, quod quantitas molis in quibusdam deficiet, in aliis superabundabit, et in nonnullis erit sufficiens. Tunc demum virtus auctiva fertur sufficere, quando potest corpus ad quantitatem naturæ convenientem perducere. Natura quippe determinatos terminos habet tam in parvitate quam in magnitudine, inter quos Christi statura medium tenet. Et quo minus ab illa receditur, eo congruentior est statura. Et in his quorum statura ab illa deficit versus minus, addetur ; in excrescentibus minuetur seu detrahetur ; nec oportebit hoc fieri per extraneæ materiæ adjectionem, sed de eo quod ibi erit in corpore, extrahet Deus et educet quod deerit, prout creditur factum in quinque panum multiplicatione. Nihilo minus poterit esse quod aliunde quid addat, sicut in panum illorum multiplicatione forsitan factum est ; sed primum probabilius esse videtur, quanquam utrumque miraculum sit. Ex his patet quid de nanis et mutilatis atque gigantibus sit dicendum. Verbum vero Augustini intelligendum est quantum

Cf. p. 262 in fine.

A ad cursum communem ac naturalem. — Hæc Bonaventura.

At vero Thomas : Homo, inquit, resurget absque omni defectu humanæ naturæ. Nam sicut Deus humanam naturam sine defectu instituit, sic sine defectu hanc reparabit. Deficit autem humana natura dupliciter. Primo, quoniam nondum ultimam suam perfectionem est consecuta ; secundo, quia ab ultima perfectione jam recessit. Et primo modo deficit in pueris, secundo modo in senibus : ideo in utrisque

B reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimæ perfectionis, qui est in juvenili ætate, ad quam terminatur motus augmenti, et a quo motus incipit decrementi. Quod autem senectuti reverentia quædam debetur, non est ex corporis conditione, quod tunc in defectu consistit, sed propter sapientiam animæ, quæ tunc creditur inesse ex temporis diuturnitate. Hinc in electis manebit senectutis reverentia, non defectus, quoniam in sapientia abundabunt.

C Denique in resurrectione reparabitur natura humana, non solum quantum ad idem in specie, sed etiam quantum ad idem in numero. Idcirco in resurrectione non solum est attendendum quid naturæ competat speciei, sed etiam individui. Natura autem speciei habet aliquam quantitatem, quam nec excedit et a qua non deficit sine errore ; quæ tamen quantitas habet aliquos latitudinis gradus, nec est accipienda secundum unam determinatam mensuram. Quodlibet vero individuum hominis

D assequitur intra terminos illius latitudinis, gradum aliquem quantitatis quæ naturæ individui competit, ad quam in termino augmenti perducitur, si in opere naturæ non fuit aliquis error per quem sit aliquid additum aut subtractum quantitati prædictæ : cujus mensura accipitur secundum proportionem caloris extendentis et humidi extensibilis, quod non est ejusdem virtutis in omnibus. Idcirco non omnes resurgent in eadem quantitate, sed unusquisque in ea quantitate resurget in

qua fuisset in termino sui augmenti, si natura non errasset nec defecisset; quod autem superest aut deficit in homine, resecabit vel supplebit divina potentia.

Porro dum quæritur, an omnes resurgent in sexu virili; dicendum, quod sicut considerata natura individui, debetur diversa quantitas diversis hominibus, ita quoque natura individui considerata, debetur diversis personis sexus diversus. Quæ etiam diversitas competit speciei perfectioni, cujus diversi gradus implentur per sexus seu etiam quantitatis diversitatem. Ideo sicut homines resurgent in diversis staturis, ita et in diversis sexibus; nec tamen ex mutua sexuum inspectione ulla inordinatio orietur, quia nulla libido sequetur.

Ad ultimum in quæstione hac tactum, respondendum, quod resurrectio non erit necessaria homini propter primam ipsius perfectionem, quæ consistit in integritate spectantium ad naturam, quia ad hoc potest homo pertingere in statu vitæ præsentis per naturalium actionem causarum; sed necessitas resurrectionis est ad ultimam quamdam perfectionem, quæ consistit in perventione ad ultimum finem. Ideo operationes quæ ordinantur ad primam hominis perfectionem causandam vel conservandam, non erunt in resurrectione; et tales sunt actiones vitæ animalis in hominibus, actionesque mutuæ * in elementis, et motus cœlestes : ideo omnia hæc in resurrectione cessabunt. Quumque comedere, bibere, dormire, generare, concumbere, ad animalem pertineant vitam, quum sint ad primam perfectionem naturæ ordinata; ideo post resurrectionem non erunt. Imo nec conveniunt homini in quantum est homo (ut etiam Philosophus dicit) : propter quod in ipsis non consistit humani corporis beatitudo; sed corpus humanum beatificabitur ex redundantia beatitudinis partis intellectivæ (a qua homo est homo) in ipsum, in quantum erit omnino subditum rationi. Delectationes quoque carnales ad felicitatem perfectam non requiruntur, quum non sint propter se appetendæ. Imo (secundum Philosophum septimo ac decimo Ethicorum) sunt medicinales, quoniam homini adhibentur ad removendum fastidium. Sunt etiam ægritudinales, secundum quod homo eis immoderate afficitur et adhæret, ac si essent veræ delectationes : quemadmodum habens gustum infectum, delectatur in nocivis, in quibus non delectatur qui habet sanum palatum; atque (ut etiam ait Philosophus) qui delectationibus illis inhærent, non habent sanum affectum. Solæ etenim delectationes spirituales (secundum ipsum) sunt simpliciter delectationes, et propter se expetendæ : unde ipsæ solæ ad beatitudinem requiruntur. — Hæc Thomas in Scripto.

* naturæ

At vero in Summa contra gentiles, libro quarto, diffusius super his scribit : Remota (inquiens) corruptibili vita, necesse est removeri ea quæ corruptibili vitæ deserviunt, ut sunt corporales refectiones et carnales commixtiones : quia per alimenta instauratur deperditum, et ad congruam pertingitur quantitatem. Quum ergo resurrectio sit ad vitam incorruptibilem, non erit in ea corporalis refectio. Generatio vero est ad speciei conservationem, quæ tunc individuis immortalibus conservabitur. Insuper corporalia ad spiritualia referri oportet : ideo inordinatum esset ac vitiosum, comestiones, potationes, concubitus, eorumque delectationes propter se ipsas appetere, et non ordinari in aliquem finem spiritualem, neque ad prolem ad Dei honorem procreandam, neque ad corporis sustentationem, ut efficacius possit spiritui in Dei obsequio subservire. — Sed objici potest, quod primi parentes etiam si non peccassent, nihilo minus cibo, potu et commixtione carnali usi fuissent, et posteri eorumdem. Dicendum, quod ipsi adhuc fuerunt viatores, nec confirmati in bono; et sicut potuerunt peccare, ita et mori. Fuitque eis injunctum per generationem multiplicari : hinc refici indigebant. Nec positi erant in paradiso ad ma-

cap. 83.

Gen. I, 28.

nendum ibi perpetue, nec ut sine fine A venereis uterentur, sed inde ad paradisum transferrentur cœlestem : idcirco nequaquam est simile.

Ex quibus patet, quam vilis, rudis et falsa sit lex Mahometi, et Judæorum modernorum perfidia, præsertim quum felicitas in nobilissimarum virium actionibus, et eminentissimarum virtutum actibus sit consistens, non in exercitiis istis brutalibus, quæ etiam nullatenus essent merces condigna sanctarum spiritualium actionum theologicarum virtutum. Ideo illa fi- B gmenta incredulorum non nisi a carnalibus hominibus credi possunt et appeti. Quæ vero in Scripturis de futura beatitudine per modum corporalium epularum dicuntur, certum est spiritualiter esse interpretanda, quemadmodum ubertim in Scripturis spiritualia per corporalia designantur. — De his multa scribit Thomas ibi.

QUÆSTIO III

MOdo quæritur, An sunt quatuor tantum dotes corporum electorum ; et specialiter, an impassibilitas sit dos corporis.

Videtur quod non sint tantum quatuor talium corporum dotes. Nam delectatio redundans in partem sensitivam ex felicitate animæ, videtur potissime dos censenda, sicut fruitio ipsa in anima. — Rursus, Anselmus tangit septem corporum dotes, dicendo quod in eis erunt pulchritudo, D velocitas, fortitudo, libertas, sanitas, diuturnitas et voluptas. — Iterum, anima sancta multiplicius ac vehementius decorabitur quam corpus ipsius : ergo erunt plures dotes in anima quam in corpore.

Circa hæc scribit Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto : Dotes corporis sunt quatuor, puta, impassibilitas, claritas, subtilitas et agilitas. Quæ notantur in libro
Sap. III, 7. Sapientiæ, quo habetur : Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ discurrent. In eo quod dicitur, Fulgebunt, insinuatur splendor seu claritas. Unde et Christus in Evangelio contestatur : Fulgebunt justi sicut *Matth.* XIII, 43.
sol in regno Patris eorum. Sol vero fulgebit tunc septempliciter, ut loquitur Isaias ; *Is.* XXX, 26.
remunerabitur quippe pro suo obsequio. Per hoc autem quod dicitur, Justi, notatur impassibilitas : quia ut in libro Sapientiæ asseritur, justitia perpetua est et immor- *Sap.* I, 15.
talis, et per eam Deo præcipue conformamur. Nomine quoque *scintillæ,* notatur subtilitas ; atque in verbo *discurrent,* significatur agilitas : quæ tanta erit in corporibus glorificatis, ut quasi in momento moveri possint ab oriente in occidentem, et ab aquilone in meridiem, et econtra. Levitas enim proprietas quædam est tantum movendi sursum, agilitas autem sive movendi sursum sive deorsum. His dotibus nihil potest in corporibus melius inveniri.

Sed quæritur, an corpus glorificatum valeat penetrare per dotem subtilitatis aliud C corpus non glorificatum, et esse in eodem loco cum illo. Dicendum, quod corpus glorificatum tantæ est dignitatis et subtilitatis ac nobilitatis, quod penetrare potest alia corpora, non penetrari : ignominia namque esset ei, posse penetrari. Unde Augustinus in libro contra Epistolam fundamenti : Quum dico, natura corruptibilis, duo dico. Per hoc quod dico, corruptibilis, nihil dico ; per hoc quod dico, corpus, aliquid dico. Corruptibile autem in qualibet sua parte habet aliquid mixtum de nihilo : propter quod dicitur ubique porosum, non quod in omni ejus parte sit porus sive divisio actualiter, sed ubique in ipso est porus, id est aperibilitas seu divisibilitas. Corpus autem glorificatum non est porosum : ideo non est divisibile seu aperibile ; et hoc est a gratia voluntateque Dei. — Denique corpus glorificatum replet locum corporis glorificati, ita quod non recipit secum aliud corpus glorificatum ; sed non replet locum corporis non glorificati, imo recipit secum corpus non glorifica-

tum. In patria quoque bene poterit esse, quod Petrus aliquando velit esse prope Paulum, aliquando juxta alium : et sic ibi poterit esse motus. Laudabunt etiam Deum non solum mentaliter, sed item vocaliter : et sic poterit ibi usus subtilitatis et agilitatis consistere. Sed quoniam non est nobis certum, utrum motus localis in patria erit, dicimus quod sive sic, sive non, subtilitas et agilitas ibi erunt, quoniam in se ipsis delectabiles sunt. Nam et multæ virtutes erunt in patria sine usibus seu actibus quos hic habent, ut temperantia, et
Ps. IX, 19. patientia, de qua fertur : Patientia pauperum non peribit in finem.

Quæritur etiam, an dos impassibilitatis erit in parvulis decedentibus sine Baptismo. Apparet quod sic, quoniam non habebunt nisi pœnam damni, quæ spiritualis est, et ita non poterunt in corpore pati. Sed contra, impassibilitas (ut est dos) aut est sola privatio passibilitatis in corpore, aut aliqua potentia qua poterimus violentiæ omni resistere. Si sola privatio : ergo diabolus eam habebit, quia non potest pati in corpore. Imo si impassibilitas est talis potentia resistendi, videtur duritia esse dos talis. — Respondemus, quod impassibilitas est potentia qua electi omni violentiæ resistere quibunt, et habet duplicem privationem, scilicet, patientiæ et potentiæ patiendi seu moriendi. Et Adam ante peccatum habuit potentiam illam solum cum una privatione, videlicet moriendi, et hoc sub conditione. Parvuli quoque sine Baptismo decedentes non habebunt istam impassibilitatem. Nec sequitur, Non poterunt pati : ergo impassibiles erunt. Quod enim non poterunt, non erit ex impotentia corporum, sed ex justitia Dei, quæ non permittit quemquam puniri pœna corporali sensibili, nisi peccatum fecerit actuale. — Hæc Antisiodorensis in Summa.

Thom. in dist. 49, q. 4, a. 5. At vero Thomas : Ex hoc (ait) homo est beatitudinis particeps, quod ad Dei imaginem factus. Quæ imago primo ac principaliter in mente consistit, et per derivationem quamdam, in corpore, secundum
A quod ipsum corpus oportet animæ esse proportionatum. Hinc et beatitudo in mente principaliter sita, per redundantiam exsistit in corpore, ut beatitudo hominis secundum corpus vocetur, quod imperium animæ perfecte exsequitur. Hinc sicut dispositiones quæ sunt in anima beata ad perfectam operationem qua Deo conjungitur, dicuntur animæ dotes; ita dispositiones quæ sunt in corpore glorioso, ex quibus corpus efficitur perfecte animæ subjectum, dicuntur corporis dotes. Nam et
B perfectio corporis gloriosi aliquo modo juvat ad hoc quod anima liberius perfectiusque Deo inhæreat, in quantum nullo corporis impedimento retrahitur, atque in quantum anima habet perfectius esse corpori tali conjuncta, quam separata : unde et ejus operatio perfectior redditur. Ex quibus patet responsio ad id, utrum ponendæ sunt corporis dotes.

Porro dum quæritur, an dotes illæ sint quatuor; respondendum, quod anima est corporis forma ac motor. Quumque dotes
C corporis ordinentur ad hoc quod animæ corpus perfecte subdatur, utpote tam ut formæ quam ut motori (a forma quippe in materia tria causantur, videlicet, esse substantiale, vires et formæ secundariæ seu accidentales, conservatioque amborum); itaque corpus gloriosum in quantum perfecte subditur animæ quantum ad esse substantiale, ornatur dote subtilitatis. Nempe ex hoc corpus gloriosum subtile vocatur, quod perfecte ab anima informatur. In quantum autem subditur
D animæ tanquam formæ secundum formas accidentales quæ ab anima sunt in corpore, habet dotem claritatis; et in quantum corpus gloriosum perfecte ab anima conservatur, dotem sortitur impassibilitatis; et prout perfecte subjicitur animæ ut motori, dote agilitatis perficitur. Porro quidam has quatuor dotes quatuor cardinalibus adaptant virtutibus, eo quod cardinalium virtutum materia sunt corporalia bona : ut scilicet prudentiæ correspondeat claritas, propter cognitionem; justitiæ, quæ perpe- *Sap.* I, 15.

tua est et immortalis, impassibilitas; fortitudini agilitas, ex qua contingit ut nil corpori queat resistere (unde agilitas no- 1 Cor. xv, 43. tatur ab Apostolo, quum ait, Surget in virtute); temperantiæ autem, quæ corpus attenuat, subtilitas. Sicque quatuor dotes corporis correspondent quatuor virtutibus cardinalibus, sicut tres dotes animæ tribus virtutibus theologicis.

Et ad has quatuor dotes reducuntur septem illa quæ ponit Anselmus. Pulchritudo enim continetur sub claritate; velocitas, libertas et fortitudo, sub agilitate; sanitas et diuturnitas sub impassibilitate. Voluptas autem reduci potest ad subtilitatem, quia ex hoc quod corpus est perfecte informatum ab anima, est ad delectationem dispositum. Porro agilitas non solum spectat ad motum, sed etiam ad sensum, et ad omnes alias animæ operationes, ut corpus gloriosum dicatur agile ex hoc quod est perfecte habilitatum ad omnes operationes quæ exercentur per corpus. — Si vero quæratur, cur claritas potius dos vocatur quam alia sensibilis qualitas; respondetur, quod secundum Philosophum secundo de Generatione, qualitates visibiles sunt aliis qualitatibus sensibilibus nobiliores, in hoc quod corpora inferiora cum corporibus cœlestibus in visibilitate communicant, non in aliis sensibilibus qualitatibus. Unde lux seu claritas, quæ est qualitas propria cœlestium corporum, aptior est ad designandum intelligibilem qualitatem; hinc quoque pervietas ad claritatem est pertinens. — Hæc Thomas.

QUÆSTIO IV

Consequenter quæritur de dotibus istis in speciali.

Primo, **Utrum impassibilitas sit dos corporis gloriosi, æqualiter conveniens omnibus corporibus gloriosis.** Præterea, **Utrum impassibilitas illa excludat sensum in** A **actu a Beatis, et an omnes sensus sint in actu in illis.**

In hac quæstione quatuor tanguntur.

Ad primum respondet sanctus Doctor: Dicendum, quod passio dupliciter sumitur. Primo communiter, pro omni receptione, sive sit perfectiva, ut intelligere et sentire, sive corruptiva: et sic corpora gloriosa non dicuntur impassibilia. Secundo accipitur proprie: quam libro secundo definiens Damascenus, Passio (inquit) est motus præter naturam. Sicque immo- B deratus motus cordis appellatur passio ejus; moderatus vero dicitur operatio ejus, quoniam omne quod patitur, ad agentis terminos trahitur. Et sic proprie sumpta passione, corpora gloriosa impassibilia erunt. Hujus autem impassibilitatis ratio a diversis diversimode assignatur. Nam quidam eam attribuunt conditioni elementorum, quæ aliter se habebunt in corpore tunc quam nunc, dicentes quod elementa manebunt in illis secundum substantiam, non secundum qualitates activas et passi- C vas. Contra quod est, quod qualitates illæ sunt de perfectione elementorum. Rursus, qualitates illæ sunt propria accidentia elementorum, causata ex materia et forma: ideo non videntur separabiles ab eisdem, et manente causa manebit effectus. — Hinc alii dicunt, quod manebunt, sed actiones proprias non habebunt, divina virtute id faciente. Quod etiam non apparet, quia ad mixtionem requiritur activarum passivarumque qualitatum conjunctio; et juxta prædominium unius vel alterius, mixta D efficiuntur diversæ complexionis: quod oportet ponere in corpore resurgentis, quoniam carnem et ossa habebunt, quibus non convenit complexio eadem. Præterea, secundum hoc impassibilitas dos non esset, quia non poneret aliquam dispositionem in substantia impassibili, sed solum prohibitionem corruptionis ab exteriori, puta divina virtute. — Ideo alii dicunt, quod in illis gloriosis corporibus erit aliquid de natura quintæ essentiæ, quam dicunt venire in compositionem humani

corporis ad conciliandum elementa in harmoniam quamdam, per quam possint esse apta materia animæ rationalis. Attamen in statu præsenti patitur corpus humanum instar aliorum mixtorum, propter dominium naturæ elementaris in eo; in resurrectione vero dominabitur natura corporis quinti : propterea corpus humanum tunc impassibile erit. Sed nec hoc stare potest, quoniam corpus quintum, videlicet cœleste, non venit naturaliter in compositionem corporis humani. Impossibile quoque est, quod aliqua virtus naturalis, qualis est virtus cœlestis corporis, transferat corpus humanum ad proprietatem gloriæ, qualis est impassibilitas corporis gloriosi, quum immutationem corporis humani adscribat Apostolus Christi virtuti, dicendo : Qualis cœlestis, tales et cœlestes; itemque, Reformabit corpus humilitatis nostræ, etc. Nec ita potest natura cœlestis dominari in corpore humano, quin natura elementaris remaneat, cui ex essentialibus suis principiis passibilitas inest. — Hinc dicendum, quod omnis passio fit per victoriam agentis super patiens : alias non traheret ipsum ad terminos suos. Impossibile autem est, quod aliquid dominetur super patiens, nisi in quantum debilitatur dominium propriæ formæ super materiam patientis, loquendo de passione quæ est contra naturam, de qua nunc loquimur. Non enim potest materia subjici uni contrariorum sine hoc quod tollatur dominium alterius super ipsam, vel saltem diminuatur. Corpus autem humanum, et quidquid in eo exsistit, erit perfecte subjectum animæ rationali, sicut et ipsa perfecte erit subjecta Deo : ideo in corpore glorioso non poterit esse mutatio aliqua contra dispositionem illam qua perficitur ab anima; et ita corpora illa erunt impassibilia.

Cf. t. XXII, p. 144 B.

I *Cor.* xv, 48. *Philipp.* III, 21.

Si autem objiciatur, quod mortale est differentia hominis, ita quod definitio hominis est animal rationale mortale : ergo non potest esse immortalis. Dicendum, quod mortale ponitur in definitione hominis a philosophis qui non crediderunt hominem totum aliquando posse esse immortalem, quia non viderunt homines nisi secundum mortalitatis statum. Vel potest dici, quod secundum Philosophum, quoniam differentiæ essentiales sunt nobis incognitæ, ideo aliquando utimur differentiis accidentalibus ad significandum essentiales differentias, quæ sunt accidentalium causæ. Hinc mortale non ponitur in definitione hominis quasi ipsa mortalitas ad essentiam pertineat hominis, sed quoniam id quod nunc est causa mortalitatis, videlicet compositio ex contrariis, est de essentia hominis; sed tunc non erit causa ejus, propter victoriam animæ super corpus : unde et potentia patiendi erit tunc quasi ligata, non libera. — Denique qualitates elementares instrumenta sunt animæ : unde habetur secundo de Anima, quod calor ignis in corpore animalis regulatur, in actu nutriendi, secundum virtutem animæ. Dum vero agens principale est perfectum, nec est defectus in instrumento, nulla actio procedit ab instrumento nisi secundum dispositionem principalis agentis. Hinc in Sanctorum corporibus nulla actio aut passio poterit provenire a qualitatibus elementaribus, contraria dispositioni animæ intendentis suum corpus conservare. — Præterea, secundum Augustinum in epistola ad Consentium, potest virtus divina ab ista corporum visibili atque tractabili natura quasdam qualitates auferre, manentibus aliis. Ideo, sicut ab igne fornacis Chaldæorum abstulit virtutem comburendi, quantum ad corpora puerorum, non quantum ad ligna; ita ab humoribus corporum gloriosorum auferet passibilitatem, et dimittet naturam. — Postremo, cicatrices vulnerum non sunt in Christo, nec erunt in martyribus, prout includunt defectum, sed in quantum sunt signa constantissimæ virtutis qua pro Deo et fide sunt passi, quatenus ex hoc eis ac aliis gaudium crescat. Unde vicesimo secundo de Civitate Dei, capitulo vicesimo loquitur Augustinus : Nescio quomodo sic affici-

mur amore martyrum beatorum, ut velimus in regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices quæ pro Christi nomine pertulerunt, et fortassis videbimus. Non enim deformitas sed dignitas est in eis : quia non corporis sed virtutis pulchritudo in illis fulgebit.

Ad secundum, quo quæritur, utrum impassibilitas æqualiter erit in omnibus illis, dicendum, quod impassibilitas consideratur primo secundum se : sicque quoniam solam negationem vel privationem importat, non suscipit magis et minus, sed æqualis erit in omnibus glorificatis; secundo, penes suam causam, et sic major erit in uno quam in alio. Causa vero ipsius erit dominium animæ super corpus : quod dominium causabitur ex hoc quod immobiliter Deo fruetur. Hinc quo quis perfruetur Deo perfectius, eo eminentior erit impassibilitas ejus.

Ad tertium demum, quo quæritur, utrum impassibilitas excludit sensum in actu a Beatis, dicendum, quod omnes ponunt aliquem esse sensum actualem in corporibus Beatorum. Alias corporalis virtus ipsorum post resurrectionem, assimilaretur somno potius quam vigiliæ : quod illorum perfectioni non convenit, quia in somno corpus sensitivum non est in ultimo actu vitæ, propter quod somnus vocatur dimidium vitæ, primo Ethicorum. Verum de modo sentiendi illorum, diversa diversi senserunt. Quidam, quod quoniam corpora gloriosa erunt impassibilia, erunt et insusceptiva peregrinæ impressionis, etiam plus quam cœlestia corpora; nec videbunt intus suscipiendo, sed extra mittendo. Quod esse non potest : quia in resurrectione natura hominis manebit eadem in ipso et in omnibus partibus ejus; natura autem hominis est sentire intus suscipiendo. — Hinc alii dicunt, quod sensus in actu fiet non per receptionem ab objectis, sed per effluxum a superioribus viribus. Sed iste modus non faceret vere sentire, quoniam omnis potentia passiva, secundum suæ speciei rationem determinatur ad aliquod spe-
A ciale activum. Quumque proprium activum in sensu exteriori sit res extra animam exsistens, et non intentio ejus exsistens in imaginatione aut ratione; idcirco, si organum sentiendi non moveatur a rebus ab extra, sed ex imaginatione, aut aliis superioribus viribus, non erit vere sentire. Non enim dicimus, quod phrenetici et alii mente capti, in quibus propter victoriam imaginativæ virtutis fit talis specierum defluxus ad organa sentiendi, veraciter sentiant. — Hinc dicendum cum
B aliis, quod sensatio corporum gloriosorum erit per susceptionem a rebus exterioribus. Sed sciendum, quod organa sentiendi immutantur a rebus dupliciter. Primo immutatione naturali, quando videlicet organum disponitur eadem qualitate naturali qua objectum, ut dum manus fit calida ex attactu rei calidæ. Secundo immutatione spirituali, dum recipitur qualitas sensibilis in organo secundum esse spirituale, hoc est, intentio seu species qualitatis, non qualitas ipsa : quemadmodum pupilla re-
C cipit albedinis speciem, non tamen efficitur alba. Itaque prima receptio non causat sensum per se loquendo, quoniam sensus est receptivus specierum in materia præter materiam, ut dicitur secundo de Anima. Hæc quoque receptio immutat recipientis naturam, quia sic recipitur qualitas secundum esse materiale. Hinc ista receptio non erit in corporibus gloriosis, sed secunda, quæ per se facit sensum in actu, nec recipientis naturam immutat. Erunt etiam ibi novæ receptiones in organis, et ex conse-
D quenti nova judicia sensus communis, non tamen de hoc nova judicia intellectus.

Sed præhabitis objici potest. Nam vehemens occupatio circa actum et objectum unius potentiæ, remittit aliarum virium actiones; animæ autem Beatorum, quantum ad vires suas superiores, vehementissime sunt intentæ circa increatum objectum : ergo sensibilia non advertent nec sentient. — Respondendum, quod quando unum duorum est ratio alterius, occupatio animæ circa unum non impedit nec re-

mittit occupationem ejus circa aliud : sicut dum medicus videt urinam, non minus potest attendere regulas artis de coloribus urinarum, sed magis. Et quoniam Deus apprehendetur a Sanctis ut ratio omnium quæ ab eis agentur et cognoscentur, ideo occupatio beatificæ contemplationis non minuet neque impediet actiones in sensibus. Vel dicendum, quod ideo una potentia impeditur in actu suo ab alia vehementer occupata, quoniam una potentia per se non sufficit ad operationem tam intensam, nisi ei subveniatur per id quod erat influendum aliis potentiis aut membris a principio vitæ. Quumque in Sanctis omnes potentiæ perfectissimæ erunt, ideo ex intensa actione seu occupatione unius, alia nequaquam impedietur.

Nunc ad quartum respondendum, quo quæritur, utrum omnes sensus erunt in actu in Beatis : de quo sunt duæ opiniones. Una, quod quamvis universi sensus exteriores erunt in Beatis, tamen solum duo sensus erunt in actu, videlicet visus et tactus; nec hoc erit ex defectu sensuum, sed medii et objecti; nec tamen erunt frustra, quoniam erunt ad naturæ integritatem atque ad commendandum sapientiam Creatoris. Sed istud non videtur verum, quoniam quod est medium sentiendi in sensibus istis, est etiam medium sentiendi in aliis : sicut aer, qui est medium in videndo, est etiam medium in audiendo ac odorando, ut patet secundo de Anima. Gustus quoque habet medium conjunctum, sicut et tactus, quum gustus sit quidam tactus, ut in eodem dicitur libro. Odor etiam erit ibi, sicut cantat Ecclesia, quod odoris suavissimi corpora erunt Sanctorum; odor autem objectum est odoratus. Laus item vocalis erit in patria. Unde super illud Psalmi, Exsultationes Dei in gutture eorum, loquitur Augustinus : Corda et linguæ non desinent Deum laudare. Idem habetur in Glossa super illud Esdræ : In cantico et cymbalis. — Idcirco dicendum, secundum alios, quod etiam odoratus et auditus erunt ibi in actu; gustus

Ps. CXLIX, 6.

II *Esdr.* XII, 27.

A vero non erit ita in actu, quod immutetur ab aliquo cibo aut potu sumpto, nisi forte dicatur, quod erit ibi gustus in actu per immutationem linguæ ab aliqua humiditate adjuncta. Verumtamen tactus a qualitatibus tangibilibus non immutabitur nisi spirituali immutatione, sicut in corpore Adæ fuit ante peccatum : quod corpus nec ignis urere, nec gladius scindere potuisset.

Si autem objiciatur, quod odoratio non fit sine fumali evaporatione, quæ non est B sine corruptione; dicendum, quod aliqui posuerunt odorem non esse nisi evaporationem fumalem. Quod stare non valet, quum vultures odorem percipiant ex remotissimis locis, ad quæ fumalis evaporatio nequit pertingere, quamvis totum resolveretur in vaporem, præsertim quum sensibilia in æquali distantia ad quamlibet partem immutent : unde odor interdum immutat medium simul et organum sentiendi spirituali immutatione, sine omni evaporatione ad organum pertingente. C Quod autem aliqua evaporatio ibi est, inde est, quod odor in corporalibus est aliqua humiditate adspersus : unde oportet aliquam fieri resolutionem ad hoc quod percipiatur. In corporibus vero gloriosis odor erit in sua ultima perfectione : ideo immutabit spirituali immutatione. Odoratus quoque in Beatis, quoniam nulla humiditate impedietur, sicut in nobis nunc accidit, sentiet non solum excellentias odorum, imo etiam minimas differentias eorumdem.

Insuper, sicut jam tactum est, in patria D erit laus vocalis, quamvis aliqui aliter dicant; et sola spirituali immutatione organum immutabit auditus : et fiet hoc propter perfectionem sensus, et delectationem.

Verum his objici potest, quoniam visio fit secundum quod in pupilla recipitur species rei visæ; sed hoc esse non poterit in Beatis, quia quod actu est lucidum, non est speciei visibilis receptivum : propter quod speculum directe sub solis radio positum, non repræsentat speciem oppositi corporis. Quum ergo pupilla in

Beatis erit totaliter luce perfusa, non valebit recipere speciem corporis colorati. Dicendum, quod augmentatio luminis non impedit spiritualem receptionem speciei coloris, dummodo maneat in natura diaphani. Nam quanto plus aer illuminatur, tanto aptius medium est ad videndum, nisi defectus sit ex visus debilitate. Quod autem in speculo directe opposito non appareat similitudo rei oppositæ, est ex reverberationis defectu, ad quam requiritur quid obscurum (propter quod in speculo plumbum adjungitur vitro): quam obscuritatem radius solis repellit. Claritas demum corporis gloriosi non aufert diaphaneitatem a pupilla, quia gloria non tollit naturam : unde magnitudo claritatis in pupilla plus conferet ad visus acumen quam ad ejus defectum. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordant Petrus et Richardus per omnia. Asserit quoque Richardus, quod quilibet sensus exterior erit in aliquo actu, atque quod gustus erit ibi apprehensivus saporum per immutationem animalem, ex vi beatitudinis animæ, ut aliqui opinantur; vel ut alii scribunt, ex quadam humiditate exsistente in lingua Beatorum, habente saporem illi perfectioni convenientem, quæ indesinenter in lingua servabitur. Et ut mihi videtur, humiditas illa fiet in lingua per creationem, vel in lingua causabitur ex vi beatitudinis animæ. — Erit item in
Cf. p. 281 D, D'. patria sonus et laus vocalis, et immutabit auditum sine materiali immutatione facta in ipso auditu ac medio; et generabitur in medio absque materiali passibilitate: et hoc, vel in aere, vel in loco formationis ipsius vocis reservato, qui ibi incorruptibiliter permanebit. Vel dici potest, quod partes cœli empyrei dividi poterunt et reuniri, et secundum partes suas moveri motu tremoris necessario ad vocis formationem, et inspirationem ac respirationem. Nempe, quum hic motus sit vitalis, dicunt aliqui quod erit in Beatis ita, quod sic se habebit corpus illud ad corpora glorificata, sicut hic aer ad corpora corruptibilia; et quod cœlum aqueum ita se habebit ad
A eos, sicut terra ad nos in hac vita, sic quod habebunt pedes suos super convexum cœli illius, quamvis quandocumque placuerit eis, poterunt se inde levare sine difficultate, et tenere in alto; et tamen cœlum illud incorruptibilis est naturæ. Quemadmodum enim in cœlo stellato sunt firmitas atque soliditas, ita ut partes ejus ab invicem dividi nequeant virtute creata, quæ tamen causatæ non sunt per quatuor qualitates primas contrarias; sic qualitas qua cœlum empyreum est penetrabile, ac
B modo præfato passibile, non est de illarum numero qualitatum, nec causata ex illis. Quod autem passibilitas illa incorruptioni cœli illius non repugnet, videtur posse probari auctoritate Augustini, secundo super Genesim protestantis, quod cœlo non moto, si sola sidera verterentur, fieri potuissent omnia quæ in ipsis siderum conversionibus animadversa exsistunt ac deprehensa. In quibus verbis sentire videtur, stellam posse incedere de una parte cœli ad aliam, quod sine divisione partium cœ-
C li et reunione earum naturaliter fieri non valeret : et tamen cœlum illud incorruptibile est. Hoc tamen de cœlo stellato non approbo. Hæc Richardus.

Quocirca sciendum, quod B. Augustinus in his quæ philosophiam concernunt, Platonem præcipue est secutus. Plato autem dixit cœlum stare, non circumferri, sed stellas moveri per illud. Unde in primo ait Timæi : Per cœli orbem sidera meant, et ducunt choream. Quam positionem Ptolemæus quoque secutus est, qui (ut in pro-
D logo super Genesim fatetur Hieronymus) in Platonis dogma cadere videbatur. Et quamvis Richardus istud non reprobet in hoc loco de possibilitate incessionis stellarum per partes cœli, nihilo minus in Scripto super secundum sequitur eos qui *Cf.* t. XXII, dicunt planetas per suos orbes moveri : p. 79 D'. quod sine orbium illorum divisione fieri non posse tenetur.

Præterea circa præhabita scribit Albertus : Unumquodque corporum in resurrectione recipiet quantitatem in longo, lato

et spisso, in mensura ætatis plenitudinis A Christi, si natura non defecisset per infirmitatem aut mortem aut nutrimenti subtractionem, nec errasset per alimentorum superfluitatem, aliumve errorem. — De dote demum impassibilitatis dicendum, quod quum impassibilitas sit præmium quoddam, non erit æqualiter neque æqualis in omnibus, sicut nec aliæ dotes, quoniam præmia non sunt æqualia. Et quamvis dicat privationem, tamen fundatur super habitum facientem illam impassibilitatem. Quamvis etiam non plura privet in uno B quam alio, attamen resistens habitus fortius privat in uno quam in alio. Omnis quoque passibilitas est ex materia, et impassibilitas est ex forma : ideo habitus exaltantes formam super materiam ad tollendum privationes et dispositiones contrarias formæ, impassibilitatem perficiunt. Hi vero habitus exaltantes, nequeunt esse nisi gratia et gloria, quæ continent et ligant agentia ac patientia, ut nunquam agant ad discrasiam complexionis, aut ad divisionem partium compositionis. Quod C qualiter fieri possit, sic potest intelligi. [*Cf.* t. XXII, p. 117C' et s., 119A'.] Nam ut Aristoteles innuit, et Commentator exponit, elementa salvantur in mixto quantum ad suas formas substantiales. Proprietates vero elementares, utpote qualitates primæ activæ et passivæ, non sunt in mixto secundum proprium modum seu actum : unumquodque enim contrariorum alteratum est ab altero secundum actum mixti. Continens vero seu ligans actum mixti, est omne illud quod impedit intensionem seu prævalentiam unius super D aliud in actu mixti et miscibilium unione, ut faciunt medicinalia conservantia sanitatem. Et loco medicinalium imaginemur poni in corpore habitus quosdam facientes alium statum, non diversam naturam : statum scilicet in quo sic prævalet actus mixti, quod omnino dominetur potentiis miscibilium, sic quod nunquam intendi valeant aut remitti, nec a causa interiori nec exteriori; et tunc est status mixti inalterabilis ac impassibilis : et hæc est impassibilitas corporis gloriosi. Hæc Albertus.

Præterea, Bonaventura circa hæc sciscitatur, utrum beatitudo seu gloria corporis in dotibus istis consistens, sit originaliter a felicitate et gloria animæ. Respondet : De dotibus corporis, in quibus glorificatio ejus consistit, contingit loqui dupliciter. Primo, quantum ad earum dispositionem; secundo, quoad earum consummationem. Primo modo sunt dispositiones seu absolutæ corporis qualitates, ei in sua glorificatione donandæ. Sed secundo modo acceptæ, sunt a beatitudine animæ, seu ab anima gloriosa. Sicut enim nunc influit anima corpori, et ex influentia illa corpus coloratius, vivacius durabiliusque efficitur; sic anima gloriosa influens in corpus resuscitatum, omnes has dotes ad quas corpus habuit dispositionem per sui reformationem, perficit et consummat.

Insuper sufficientia quatuor dotium, quadrupliciter assignatur, et duo modi ex- [*Cf.* p. 277C'.] pressi sunt. Tertius tantum sumitur penes causam formalem. Nam ut aliqui dicunt, [*Cf.* t. XXII, p. 144A'; XXV, p. 278 D'.] quum in corpore nostro sit natura cœlestis concilians, atque natura elementaris conciliata, modo dominatur in corpore natura elementaris, post resurrectionem vero dominabitur natura cœlestis, quæ est natura lucis : quæ erit sicut causa formalis et completiva corporis glorificati. Quumque lux habeat quatuor istas proprietates, quæ sunt, claritas, subtilitas, agilitas, impassibilitas, convenienter hæ quatuor lucis proprietates ponuntur corporum dotes. Quartus modus accipitur secundum causam materialem. Corpus etenim nostrum est ex quatuor elementis compositum, et quadruplicem habet ab eis defectum. Ab aqua est passibilitas, a terra obscuritas : nam sicut humidum aqueum corpus corrumpit, sic terra (quæ est opaca) obscuritatem inducit. Ab igne vero animalitas, quoniam ignis suo calore consumit continue, propter quod indiget continua alimonia ciborum. Ab aere autem habet corpus infirmitatem, eo quod aer facillime immutatur, et impellentibus cedit. Itaque, contra

hæc quatuor mala indiget corpus his qua- A tuor dotibus, hæc mala tollentibus, utpote : impassibilitate contra corruptionem, claritate contra obscuritatem, spiritualitate seu subtilitate contra animalitatem, virtute seu agilitate contra infirmitatem. Hæc demum sufficientia est aliis aptior, quia præcipue concordat auctoritati Apostoli,
I *Cor.* xv, 42-44. asserentis ad Corinthios : Seminatur in corruptione, surget in incorruptione (ecce impassibilitas); seminatur in ignobilitate, surget in gloria (ecce claritas); seminatur in infirmitate, surget in virtute (ecce pe- B netrabilitas) ; seminatur animale, surget spirituale (ecce agilitas). — Denique dotes istæ recipiunt magis et minus. Quædam namque recipiunt magis et minus per admixtionem contrarii, ut quando utrumque contrarium est aliquid positivum, sicut album et nigrum; quædam vero per accessum ad complementum, ut ea quorum opposita sunt privativa, ut bonum et malum, lux et tenebræ : sicque dotes recipiunt magis et minus.

Si autem quæratur, an omnes sensus C erunt ibi in actu : dicendum, quod posse sentire est ex conjunctione potentiæ sensitivæ cum organo proprio bene disposito; sentire vero est ex conjunctione potentiæ cum objecto. Quoniam ergo in patria erunt potentiæ conjunctæ organis optime dispositis, erunt ibi omnes potentiæ sentiendi. Sed quia objecta omnium sensuum non erunt in gloria, sed quorumdam; ideo quidam sensus erunt in actu suo, et quidam non. Objecta quippe quorumdam sensuum sunt proprietates absolutæ, quæ recipiun- D tur in corpore glorificato, ut color in visu, levitas in tactu. Quumque corpus gloriosum resurrecturum sit cum luminositate et levitate, erunt ibi objecta et actus visus et tactus. Objecta autem aliorum sensuum non sunt proprietates corporis glorificati, nec proprietates absolutæ, sed emanationes a corporibus, ut odor et sonus et sapor : ideo horum trium sensuum actus in patria non consistent. De sono tamen ambigitur, an laus vocalis in patria erit, quam ibi ponere nec videtur necessarium, nec aperte falsum : idcirco de hoc opinari est licitum. — Hæc Bonaventura. In quibus ultimum istud non reputatur idonee dictum : imo positio ex Thoma ac aliis recitata, verior, communior rationabilior- p. 281 D,D', 282 C. que censetur. Nam in reprobis erit sensibilis et nimis acerbus dolor in quolibet sensu exteriori; et constat quod sensus omnes exteriores copiosius et gloriosius actuabuntur et glorificabuntur in electis, quam affligentur in reprobis.

Porro dum quæritur, an erunt impassibilia, respondendum, quod secundum quos- *Cf.* t. XXII, p. 144 A'. dam, natura cœlestis dominatur in gloriosis corporibus, quæ omnino conciliat elementa, et elementarem naturam quasi absorbet. Sed istud est dubium, quomodo natura cœlestis sit in compositione corporis nostri, quod non videtur componi nisi ex quatuor elementis. Idcirco dicendum, quod elementa manent in corpore glorificato, secundum substantiam et qualitates et operationes. Verumtamen attendendum, quod operatio elementorum est quadruplex. Prima est ad constitutionem, et hæc est operatio mixtionis ; secunda est ad conservationem, et hæc est ministerialis delatio caloris vitalis per corpus. Et hæ duæ manebunt in patria. Tertia est pugnæ, ordinans ad dissolutionem ; quarta exterioris impressionis, qua operatio unius elementi super aliud intenditur ac roboratur : unde et oritur inter ea pugna. Et hæ duæ non manebunt, triplici ratione. Prima est temperata mixtio, confringens contrarietatem; secunda est elementarium appetituum quietatio; tertia est animæ prædominantis ac influentis conservatio. Ratione primi non impugnant, ratione secundi impugnare non possunt, ratione tertii necessario conquiescunt.

Postremo, si quæras, an corpus gloriosum sit impassibile passione ab extrinseco veniente, ut ab igne seu cultello; dicendum, quod corpus gloriosum est impassibile ab extrinseco omni genere passionis corrumpentis. Quæ duplex est : una per

influentiam, sicut ignis comburit corpus; alia per violentiam, sicut cultello caro dividitur. Prima harum non est in corpore glorioso : quoniam talis influentia aut est secundum ordinem justitiæ, et hæc est in damnatis secundum divinæ justitiæ ordinem; aut est secundum ordinem naturæ, et ista est solum quando patiens est talis naturæ, quod materia sua appetit esse sub alio actu. Privatio namque est principium patiendi. In corporibus autem glorificatis terminati jam sunt hujusmodi appetitus : ideo si corpus gloriosum poneretur in igne infernali, non læderetur. Alia demum est actio per violentiam. Et de hac aliqui dicunt, quod corpus gloriosum non patitur, quia non est qui inferat; et si quis vellet inferre, corpus gloriosum posset subito declinare. Sed juxta hoc, corpus Adæ ante lapsum habuisset dotem impassibilitatis. Ponatur etiam per impossibile, quod cultellus applicetur hujusmodi ventri : aut venter resistet, aut non. Si non : ergo venter lædetur ac patietur. Si resistit, quæro qua virtute. Et dicunt aliqui, quod habet naturam quintæ essentiæ, quæ non est divisibilis neque secabilis. Unde si quis juxta solem exsisteret, impingeretque cultellum, non pertransiret neque resisteret per naturam duri ac mollis, sed quia caret mollitie et duritia et passibilitate. Sed quum hoc intelligere sit prorsus difficile, hinc dicendum, quod corpus gloriosum pati nequit ex violentia aut duritia corporis obviantis, quoniam omne corpus est pervium ei, et illud pertransit, ut infra dicetur. Unde si quis haberet crystallinum cultellum, per ejus ictum non expelleret radium, imo radius penetraret, nec pateretur ab illo : sic in proposito intelligendum est corpus gloriosum penetrare cultellum absque læsione. — Hæc Bonaventura.

At vero Thomas de Argentina : Causam, inquit, passibilitatis corporum gloriosorum quidam assignant cessationem motus cœli, quia motus cœlestis est primus omnium motuum ac mutationum, et primo motu A cessante, necesse est alios omnes cessare. Sed contra istos est articulus Parisiensis, qui dicit quod stante cœlo et igne approximato stuppæ, dicere quod ignis non comburat stuppam, error est. Hæc Argentinensis.

Amplius Scotus : Homo, ait, non potest esse beatus sine immortali vita; totus autem homo erit beatus, quoniam totus meruit. Rursus, homo habebit perfectionem suæ naturæ convenientem; et talis est immortalitas, quoniam animæ immortali non B repugnat perpetue perficere perfectibile suum. Hinc sicut ex animæ immortalitate probatur resurrectio corporis, ita et immortalitas hominis, et per consequens corporis, et ita in homine potentia suscipiendi impassibilitatem. Omni autem potentiæ passivæ correspondet activa potentia extrinseca vel intrinseca; et posset forsan poni potentia intrinseca, ponendo qualitates esse redactas ad tantam æqualitatem, ut una non posset esse principium agendi in aliam. Attamen istud non esset suffi- C ciens causa ad salvandum impassibilitatem respectu agentis extrinseci. Denique, anima constituta est media inter Deum et corporalem naturam : ergo dum ipsa fuerit superiori suo, videlicet Deo, perfecte obediens ac plene subjecta, erit ejus inferius, utpote corpus, ei omnino subjectum, inseparabiliterque conjunctum. Sed contra hoc objici potest, quod anima in suo corpore qualitates contrarias exigit et præsupponit : non ergo ei repugnant. Ideo dico, quod causa impassibilitatis corporis glo- D riosi est voluntas divina, non coagens causæ secundæ corruptivæ; et per hoc est corpus incorruptibile, non potentia remota sed propinqua, non a causa intrinseca sed extrinseca impediente : cujus exemplum est de igne in camino, non agente ad consumptionem corporum trium puerorum.

Verum contra hoc arguitur, quia sic dos non esset aliquid intrinsecum et inhærens corpori. Dicendum, quod corpus Beati habet jus quoddam ad talem Dei custodiam

ac præservationem ab omni corruptione. A Nec cessatio motus cœlestis est causa incorruptibilitatis illius. Nam quamvis motus cœli habet aliquam primitatem ad alios motus, videlicet uniformitatis et velocitatis, non tamen causalitatis, nisi in quantum adducit generans agendo ad præsentiam et approximationem, quod est esse causam per accidens. — Rursus, si instetur, quia (secundum Gregorium) necessario corruptibile est quod palpatur; dico, quod auctoritas illa necessaria non videtur. Quare enim non posset palpari cœlum B digito ibi exsistente, intelligendo palpationem ita, quod corpus cœleste sensibiliter resisteret tactui, quamvis non afficiendo per aliquam qualitatem, utpote nec ut durum, nec ut molle, nec ut calidum, neque ut frigidum? Quod autem palpatur secundum aliquam qualitatem sensibilem immutando, bene est corruptibile. — Hæc Scotus, qui etiam concedit, quod visus et auditus (qui sunt sensus magis spirituales) erunt in actu, præsertim si erit ibi sonus; de sensibus vero ad nutritionem C pertinentibus, non sic apparet. Sed in his dicta ex S. Thoma, multo his rationabiliora et solidiora videntur.

q. 16. Insuper Henricus nono interrogat Quodlibeto, utrum dos impassibilitatis sit aliqua dispositio positiva corporis gloriosi. Respondet: In corporibus Sanctorum erunt perfectæ operationes omnium virium intellectivarum et sensitivarum. Volent enim et scient, videbunt et audient, et universaliter sentient quæcumque sunt eis et beatitudini eorum convenientia, tam ex parte D virium interiorum quam exteriorum. Hinc oportet in illis dotem ponere impassibilitatis, quam requirit natura animæ humanæ, quoniam esse in corpore ei est naturale, sicut naturale est gravi esse in centro. Unde esse extra corpus, est contra suam naturam: sicut contra naturam est gravis, esse sursum. Hinc et contra naturam animæ est, aliquid esse in corpore suo per quod necessario habet aliquando esse extra corpus; et hoc est mortalitas, seu corruptiva passibilitas corporis. Ideo anima non habet naturalem suam perfectionem ac liberam, nisi impassibile corpus recipiat: quod quum naturaliter fieri nequeat, oportet hoc fieri per aliquid supernaturale, puta per dotem impassibilitatis. De qua quæstio est, an sit, et quomodo habeat esse, et quid agat in corpore.

Quocirca sciendum, quod immortalitas seu impassibilitas triplex est. Una, quæ fuit in statu innocentiæ, qua homo potuit non mori, per diuturnam præservationem a morte et corruptione ex esu ligni vitæ, quousque raperetur ad secundam immortalitatem, quæ erit corporum gloriosorum post resurrectionem. Secunda immortalitas erit corporum gloriosorum, qua homo non poterit mori ab aliqua causa intrinseca vel extrinseca agente. Tertia est immortalitas qua quis nullo modo potest mori, qualis est immortalitas ejus qui formaliter necesse est esse, et est suum esse, qualis est immortalitas Dei solius. Nunc ergo quærimus causam impassibilitatis secundo modo acceptæ. Nec dicere possumus, quod sola Dei voluntas sit causa ipsius: juxta quem modum Plato disseruit in Timæo, voluntatem Dei esse causam immortalitatis et indissolubilitatis deorum, in hoc ipso sentiente multo melius Aristotele. Nam Dei voluntas est solum causa extrinseca impassibilitatis quæ dos vocatur, quam oportet esse aliquid positivum in corpore tali. Nec hoc potest esse aliqua virtus elementaris neque cœlestis, sicut probatum est; sed oportet hoc esse aliquid supernaturale. *Cf. p. 279 A.* Et sunt qui dicunt, quod dispositio illa non sit aliud quam gloria animæ, per quam corpus suum erit plene subjectum. Hoc tamen non videtur sufficere, quoniam quantumcumque corpus subjectum sit animæ, si in corpore nihil receptum sit per quod ex se sit impassibile, non sequitur quin ex se sit passibile, possitque pati. Ideo dico, quod radix passibilitatis est privatio formæ exsistens in materia. Ex unione vero animæ gloriosæ cum corpore suo ab omni fomi-

te mundo, ex redundantia gloriæ animæ A in corpus infunditur corpori dispositio auferens dispositionem defectuum, quæ erat privatio : quemadmodum adveniente alia qualibet forma, tollitur privatio quæ fuit carentia formæ illius. Sicque sublata dispositione illa defectiva, dispositio ista illi contraria per se ponit impassibili-
I *Cor.* xv, 26. tatem, inimica ejus morte destructa ; et
Ibid. 53. ita mortale hoc induit immortalitatem, et corruptibile incorruptionem. — Hæc Henricus.

At vero Guillelmus, libro de Universo : B Quoniam (inquit) quædam animæ humanæ glorificandæ sunt, reddenda sunt illis corpora non solum immortalia, sed etiam impassibilia, et nutrimento non indigentia. Erunt etiam illis aliæ mirabiles et supernaturales dispositiones, propter quas ipsa merito glorificata vocabuntur. Si enim passibilia essent, læsionibus eorum essent animæ dolori obnoxiæ, et ita non essent vere felices. Verumtamen non hoc intendimus dicere, quod per gloriam illam futuram omnino destruatur defectibilitas natu- C ralis in animabus aut corporibus illis, sed quod prohibetur ab actu suo prohibitione impassibilitatis perpetuæ. Cujus exemplum est in vase solidissimo impenetrabiliter recluso, in quo aqua inclusa a sua effluxione totaliter prohibetur, nihilo minus suam fluxibilitatem nequaquam amittit. Clarius autem exemplum est in crystallo, in qua aqua a suo fluxu vehementia congelationis impeditur, quamvis in sua natura perseveret fluxibilis. — Hæc Guillelmus, qui super his scribit prolixe, et de D modo operationis sensuum exteriorum in Beatis : an scilicet tam perfecte videant et audiant a remoto ut a propinquo, et utrum ab objectis immutentur. Et dicit, hoc per Omnipotentis moderantiam fieri posse, ut distantia objecti non impediat perfectam sensationem ipsius ; et rursus, quod sicut vires superiores sunt in ultimitate suæ actualitatis respectu omnium intelligibilium, præsertim post diem judicii, et velut speculum in effectu intelligibilium omnium : ita et dici potest, ipsos sensus tunc futuros in ultimitate suæ perfectionis et actualitatis, per hoc quod erunt tanquam speculum in effectu seu actu sensibilium universorum, unusquisque videlicet sensus respectu sui objecti, ita quod ultra non indigebunt ab objectis immutari. Nam et hoc ad perfectionem sensuum pro statu illo amplius pertinet, atque ad simuleitatem gaudii quod ex apprehensione objectorum suorum habebunt.

QUÆSTIO V

AMplius quæritur, **An corpori glorioso ex sua subtilitate conveniat naturaliter, aut saltem supernaturaliter, esse simul in eodem loco cum alio corpore glorificato et non glorificato ; an etiam tale corpus commensuretur loco, sitque palpabile.**

In hac quæstione multa tanguntur et includuntur. Et primo in ea supponitur, quod subtilitas sit dos atque proprietas corporis gloriosi. Contra quod arguitur. Nam corpora glorificata habebunt carnem et ossa, sicut et Christus post resurrectionem suam locutus est : Videte et palpate, *Luc.* xxiv,
quoniam spiritus carnem et ossa non ha- 39.
bet, sicut me videtis habere. Et ita sunt grossa ac solida, non subtilia et aliorum penetrativa. — Rursus, elementa subtiliora habent de materia minus quam alia, ut patet de elementis ignis elementaris et aeris ; sed carnes et ossa sunt valde materialia. — Iterum, proprietas, donum et decor gratuitorum excedunt proprietatem et ornatum naturalium : sicut et claritas corporis glorificati claritatem solis, quæ maxima est in natura, creditur excessura. Ergo subtilitas corporum gloriosorum major erit subtilitate cujuscumque corporis naturalis, sicque subtiliora essent vento et aere : quod Gregorius reprobat, et Sancti concorditer negant.

A Ad hoc Thomas respondet : Nomen subtilitatis a potestate penetrandi acceptum est. Unde secundo de Generatione asseritur : Subtile est quod repletivum est partibus, et partium partibus. Porro, quod corpus sit penetrativum, ex duobus contingit. Primo, ex parvitate quantitatis, præsertim secundum profunditatem et latitudinem, non secundum longitudinem : quoniam penetratio fit in profundum, propter quod longitudo penetrationi non obstat. Secundo, ex paucitate materiæ : ideo rara vocamus subtilia. B Quumque in corporibus raris forma prædominetur materiæ, ideo nomen subtilitatis magis translatum est ad corpora illa quæ optime substant formæ, et perficiuntur ab ea perfectissimo modo : sicque dicimus subtilitatem in corporibus esse cœlestibus. Et quoniam incorporea carent quantitate atque materia, nomen subtilitatis etiam ad ea transfertur, non solum ratione substantiæ suæ, sed et virtutis. Sicut enim subtile dicitur penetrativum, quia pertingit usque ad intima rei; ita et intellectus vocatur C subtilis, qui pertingit ad cognoscendum intimas rerum naturas, proprietates et vires.

Et juxta hoc diversi diversimode attribuerunt subtilitatem corporibus gloriosis. Nempe, ut recitat Augustinus, quidam hæretici attribuerunt eis subtilitatem, prout spirituales substantiæ subtiles vocantur, dicentes, quod in spiritum convertentur. Quod falsum est, quoniam corpus in spiritum converti non valet, quia non communicant in materia; nec post resurrectionem vere homines essent, quum caro sit de ho- D minis ratione. Hinc alii dixerunt hæretici, quod corpora erunt subtilia per rarefactionem, ita quod vento et aeri erunt similia. Sed hoc quartodecimo Moralium reprobat Gregorius, quoniam corpus Christi, in subtilitate potissimum, carnem et ossa se habere monstravit. (*Luc.* XXIV, 39.) Et sanctus Job ait : In carne mea videbo Deum salvatorem meum. (*Job* XIX, 26.) Caro autem et ossa talem raritatem non admittunt. Idcirco dicendum, quod dicuntur subtilia propter completissimam corporis perfectionem. Sed hanc perfectionem diversi variis modis eis attribuunt. Quidam ratione quintæ essentiæ : quod improbatum est supra. Alii ratione dominii (*Cf.* p. 279 A.) animæ beatæ super proprium corpus : propter quod etiam corpus illud vocatur spirituale, id est omnino subjectum spiritui. Prima quippe subjectio qua corpus subjicitur animæ, est ad participandum esse specificum; et deinde subjicitur animæ ad alia opera ejus, secundum quod anima est motor : ideo prima ratio spiritualitatis in corpore est ex subtilitate, deinde ex agilitate ac aliis proprietatibus corporis gloriosi. Hinc per spiritualitatem Apostolus subtilitatem designat. — Ex quibus patent objecta.

Ad id vero quod quæritur, an corpus gloriosum per suam subtilitatem possit esse in eodem loco cum alio corpore non glorioso, dicendum, quod hoc dici non valet, nisi per subtilitatem auferatur ab eo id quo nunc prohibetur simul esse cum alio corpore in loco eodem. Et (ut aliqui dicunt) prohibetur ab hoc ratione corpulentiæ suæ in hac vita, per quam corpulentiam replet locum : quæ per dotem subtilitatis aufertur ab eo. Quod stare non valet. Primo, quoniam corpulentia quam subtilitas aufert, pertinet ad defectum, quum sit inordinatio quædam materiæ non perfecte substantis suæ formæ. Totum enim quod ad integritatem corporis pertinet, in corpore resurget, tam ex parte formæ quam ex parte materiæ. Quod autem corpus repletivum sit loci, habet per id quod est de integritate naturæ ejus, non ex defectu naturæ. Quum enim plenum vacuo opponatur, id solum non replet locum, quo posito in loco, locus nihilo minus remanet vacuus. Vacuum namque quarto Physicorum definitur, quod est locus non repletus sensibili corpore. Corpus vero sensibile dicitur ex materia et forma et naturalibus accidentibus, quæ omnia ad integritatem pertinent naturæ. Constat autem quod corpus gloriosum erit sensibile secundum tactum : ideo non obstante dote

subtilitatis, replebit locum; imo insania videtur dicere, quod locus in quo esset corpus glorificatum, consisteret vacuus. Secundo, quoniam impedire coexsistentiam corporum in eodem loco, est in plus quam locum replere. Si enim ponamus dimensiones separatas sine materia, illæ dimensiones non replent locum : unde quidam ponentes vacuum, dixerunt vacuum esse locum in quo sunt hujusmodi dimensiones sine sensibili corpore. Et tamen istæ dimensiones nequeunt simul esse cum aliquo corpore in loco eodem, ut quarto Physicorum et tertio Metaphysicæ dicitur, ubi Philosophus habet pro inconvenienti, quod corpus mathematicum, quod non aliud est quam dimensiones separatæ, sit simul cum sensibili corpore naturali. Hinc dato quod subtilitas corporis gloriosi auferret ab eo hoc quod est locum replere, non tamen sequeretur, quod ob hoc posset simul esse cum alio corpore in eodem loco : quia remoto eo quod in minus est, non removetur id quod in plus est.

Ideo dicendum, quod id quod nunc impedit nostrum corpus simul esse in eodem loco cum alio corpore, nullo modo potest removeri ab eo per dotem subtilitatis. Nihil enim potest prohibere corpus ne simul sit situatum cum alio corpore in loco eodem, nisi hoc quod in eo requirit situm diversum : nihil enim est impeditivum identitatis, nisi quod causa est diversitatis. Quam distinctionem situs non requirit aliqua corporis qualitas, quoniam corpori non debetur aliquis situs ratione suæ qualitatis : hinc remoto a corpore sensibili esse calidum aut frigidum, grave aut leve, nihilo minus manet in eo necessitas prædictæ distinctionis. Materia quoque non potest inducere necessitatem prædictæ distinctionis, quia materiæ non advenit situs nisi mediante quantitate dimensiva; sed nec forma situm habet nisi mediante materia situm habente. Restat ergo quod necessitas distinctionis duorum corporum in situ, causetur a natura quantitatis dimensivæ, cui per se convenit situs : nam cadit

A in ejus definitione qua dicitur, Quantitas dimensiva est quantitas habens situm. Quumque materiæ competat situs in quantum substat dimensioni, impossibile est duas esse materias, nisi sit distinctio situs. Et quia distinctio materiæ est principium distinctionis individuorum, Boetius in libro de Trinitate fatetur, Duobus corporibus unum fingere locum nullatenus possumus : ut hanc saltem accidentium varietatem distinctio individuorum requirat. Porro dos subtilitatis a corpore glorio-
B so dimensionem non aufert : idcirco non aufert ei necessitatem prædictam distinctionis in situ ab alio corpore. Sicque corpus gloriosum, ex dote subtilitatis non habebit quod simul esse possit in loco eodem cum alio corpore; sed virtute divina hoc fiet miraculose, sicut ad umbram corporis beatissimi Petri sanabantur infirmi. Hinc corpus Christi non virtute subtilitatis, sed divinæ potestatis, exivit de utero Virginis, introivitque domum januis clausis. Similiter corpora gloriosa penetrabunt orbes
C cœlestes, facto extremo judicio, ad cœlum empyreum ascendendo.

Hinc patet responsio ad quæstionem qua quæritur, utrum virtute divina duo corpora possint esse simul in loco eodem. Nempe (ut patuit) propter hoc necesse est duo corpora in locis esse distinctis, quia diversitas materiæ distinctionem requirit in situ : unde videmus, quod dum duo corpora conveniunt in unum, destruitur utriusque esse distinctum, et acquirunt unum esse, ut patet in mixtionibus. Non
D igitur potest esse quod duo corpora remaneant duo, et tamen sint simul, nisi utrique conservetur esse suum distinctum, quo et jam ante fuit indivisum in se et divisum ab aliis. Quod esse dependet ab essentialibus principiis rei sicut a proxima causa, atque a Deo sicut a causa prima : quemadmodum dictum est supra, *Cf.* t. XXIV,
quod esse accidentis dependet a subjecto p. 314 B'.
sicut a causa proxima, et a Deo tanquam a prima causa. Quumque prima causa valeat rem conservare in esse sine secundis

ac proximis causis, ut probatur ex prima A propositione libri de Causis : hinc virtute divina, et ea dumtaxat, fieri potest ut accidens sit sine subjecto, ut in Sacramento altaris; similiter, quod corpori remaneat esse distinctum ab alio corpore, quamvis ejus materia non sit situ distincta ab alterius corporis materia; sicque miraculose agitur quod duo corpora simul sint in eodem loco. Et quamvis contra hoc fiant multæ objectiones, quæ prima facie fortes videntur, tamen aut falsum supponunt, aut ex principiis naturalibus producun- B tur, quæ omnipotentiæ Dei limites non præfigunt. Nec ex hac fidei assertione sequitur contradictionis implicatio aliqua, ut *Cf.* t. XXIV, p. 314 C'. etiam patet ex dictis jam supra, tractatu de Eucharistiæ sacramento, ubi de his introducta sunt aliqua.

Insuper si quæratur, an corpus gloriosum valeat esse in loco eodem cum alio corpore glorioso : dicendum, quod eisdem rationibus quibus probatum est corpus gloriosum simul non posse esse cum corpore non glorioso, virtute suæ subtilitatis, pro- C batur quod nec cum alio corpore glorioso esse queat in loco eodem, sua subtilitate; sed sola Dei virtute utrumque fieri potest, qua et corpus non gloriosum simul in eodem loco esse potest cum corpore non glorioso. Verumtamen non est conveniens, corpus gloriosum simul esse in loco eodem cum corpore glorioso : tum quia in eis servabitur debitus ordo, qui distinctionem requirit; tum quoniam corpus unum gloriosum non se opponet alteri. Hinc nunquam simul erunt duo corpora glorio- D sa. — Et si objiciatur, quod corpora cœlestia glorificabuntur, ita quod multo clariora erunt quam sunt (ut infra dicetur), et tamen simul cum eis erunt, eaque penetrabunt corpora Beatorum; dicendum, quod corpora cœlestia non erunt univoce et perfecte gloriosa sicut corpora Beatorum, sed aliquid participabunt glorificationis per luminis incrementum, sicut patebit, non tamen dotes habebunt corporum Beatorum.

Quæritur quoque, an per dotem subtilitatis amoveatur a corpore glorioso necessitas exsistendi in loco sibi æquali. Et respondendum, quod corpus non comparatur ad locum nisi mediantibus dimensionibus propriis, secundum quas circumscribitur corpus locatum ex corporis contactu locantis. Unde quod corpus sit in loco minori quam est quantitas sua, non potest esse nisi per hoc quod quantitas corporis efficitur aliquo modo minor se ipsa. Quod non potest intelligi nisi duobus modis. Primo, ex variatione quantitatis circa eamdem materiam, ut scilicet materia quæ primo subest quantitati magnæ, postea subsit parvæ. Et hoc aliqui posuerunt in corporibus gloriosis, dicentes, quod quantitas eorum subest eis ad nutum. Quod stare non potest, quoniam nullus motus exsistens secundum aliquid intrinsecum rei, potest esse sine passione abjiciente a substantia : propterea in corporibus incorruptibilibus, puta cœlestibus, non est nisi motus localis. Hinc talis mutatio circa materiam, repugnaret impassibilitati et incorruptibilitati corporis gloriosi. Item sequeretur, quod corpus gloriosum interdum rarius, aliquando spissius esset : quia quum nil dividi possit ab eo de materia sua, quandoque eadem materia esset sub dimensionibus magnis, quandoque sub parvis. Secundo intelligi potest, quod quantitas corporis gloriosi efficiatur minor se ipsa per situs variationem, ita quod partes corporis gloriosi subintrent se invicem, sicque redeat ad quantitatem quantumcumque parvam. Et hoc aliqui posuerunt, dicentes, quod corpus gloriosum, ratione suæ subtilitatis possit simul esse cum corpore non glorioso in loco eodem; consimiliter possit una pars ejus esse intra aliam, in tantum quod totum corpus gloriosum intrare poterit per minimum porum : et ita dicunt, quod corpus Christi exivit de utero Virginis, et intravit januis clausis. Quod esse non potest, quia (ut dictum est) *Cf.* p. 289 C. corpori glorioso hoc non convenit per dotem subtilitatis, et præsertim non convenit ei simul esse cum corpore glorioso.

Talis quoque subintratio partium in se A ipsas, repugnat rectæ dispositioni corporis humani, quæ requirit situm determinatum atque distantiam partium : propterea nec per miraculum hoc unquam fiet. Idcirco dicendum, quod corpus gloriosum semper erit in loco sibi æquali. — Et si objiciatur, quod corpus Christi sit totum sub modica forma hostiæ in altari; dicendum, quod Cf. t. XXIV, p. 258 A. corpus Christi non est ibi localiter, sicut præhabitum est.

At vero ad hoc, utrum corpora Beatorum erunt palpabilia, respondendum, quod B omne corpus passibile est tangibile, non econtra. Omne enim corpus habens qualitates quibus immutari potest sensus tactus, ut ignis et aer, est corpus tangibile. Palpabile vero superaddit, quod resistat tangenti : ideo aer non exsistit palpabilis. Hinc corpus fertur palpabile ex duobus, puta : ex qualitatibus palpabilibus, et quia resistit tangenti ne pertranseatur. Quumque qualitates sensibiles sint calidum et frigidum, et consimiles, quæ non inveniuntur nisi in corporibus gravi- C bus et levibus, quæ habent contrarietatem, unde et corruptibilia sunt : hinc corpora cœlestia ex sua natura incorruptibilia, sunt sensibilia visu, non tangibilia, unde nec palpabilia. Et hoc est quod in homilia dicit Gregorius : Corrumpi necesse est omne quod palpatur. Corpus autem gloriosum habet ex sua natura qualitates quæ natæ sunt immutare tactum; attamen quum corpus illud spiritui sit omnino subjectum, in sua potestate est, per eas tactum immutare vel non immutare. Similiter secun- D dum naturam competit sibi resistere omni alteri corpori transeunti, ita ut nequeat simul esse cum ipso in eodem loco nisi miraculose : quod et ad nutum ejus potest contingere, et sic non resistit alteri corpori. Itaque ex sua natura palpabile est, sed supernaturaliter competit ei ut dum vult, non palpetur a corpore non glorioso. Hinc ait Gregorius, quod Dominus palpandam carnem suam præbuit, quam clausis januis introduxit, ut ipso facto ostenderet quod corpus suum post resurrectionem ejusdem fuit naturæ, et alterius gloriæ. — Denique qualitates tangibiles in corporibus gloriosis non erunt reductæ ad medium rei secundum æquidistantiam ab extremis acceptum, sed ad medium proportionis, secundum quod optime competit complexioni humanæ in singulis partibus. Unde et tactus illorum corporum delectabilissimus est, quia potentia semper delectatur in proportionato et convenienti objecto, et tristatur in excessivo. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus satis comprehensa videntur ea quæ in Summa contra gentiles, libro quarto, de hac scribit materia. In quibus sunt aliqua quæ non multum videntur concludere, ut de subintratione partium corporis gloriosi in invicem : quod nunquam fieri perhibet, quum tamen in Sacramento totus Christus et tota sacratissima caro ipsius sit in tota hostia, et in qualibet ejus parte : ergo et quælibet pars corporis ejus est in qualibet hostiæ parte, ac per consequens pars quælibet in qualibet parte, loquendo de partibus secundum speciem, ut ante ostensum est. dist. x, q. 3.

Petrus quoque in præhabitis aliter sentiens : Aliqui (inquit) dicunt, quod corpus gloriosum, virtute suæ glorificationis non potest simul esse cum alio corpore non glorioso in eodem loco, quoniam corpora distinguuntur per diversas materias, diversæ quoque materiæ per situs diversos. Sed Damascenus distinguens operationes dominici corporis libro tertio, ingressum januis clausis attribuit virtuti glorificationis. Hinc alii dicunt communius, quod corpus gloriosum potest sine miraculo novo simul esse cum corpore non glorioso, virtute suæ gloriosæ subtilitatis : sicque corpora gloriosa penetrabunt corpora alia, non dividendo, sed subintrando, sicut spiritus sua subtilitate penetrat corpus. Subtilitas autem corporum gloriosorum erit spiritualis ad modum spirituum, quoniam corpora erunt spiritualia, non corporalis per rarefactionem. Ipsa vero grossities im-

pedit duo corpora esse simul in loco uno, quia unum alteri resistit : quæ grossities per donum subtilitatis tolletur. Unde corpus non gloriosum glorioso non potest resistere, sicut nec corpus spiritui. Non enim impedimentum illud provenire videtur ex parte materiæ, quum materia per se non occupet locum ; nec ratione formæ substantialis, quæ simplex est, et locum non occupat ; nec ex parte quantitatis, quum duorum corporum sese contingentium superficies simul sint ; sed magis ex parte cujusdam grossitiei seu materialis impuritatis, quæ aufertur per dotem subtilitatis. Amplius, duplex est terminus : unus intrinsecus, alter extrinsecus. Ad eumdem terminum intrinsecum impossibile est duo corpora terminari, sed ad eumdem extrinsecum possibile est. Nam impossibile est duo corpora habere eamdem superficiem, sed possunt locum habere eumdem.

Si autem quæratur, utrum corpus gloriosum valeat esse simul cum alio corpore glorioso ; dicendum, quod quamvis corpus possit penetrari a spiritu, non tamen spiritus a spiritu. Omne autem corpus glorificatum, habet eamdem specie subtilitatem spiritualem. Hinc quamvis corpus non gloriosum possit a glorioso corpore penetrari, unum tamen gloriosum nequit penetrari ab alio glorioso : idcirco nec simul esse valent. Et si objiciatur, quoniam corpus gloriosum est magis subtile quam non gloriosum ; ergo minus resistit, quemadmodum aer minus resistit quam aqua et terra : dicendum, quod æquivoce sumitur subtilitas. Quædam namque est subtilitas per raritatem partium materiæ, et hæc minime resistit ; quædam per quamdam immaterialitatem vel immaterialitati similem proprietatem, et hæc maxime resistit. — Hæc Petrus.

Præterea Richardus hic sciscitatur, utrum corpora Beatorum erunt subtiliora elementis, videlicet igne et aere. Respondet : Subtile dicitur a virtute penetrandi. Res autem penetrativa est ex triplici causa. Primo, A propter quantitatis parvitatem, præsertim secundum latum et profundum : ideo acus penetrativa est, quamvis longa. Secundo, propter raritatem seu materiæ paucitatem, ut aer. Tertio, propter activæ virtutis magnitudinem, ut vinum : propter quod aqua modico vino permixta, magis refrigerat, quia plus penetrat. Secundum primos duos modos corpora Beatorum non erunt subtiliora igne et aere, quia in debita quantitate resurgent, et cum tota materia ad eorum subsistentiam necessaria ; sed tertio modo. B Etenim ex virtute beatitudinis animæ erit in gloriosis corporibus tanta magnitudo virtutis activæ, quod per eam multo efficacius poterunt penetrare quam ignis et aer, aut dimensiones, etiam si essent separatæ. Unde Anselmus libro de Similitudinibus, protestatur de unoquoque Beato, quod erit tam fortis, quod et terram possit movere. Ideo dicit Gregorius contra Eutychium Constantinopolitanum episcopum, quod erunt subtilia corpora Beatorum per effectum spiritualis potentiæ, palpabilia C vero per veritatem naturæ. Hæc Richardus.

Qui etiam circa quæstionem de penetratione et coexsistentia corporum Beatorum, recitat opiniones quæ ex Thoma sunt reci- p.288B'et s.
tatæ ; et magis consentit positioni sancti Doctoris, quod scilicet penetrabunt corpora non gloriosa, et simul cum ipsis poterunt esse in loco eodem, non ex dote subtilitatis, sed supernaturali Dei virtute, qua ad hoc indesinenter ipsis adsistet ex æter- *Cf.* p.291 D.
no decreto. — Narrat demum erroneam opinionem dicentium, quod nec per omni- D potentiam Dei fieri posset quod duo corpora sint pariter in loco eodem, quoniam implicat ; et quod corpora illa subintrant in se, et sub majori ac minori sunt quantitate, juxta et nutum et imperium animæ ; atque quod corpus Christi ita exivit de Virginis utero : quod totum jam repro- p.290B',D'.
batum est. — Cui positioni Albertus consentiens : Corpora (ait) Beatorum vocantur subtilia, quoniam fomes, grossities et aliæ ignobiles proprietates erunt eis ablatæ ; nihilo minus locum replebunt.

Præterea Bonaventura etiam refert hic A aliorum opiniones non veras, et exprimit suam, dicendo : Corpus gloriosum potest esse in eodem loco cum corpore non glorioso, per penetrationem, subintrando illud per totum, non per poros. Quod enim duo corpora naturalia nequeunt esse simul in eodem loco, non est ex hoc quod sunt duo : imo ante sunt duo quam sint in loco uno aut duobus, quia per proprias formas sunt duo. Nam duo puncta, duæque lineæ, et duæ superficies simul sunt in contactu physico. Contigua enim sunt quorum ulti- B ma seu termini simul sunt, et simul sunt quandocumque in eodem loco primo sunt. Quod ergo non sunt simul, est propter eorum corpulentiam, qua unum non est alteri pervium. Si ergo unum habeat corporeitatem subtilem, ac penetrativam virtutem respectu alterius, poterunt esse simul. Quumque in dote penetrabilitatis detur corpori subtilitas, et virtus activa ad penetrandum corpus non glorificatum; ideo penetrat, illo non cedente. Corpora autem mathematica ideo plura sunt, quoniam C distant ab invicem : unde impossibile est duo corpora mathematica vel duas lineas esse simul, vel etiam mathematicum cum naturali, ut vult Philosophus. Hæc Bonaventura.

Præterea Scotus circa hæc, specialia aliqua scribit, in primis narrans ac reprobans quasdam opiniones jam recitatas ac improbatas. Deinde refert ac improbat positionem quam B. Thomas assequitur : Alia (inquiens) opinio est, quod nullum corpus simul potest esse cum alio corpore D nisi per miraculum, ita quod unum solummodo corpus sit in loco situaliter, et aliud non (sicut corpus Christi est in altari non modo quantitativo, sed per miraculum); sicque unum corpus in loco sit modo naturali et quantitativo, aliud vero modo supernaturali et non quantitativo. Sed hoc nihil est. Nam quamvis Deus possit hoc facere, tamen secundum ponentes dotes corporis gloriosi, utrumque corpus erit simul localiter ac situaliter. Hæc Scotus.

Quocirca advertendum, quod Scotus iste inepte hæc recitat, imo et contra intentionem Doctoris sancti. Non enim Sanctus ille dicit quæ iste refert, sed respondendo ad quæstionem hanc, utrum ex subtilitate sua removeatur a corpore glorioso necessitas exsistendi in loco æquali, primo sic arguit ad partem affirmativam : Corpora gloriosa erunt conformia corpori Christi ; sed corpus Christi non arctatur ad locum æqualem, imo totum continetur sub parvis dimensionibus hostiæ. Postea quæstionem determinat sicut jam *Cf.* p. 290 D'. patuit; atque ad istud respondet objectum, dicendo quod corpus Christi in Sacramento *Cf.* p. 291 A. altaris non est localiter : quod ait ad defendendum responsionem qua dixit, quod corpus gloriosum semper erit in loco sibi æquali. Unde clarissime constat quod intentio Thomæ non sit asserere, quod dum duo corpora simul sunt in eodem loco miraculose, unum eorum sit ibi modo naturali et quantitativo, et aliud modo supernaturali, non quantitativo : imo dicit utrumque ibi consistere in loco sibi æquali, quod est per commensurationem et quantitative esse ibidem.

Insuper scribit Scotus : Dico hic primo, quod possibile est duo corpora esse simul. Secundo dico, quod hoc erit per dotem subtilitatis. Tertio dicam, an subtilitas erit aliqua qualitas absoluta. De primo dico, quod ad impossibile simpliciter, nulla est activa potentia; sed est potentia ad hoc quod aliqua corpora sint simul, quoniam non est repugnantia formalis inter quantitatem et quantitatem, et inter situm et situm, et inter ubi et ubi. Nam hoc *ubi* hujus corporis, et illud *ubi* alterius corporis, non repugnant inter se, nec in subjectis ; nec subjecta inter se. Si ergo esset aliqua repugnantia in locali duorum corporum simulcitate, hoc esset quoniam illa *ubi* dicunt diversos respectus ad eumdem terminum ; sed nec sic est impossibilitas, etc. De secundo dico, quod per dotem subtilitatis erit istud possibile. Hæc dos enim non est nisi perfectio debita, seu debitus

ordo huic corpori in quantum animatum est et perfectibile hac anima. Ergo hoc est vere dos subtilitatis data corpori glorioso, ut pro libito voluntatis suæ sit possibilis ad exsistendum cum alio corpore. De tertio dico, quod dos subtilitatis non est nisi debitus ordo ad exsistendum simul cum alio corpore, qui est ordo extrinsecus, non intrinsecus formaliter. Porro positio Thomæ super quartum et in uno de Quodlibetis, est quod distinctio compositorum potest salvari absque situs distinctione : quod et sola divina fieri potest virtute, quoniam esse distinctum compositi non solum dependet a causa secunda, sed principalius a prima causa. Unde sine distinctione essentiali principiorum potest Deus causare et conservare compositum. Et ponit exemplum in Sacramento altaris. Nam accidentia dependent a subjecto sicut a causa secunda, atque a Deo sicut a prima causa : ideo virtute primæ causæ possunt a subjecto separari, et habere esse distinctum sine subjecto. Sic in proposito, duo corpora possunt esse essentialiter inter se distincta et quantitative, absque distinctione loci et situs. Contra istud objicitur, quoniam Deus non potest rem conservare sine causis intrinsecis, nec sine essentialibus suis principiis, quæ tamen sunt causæ secundæ. Hæc Scotus.

Quodl. II, quæst. 20.

In quibus multa videntur inidonee dicta, ut quod dos subtilitatis non sit nisi relatio et ordo extrinsecus, quum juxta præinductam præcipuorum doctorum doctrinam sit qualitas absoluta et decor supernaturalis, positivaque qualitas aptificans et disponens corpus ad obtemperandum et subserviendum in omnibus promptissime animæ gloriosæ; nec aliquis doctor authenticus et antiquus videtur oppositum hujus sensisse. Præterea nec verba S. Thomæ congruenter videtur inducere et referre. Nunquam enim hoc sensit Thomas, quod aliquid possit esse absque his quæ sunt de sua essentiali et propria ratione, seu de ejus essentia, ut quod aliquid possit esse homo sine anima rationa- A li, imo frequenter fatetur hoc implicare; sed hoc intendit asserere, quod id quod dependet ab essentialibus principiis, tanquam realis effectus essentialiter differens ab eisdem, possit conservari a Deo immediate, et hoc secundum intellectum quo communiter dicitur, quod ea quæ realiter differunt, Deus potest separatim seu unum sine alio conservare. Nihilo minus S. Thomas circa hæc, sicut et circa alia, scribit nonnulla quorum contraria probabiliter possunt teneri; sed in hoc non decet quempiam B consistere captiosum, aut verba solidorum doctorum truncate et impertinenter commemorare, præsertim quum hoc videatur vanitatis levitatisque esse.

Adhuc demum de his scribit Guillelmus libro de Universo : Corporibus glorificatis cedent absque difficultate ac resistentia quæcumque corpora alia; alioqui corpora gloriosa passibilia essent ab illis. Quoniam omne corpus resistens alteri, necessario agit in illud, retardans aut impediens motum illius; et si fuerit alterum altero C subtilioris substantiæ, intrabit alterum in alterum, faciens in eo sectionem seu divisionem : quæ si corporibus Beatorum posset inesse, ipsi Beati essent mortales. Amplius, omne impedimentum et retardatio voluntarii motus, omnisque difficultas, miseria est. Nihil autem miseriæ habitura est illa felicitas. Motus ergo voluntarius in beatis hominibus, nec resistentiam nec retardationem nec difficultatem habebit. Per quæcumque ergo corpora transitus eis erit liberrimus et immunis : per quæcum- D que, inquam, corpora non glorificata. Hinc corpora gloriosa poterunt simul esse in locis eisdem cum corporibus aliis : alioqui corpora glorificata ejicerent illa de locis suis, et hoc per violentiam quamdam; et ita retardaretur motus ipsorum, et difficultatem incurreret. Hinc corpora illa spiritualia appellantur, quoniam sicut spiritus intrat corpus suum et illud informat, vivificat, implet sine ipsius læsione; sic corpora glorificata subintrabunt corpora non glorificata, sine ipsorum læsione

et sectione : quod multi crediderunt de ferro ignito et carbone ardente, itemque de pane prorsus madefacto in vino. — De his doctor iste scribit diffuse, de quibus pertranseo, quoniam sententialiter sunt præhabita, et quædam infra addentur. Verumtamen in omnibus his magis consentio Thomæ in hoc, quod ex dote subtilitatis non conveniet gloriosis corporibus alia penetrare, ac simul cum illis in eisdem consistere locis, sed divino miraculo speciali, et supernaturali virtute divina.

QUÆSTIO VI

Restat de dote agilitatis inquirere, **Utrum glorificati in corpore et anima, per agilitatem suam in instanti movebuntur et exsequentur per corpus quod voluerit anima præceperitque voluntas, an potius sine fine quiescent sicut cœlestia corpora.**

Videtur quod non movebuntur in instanti, quia de ratione motus, sicut et temporis, est successio : et si in instanti moverentur, sequerentur absurda, quæ infert Philosophus contra opinionem dicentium aliquid posse in instanti moveri. — Præterea, secundum Philosophum, motus est actus imperfecti, et tendit ad aliquid obtinendum, et ita est indigentiæ signum. Corpora autem Beatorum erunt in summo perfecta et actuata, non igitur movebuntur.

In oppositum sunt auctoritates Scripturæ præallegatæ. p.276 D, 278 A.

Circa hæc loquitur Thomas : Corpus gloriosum erit omnino subjectum animæ glorificatæ, non solum ut in nullo resistat animæ voluntati, quia hoc fuit etiam in corpore Adæ ante peccatum ; sed etiam ut in eo sit aliqua perfectio effluens ab anima in ipsum, per quam habile reddatur ad hujuscemodi perfectionem, quæ agilitas appellatur. Anima vero conjungitur cor-

A pori non solum ut forma, sed item ut motor : hinc oportet corpus utroque modo esse summe subditum animæ. Unde sicut per dotem subtilitatis omnino subjicitur animæ ut est forma, ita per agilitatem ut est motor, obediens promptissime et efficacissime ipsi animæ in omni motu et actu exercendo per ipsum. Idcirco quod in Glossa ad Thessalonicenses dicitur, quod angelis bajulis deferentur corpora glorificata obviam Christo, non est dictum ad designandum indigentiam, sed reverenti- Cf. p.277 C. I Thess. IV, 17.
B am quam sancti angeli gloriosis exhibebunt corporibus.

Denique hac agilitate Sancti interdum utentur; imo necesse est ponere, quod corpora gloriosa aliquando movebuntur, sicut et corpus Christi post resurrectionem frequenter est motum, et in Ascensione. Sancti quoque in suis corporibus, facto judicio, ascendent usque in cœlum empyreum. Est etiam verisimile quod in cœlo empyreo aliquando movebuntur pro suæ libito voluntatis, quatenus dono Dei utentes, et
C quod habent in potestate actualiter exercentes, sapientiam et omnipotentiam Dei in se ipsis commendabilem pandant, atque ut visus eorum reficiatur pulchritudine diversarum creaturarum : sensus namque non potest esse nisi præsentium, quamvis oculus glorificatus a remotioribus videat quam non glorificatus. Nec per hoc unquam a divini vultus impedientur intuitu. — Nec istud est indigentiæ absolute. Dicitur enim quis aliquo indigere dupliciter, puta : simpliciter et secundum quid. Sim-
D pliciter quis indiget eo sine quo non potest esse seu conservari, vel principalem suam perfectionem habere : et talis indigentia non inest beatis corporibus. Secundum quid vero dicitur quis indigere illo sine quo non potest ita bene in omnibus esse : et talem indigentiam esse in glorificatis corporibus, non est alienum, sicut etiam indigent visum dirigere ad videnda. Nihilo minus unicuique corpori glorioso deputabitur congruus locus juxta exigentiam suæ dignitatis ac meriti; et quamvis ad horam

inde recedat, nil detrimenti incurrit. Nec locus ille pertinet ad præmium accidentale secundum quod actualiter continet ipsum corpus, quum nihil influat corpori tali, imo potius ab ipso sortiatur splendorem; sed secundum quod debetur meritis.

Præterea de hoc, an corpora glorificata movebuntur in instanti, est opinio multiplex. Una, quod transibunt de loco in locum, non pertranseundo medium, sicut voluntas transfertur de uno extremo in aliud, non eundo per medium : sic quod corpus gloriosum instantanee movetur. Sed hoc esse non valet, quoniam corpus gloriosum ad spiritualis naturæ nobilitatem non potest pertingere; voluntas quoque non transfertur essentialiter de uno in aliud. Hinc alii dicunt, quod corpus gloriosum ex sua natura habet, in quantum corpus, quod pertranseat medium; sed ex virtute gloriæ suæ habet quamdam infinitatem supra naturalem virtutem, unde possit medium non pertransire, sicque in instanti moveri. Verum nec hoc dici potest, quoniam implicat contradictionem, corpus quodcumque in instanti moveri, quod in Scripto super primum satis ostensum est. (*Cf.* t. XX, p. 464 C et s.) Hinc impossibile est quod corpus gloriosum perveniat de loco ad locum nisi omnia media pertranseundo. Et alii hoc concedunt; nihilo minus dicunt, quod movetur in instanti. Sed ex hoc sequitur, quod in eodem instanti sit in locis duobus aut pluribus. Ad quod respondent, quod quamvis sit idem nunc secundum rem, tamen differt ratione. Quod non sufficit, quoniam instans mensurat secundum id quod est in re, non secundum quod est in consideratione. Hinc alii probabilius dicunt, quod corpus gloriosum movetur quidem in tempore, sed imperceptibili propter brevitatem. Atque ob nimiam illius temporis brevitatem, aliqui dicunt, quod movetur in instanti. Et Augustinus testatur, quod ubicumque voluerit spiritus, mox aderit corpus. Imo ordinatissima Beatorum voluntas nunquam aliquid impossibile, in-A decens aut inconveniens volet. — Hæc Thomas in Scripto, de quibus multa pertranseo, quia præhabita sunt. Prolixe quoque declarat hic, qualiter verum sit quod quarto Physicorum ait Philosophus : quia si fieret motus in vacuo, oporteret aliquid moveri in instanti. Addit etiam, quod corpora gloriosiora, in quibus magis abundat agilitas, movebuntur celerius aliis.

Insuper Petrus : Nunc, inquit, in corpore humano duplex est motor, videlicet : natura elementi prædominantis, quæ mo-B vet ad determinatam differentiam loci; atque voluntas animæ, quæ ad omnem loci differentiam movet indifferenter. Et in præsenti, natura non est penitus subdita voluntati : ideo non movetur corpus sine fatigatione, ad imperium spiritus. In futuro autem natura erit voluntati omnino subjecta : ideo tunc non movebitur corpus nisi ad imperium spiritus. Unde corpora sunt nunc tarda, ex contraria inclinatione naturæ ad voluntatem; tunc vero erunt agilia, ex perfecta subjectione naturæ sub C voluntatis imperio. — Hæc Petrus. In ceteris sicut Thomas.

Porro Richardus : Beatorum (inquit) corpora erunt agilia, quia ut ait Apostolus : Surget corpus spirituale. (I *Cor.* xv, 44.) Tarditas autem spiritualitati repugnat. Ad agilitatem autem motus tria concurrunt, quæ sunt : fortitudo virtutis motivæ, habilitas mobilis ad motum, et horum duorum perfecta conjunctio, quæ requiritur inter mobile et motorem. Primum erit Beatis per gloriam animæ; secundum in corpore per dotem D agilitatis; tertium ex horum in eadem persona conjunctione. Hæc Richardus.

Circa hæc scribit Albertus : Dos agilitatis est libera possessio et habilitas omnium membrorum similium et officialium ad omnem actum animæ exsequendum. Movebuntur Sancti in corporibus gloriosis quandocumque et quocumque et quomodocumque voluerint, absque omni indigentia. Est etenim motus duplex quantum ad finem motionis : unus propter indigentiam sublevandam; alter ad motivam po-

tentiam demonstrandam : sicut cursores currunt frequenter ut ostendant habilitatem et agilitatem suam ad currendum, absque indigentia alia. Sicque movebuntur Sancti, ut laudetur Dei sapientia in tanta agilitate et velocitate eis collata. Movebuntur autem in tempore imperceptibili. Hæc Albertus.

At vero Bonaventura : Motus (asserit) omnis est propter alicujus rei carentiam. Carentia autem potest esse aut rei quæ inhæret aut rei quæ adsistit. Si rei quæ inhæret, ut proprietas absoluta, hæc imperfectionem ostendit in mobili, et consimiliter motus ad illam. Alia est carentia rei quæ adsistit : et tunc illa aut est nata adsistere per naturam, et tunc indiget ea; talisque motus, quamvis sit rei perfectæ, attestatur tamen alicui imperfectioni, ut quum lapis movetur deorsum. Aut res illa non est nata per naturam adsistere magis quam alia, sed per voluntatem, quoniam circa rem illam aut locum vult aliquid operari; et talis motus non ponit imperfectionem, sed libertatem : et talis motus potest esse in corpore glorioso. Hæc Bonaventura.

Concordat Argentinensis, qui etiam protestatur dotes corporum effective esse a Deo, quamvis dicantur esse ab anima per modum meritoriæ causæ. Sic quippe ait de dote subtilitatis : Pro tanto subtilitas ista dicitur corpori convenire per animam, quoniam quamvis a Deo sit effective, tamen virtus divina eam non efficit nisi concurrente ipsius animæ placita voluntate. Ad argumentum quoque quo arguitur, duo corpora non posse pariter esse in loco eodem, quoniam pari ratione possent decem, imo innumerabilia corpora esse simul in eodem loco; respondet hoc sequi, nec omnipotentiæ Dei id impossibile esse, qui potest efficere quod dimensiones unius corporis non resistant dimensionibus alterius, neque quantumlibet aliorum.

Præterea Scotus hic loquitur qualis sit dos agilitatis, et qualis qualitas : Dicitur

A communiter, quod est quædam facilitas qua movebitur corpus ad locum, seu illud quod facit proportionem motoris ad mobile, auferens gravitatem : quæ nisi auferretur, corpus gloriosum violenter quietaretur extra centrum et fatigaretur. Sed hoc non credo, quia non video quod maneat corpus humanum, et non sit grave. Non enim erit sicut sol et luna sine gravitate, quia sic non esset hominis corpus; imo oportet quod terra dominetur in eo. Hinc dico, quod agilitas nihil aliud est nisi

B intensio virtutis motivæ ex parte animæ, cum amotione duplicis impedimenti ex parte corporis, etc. — Hæc Scotus, qui hanc suam singularitatem prolixe prosequitur. Et patet ex introductis ineptitudo ejus. Nempe si corpus resurgens erit spirituale, grossitie et corpulentia ponderositateque carens, quomodo difficile est videre quod careat gravitate, et prædominetur in eo aliqua ignis aerisque proprietas? Nec mirum quod Scotus iste ita imaginetur, qui (ut dictum est super se-

[*Cf.* p. 288 B' et s., 291 C' et s.]

C cundum) opinatur corpus hominis non esse mixtum ex quatuor elementis, sed ex terra sola formatum concurrentibus aliorum qualitatibus elementorum.

[*Cf.* t. XXII, p. 192 C, 118 B et s.]

Insuper de agilitate, motu et gestibus corporum Beatorum, scribit in libro de Universo Guillelmus : Utrum corporibus glorificatis sit futura mobilitas seu agilitas quam in eis ponit doctrina Christianorum, facile est determinare ex dictis de subtilitate seu spiritualitate ipsorum, per quam sine resistentia, difficultate et retardatio-

D ne, liberum transitum per alia corpora obtinebunt : quemadmodum si motus fieri posset per inane seu vacuum, sicut Aristoteli visum est, esset motus sine mora et tempore, utpote subitus, nullo penitus resistente. Totum namque quod motus requireret, apud mobile esset. Potentia vero quæ totum habet apud se quod actus ejus requirit, non debet moram habere in exitu suo ad actum. Ubi vero resistentia est contra potentiam, mora et retardatio locum habent. Amplius, quoniam virtutes gloriæ

virtutibus naturæ incomparabiliter nobiliores ac fortiores consistunt, necesse est ut in operationibus suis operationumque modis præcellant eisdem super omnem comparationem atque mensuram : quare necesse est ut motus ad motus se pariformiter habeant. Quumque nullus motus continuus ad alium continuum sit incomparabilis in velocitate, necesse est alterum istorum duorum motuum non esse continuum : quare oportet eum esse in non tempore. Adhuc autem, imperium et obedientia æqualia erunt in patria, et imperativum et ministrativum, in comparationibus suis : quare quam imperativa erit anima, et quam potens imperare corpori suo in gloriæ statu, tam obediens et ministrativum erit corpus ipsius, et tam potens ministrare et exsequi. Ergo quam magnum et velocem motum poterit anima imperare, tam magnum et velocem poterit exsequi ejus corpus : quare motum non in tempore, id est instantaneum, poterit animà imperare, et poterit eum exsequi corpus. Denique, quantumcumque velocem motum animæ imperarent corporibus suis in statu illo, et quantumcumque veloci motu animæ corpora sua moverent, dummodo motus illi essent in tempore, non essent motus illi motus gloriæ : quum vel æquales, vel saltem comparabiles inveniantur motus naturales, vel ad minus, qui non sunt motus gloriæ, qualis est motus primi mobilis, cujus motus seu transitus in ictu oculi est plus quam mille millia milliariorum. Quod monstratur ex magnitudine cœli illius : motus namque ipsius in spatio viginti quatuor horarum æqualium, est iter sexaginta millium fere annorum, ita ut annus sit trecentorum sexaginta dierum; iter vero diei, milliaria quadraginta. Ita, inquam, est juxta probationes et declarationes cujusdam in libro suo de Profunditatibus cœlorum. *Cf.* t. XXII, p. 56 A'.

Redeo nunc ad investigandum de motu, an futurus sit in statu illo. Dicam ergo in primis, quia si motus ibi erit, necesse est ibi futurum esse et tempus, quod ibi non

A esse futurum probavi : quo remoto, sequitur remotio omnis motus et mutationis. Sed si motus ibi non erit, videtur quod homines glorificati erunt immobiles : quod videtur esse non levis miseria. Denique sana erunt membra, et incomparabiliter fortiora quam nunc sunt : quis ergo ea prohibebit moveri ? Ad hoc respondeo, quod si dicatur ibi motum non esse, non hoc erit ex infirmitate debilitateve corporum, sed ex dispositione status illius, qui æternitati erit simillimus : unde B non permittet ibi esse prius aut posterius. Et ad hoc probandum confert perfectio status illius, a quo omnis indigentia removetur; motus autem omnis animalium ex indigentia est. Si autem dicatur, quod quidam sunt motus jucunditatis, sicut nonnullæ deambulationes, venationes, exercitationes; dico quod sermo iste est sermo hominis inexercitati in naturalibus, et non intelligentis se ipsum. Indigentia namque et carentia voluptatis atque solatii, sunt vere indigentia et exsultationis carentia. C — Hæc Guillelmus.

Qui hanc disputationem prolixe satis subtiliterque prosequitur : in qua probare conatur, quod motus corporum Beatorum instantaneus erit, non temporalis. Verum ad motiva ejus patet ex præinductis solutio : quia nec corpora quæcumque susceptiva sunt hujusmodi motus, et de ratione motus corporalis exsistit successio; nec ordinatissimæ ac sapientissimæ mentes unquam imperant suis corporibus motus hujusmodi. Quale autem tempus D erit in patria post diem judicii, patuit super secundum. Deinde in præhabitis verbis persuadere conatur, quod Sancti in anima et corpore glorificati, immoti jugiter in suis locis manebunt; sed de hoc præinducta opinio alia credibilior rationabiliorque videtur. Verum de his infra diffusius ex eodem doctore loqui intendo. Etenim jam inductis subjungit : Habet autem quæstionem de choris seu choreis et gesticulationibus, an in statu gloriæ sint futuri, etc.

p. 296 A' et s.
dist. II, q. 2.
Cf. p. 295 B'.

QUÆSTIO VII

ADhuc circa hæc quæritur, **Utrum corpora electorum erunt clara ac splendida claritate perceptibili oculis viatorum.**

Videtur quod non, quia in eis prædominabitur terra, quæ est opaca. — Probatur quoque, quod habebunt claritatem sensibilem oculo viatoris. Nam Christus post suam resurrectionem visibiliter apparuit suis discipulis. Et possent hic multa argumenta formari, quorum solutio ex responsione patebit.

Specialiter vero restat elucidandum, an corpora gloriosa erunt clara ut vitrum, an ut aurum, hoc est, an erunt pervia atque perspicua, vel solum forinsecus luminosa, visu non penetrabilia.

Ad hæc Thomas respondet : Propter auctoritatem Scripturæ oportet fateri lucida fore. Cujus luciditatis causam quidam adscribunt quintæ essentiæ, quam dicunt prædominaturam in illis : quod improbatum est sæpe. Ideo melius dicitur, quod claritas illa causabitur ex redundantia gloriæ animæ in corpus. Quod enim in alio recipitur, in eo recipitur non secundum modum influentis, sed recipientis : sicque claritas quæ est in anima ut spiritualis, recipitur in corpore ut corporalis. Hinc secundum quod anima erit claritatis majoris juxta merita sua, sic erit diversitas claritatis in Sanctorum corporibus, sicut ait Apostolus : Alia claritas solis, alia lunæ. Et ita in corpore glorioso relucebit et agnoscetur claritas animæ, sicut in vitro cognoscitur color vini in ipso contenti, ut ait Gregorius super illud Job : Non adæquabitur ei aurum vel vitrum. Ideo corpus gloriosum non occultabit quod retro ipsum est, sicut nec vitrum. Unde Gregorius corpora gloriosa comparat auro ac vitro : auro, propter claritatem ; vitro, quoniam translucebunt ac pervia erunt. Nem-
A pe quod clarum non sit pervium, contingit ex hoc quod claritas corporis causatur ex densitate partium lucidarum ; densitas enim pervietati repugnat. Sed tunc causabitur claritas ex redundantia jam prætacta. Densitas autem corporis gloriosi pervietatem ab eo non tollet, sicut nec densitas vitri a vitro. Quidam tamen affirmant, quod vitro comparantur non propter hoc quod pervia erunt, sed ob similitudinem hanc, quod sicut illud quod in vitro clauditur, foris apparet, sic gloria animæ intus
B exuberans, apparebit in corpore. Sed primum est melius, quia per hoc magis salvatur dignitas corporis gloriosi ; magisque consonat dictis Gregorii.

Si præterea inquiratur, an corpora gloriosa erunt colorata ; dicendum, quod gloria non tollet corporis naturam, sed perficiet. Hinc color qui debetur corpori ex partium suarum natura, remanebit in eo, et superaddetur ei claritas ex gloria animæ : sicut videmus corpora colorata ex sua natura, splendore solis perfundi ac
C resplendere. — Sed circa hæc quæritur, an claritas corporis glorificati erit æqualis in omnibus membris ejus. Dicendum, quod sicut claritas gloriæ redundat ab anima in corpus secundum corporis modum, et aliter est in eo quam in anima, ita in quamlibet corporis partem redundabit secundum ipsarum partium modum et convenientiam : ideo inconveniens non est quod diversæ partes diversimode habeant claritatem, secundum quod ex sua natura diversimode dispositæ sunt ad eam.

D Amplius ad id, utrum claritas corporis gloriosi videri poterit ab oculo non glorioso, quidam dixerunt quod non naturaliter, sed solum miraculose. Quod dici non valet, nisi claritas illa æquivoce claritas appelletur : quoniam lux ex sua natura est visibilis, et nata est visum movere ; visus quoque secundum quod est, natus est lucem percipere. Nam lux ita se habet ad visum, sicut verum ad intellectum, et bonum ad affectum. Hinc si esset aliquis visus qui nequaquam posset lucem percipere,

Cf. p. 278 in fine, et t. XXII, p. 144 B, 148 B'.

I *Cor.* xv, 41.

Job xxviii, 17.

esset visus æquivoce, vel lux illa diceretur æquivoce lux. Quod in proposito dici non potest, quoniam sic per hoc quod corpora illa dicuntur futura lucida, nihil nobis notificaretur : sicut qui dicit canem esse in cœlo, nihil notificat ei qui non novit nisi canem qui animal est. Hinc dicendum, quod claritas corporis gloriosi ab oculo non glorificato naturaliter potest videri. Claritas gloriæ erit alterius generis quam claritas naturæ, quantum ad suam causam, verumtamen non quantum ad speciem : ideo utraque proportionata est visui ex sua natura, quamvis una sit intensior alia.

Sed objici potest. Primo, quoniam claritas corporis gloriosi erit major quam modo sit claritas solis, et claritas solis erit tunc major quam nunc, et multo major ea erit claritas corporis gloriosi, propter quod sol et totus mundus majorem accipiet claritatem ; sed oculus non gloriosus nequit inspicere solem in rota sua, propter excellentiam claritatis suæ : ergo multo minus poterit intueri claritatem corporis gloriosi. — Secundo, visibile oppositum visui, necesse est videri, nisi sit læsio aut defectus in oculo : sed discipuli Christum post resurrectionem videntes, claritatem sui corporis non viderunt.

Et respondendum ad primum, quod sicut corpus gloriosum non potest aliquid pati passione naturæ, sed solum animæ passione ; ita ex proprietate gloriæ non agit nisi animæ actione. Claritas autem intensa non offendit visum in quantum agit actione animæ, imo sic magis delectat ; offendit autem secundum quod agit actione naturæ, calefaciendo ac dissolvendo organum visus, et disgregando spiritus. Ideo claritas corporis gloriosi, quamvis excedat claritatem solis, tamen ex sua natura non lædit visum, sed demulcet : propter quod

Apoc. XXI, 11. claritas jaspidis vocatur in Apocalypsi. — Ad secundum, quod claritas corporis gloriosi provenit ex merito voluntatis : ideo voluntati subdetur, ut secundum ejus imperium videatur et non videatur. Sicque in potestate erit corporis gloriosi, suam

A claritatem ostendere vel celare : et hæc fuit Præpositivi opinio. Imo et quælibet actio corporis in potestate animæ erit, nec color corporis talis visum immutabit alterius, nisi ad voluntatis jussionem. — Hæc Thomas in Scripto.

Idem Petrus : Aliquid, inquiens, dicitur clarum dupliciter : primo, quoniam pervium, sicut vitrum ; secundo, quoniam splendidum, sicut stella. Corpora autem gloriosa erunt clara utroque modo, quia secundum Gregorium, claritate fulgent et

B puritate translucent. Duo sunt enim quæ nunc in corpore causant obscuritatem. Unum est materiæ impuritas, quæ corpulentia nuncupatur, dicente Gregorio : Uniuscujusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet. Aliud est luminis paucitas, quia non est in corpore humano nisi igneus splendor, per commixtionem terreni elementi confractus, et degenerans in colorem. Tunc vero tolletur densitas illa impura, et superaddetur incomparabilis claritas. Hæc Petrus.

C Circa hæc scribit Richardus : Dicunt aliqui, quod claritas corporis gloriosi causabitur a claritate beatitudinis animæ per ejus multiplicationem ; cujus claritatis similitudo recepta in corpore fiet corporalis, quia quod in aliquo recipitur, secundum modum recipientis in ipso suscipitur. Quibus objicitur, quod anima claritatem illam non potest creare (quod tamen ex illa opinione consequitur), quia de sua spirituali claritate non potest eam producere quasi de materia. Rursus, sicut spiritus

D fieri nequit corpus, sic nec spiritualis similitudo fieri potest forma corporalis, nec econtra, quamvis de potentia formæ corporalis educi possit similitudo spiritualis. Hinc dicendum videtur, quod claritas ista educetur de potentia corporis virtute beatitudinis animæ. — Hæc Richardus. De quo et supra in Scripto secundi aut primi narratum est, quemadmodum ausus non *Cf.* t. XXII, p. 44 B'. fuerit dicere quod sol seu ignis aut flamma candelæ realiter a se effundat ac producat lumen, splendorem seu calorem in

medio, ne compelleretur fateri quod crearet hujusmodi formas in aere, sed quod educat eas de potentia materiæ ipsius medii, quod improbatum est supra. tom. XXII, p. 44 D'. Istud vero potest facilius improbari : quia etsi in potentia materiæ contineretur forma luminis naturalis atque caloris, non tamen hujus tam supernaturalis claritatis ac luminis. Et quamvis Thomas, Albertus, Petrus, et alii quidam videntur sentire, quod claritas ista sit ab animæ claritate, non tamen expresse dicunt quod ipsa aut ceteræ corporis dotes sint effectivæ a beatitudine et gloria animæ. Unde ad salvandum verba eorum, sufficit dicere quod sint ab anima sicut a causa meritoria, atque a Deo effective per creationem : quod etiam Richardus hic tangit. Hinc claritas illa animæ et claritas corporis gloriosi, non sunt idem in numero nec speciei ejusdem, loquendo de specie specialissima.

Præterea ait Richardus : Quamvis concedamus, quod in corpore Christi major sit lux intensive quam in sole, ita quod fortius atque intensius luceat quam sol luceret, si esset æqualis quantitatis; aliqui tamen hoc nolunt de aliorum corporum gloriosorum concedere claritate, dicentes quod in verbis illis, Fulgebunt justi sicut sol, etc., *Matth.* XIII, 43. ly sicut, notat quamdam similitudinem, non æqualitatem, ita quod lux aliorum glorificatorum erit imitatio quædam claritatis solaris. Verum quum sol et omnia corporalia, etiam cœlestia, sint propter electos, probabilius videtur quod lux solis sit imitatio lucis seu claritatis quæ erit in beatis corporibus, ita quod quodlibet corpus gloriosum fortius intensiusque lucebit quam sol, si esset quantitatis æqualis.

Utrum vero claritas corporis gloriosi sit naturaliter visibilis ab oculo non glorificato, sunt duæ opiniones. Una ex Thoma jam recitata. *Cf.* p. 299 D'. Sed contra illam objicitur, quoniam vicesimo secundo de Civitate Dei asserit Augustinus, quod claritas in corpore Christi dum resurrexit, ab oculis di-

A scipulorum potius abscondita fuisse quam defuisse credenda est : non enim eam ferret humanus et infirmus adspectus, quando ille a suis ita deberet attendi, ut posset agnosci. In his verbis Augustinus videtur expresse velle, quod si Christus corporis sui claritatem non abscondisset discipulis, eam non potuissent intueri, nec Christum cognoscere. Imo si potuissent eam ferre, videtur quod eis eam ostendisset, sicut ostendit eis suam agilitatem in Ascensione, et subtilitatem in ingressione

B janus clausis. Claritas autem quam eis ostendit in Transfiguratione, fuit multo minor et longe inferior ista; nec fuit dos, sed aliqualis similitudo ipsius. Iterum non videtur esse ex natura lucis corporalis excellentis et intensæ, posse agere in visum mortalem actione animali sine naturali. *Cf.* p. 300 C. Hinc mihi videtur dicendum, quod lux corporis gloriosi in sua virtute ac plenitudine videri nequeat sine miraculo ab oculo non glorificato, nec oculus talis recipere posset radios illius absque sui ob-

C tusione. Sicut tamen videre possumus lucem solis in suo fonte, mediante aliqua nube, sic glorificatus posset suam lucem oculo viatoris aliquo modo contemperare et proportionabilem exhibere. — Hæc Richardus. Verum prior positio subtilior veriorque videtur, si rite perspiciatur.

Scripta quoque Alberti dictis ex Thoma concordant, et addit : Lumen illud corporea forma est, a qua corpora gloriosa erunt luminosa, et causabitur a merito voluntatis. — Quærit demum quanta erit lumino-

D sitas ista. Respondet : In veritate tenetur communiter, quod sol redibit ad lucem primorum septem dierum, quando plus luxit ante hominum transgressionem quam postea, et propter mundi innovationem septempliciter adhuc excedet, et luna stabit jugiter plena; tuncque homo impedimentum peccati non habens, adhuc septempliciter solem excedet in lumine. Quid tamen de hoc verum sit, puto neminem certitudinaliter scire, nisi cui fuerit desuper condonatum. Hæc Albertus.

Consonat Argentinensis : Corpora (dicens) electorum post resurrectionem erunt maximæ claritatis et lucidissimæ refulgentiæ, quoniam inter corporalia nihil naturaliter lucidius sole ; corpora autem electorum fulgebunt ut sol. (*Matth.* XIII, 43.) Circa quod loquitur quædam glossa : Justi fulgebunt non solum sicut sol nunc fulget, sed sicut tunc fulgebit, quando juxta Isaiæ oraculum, erit lux solis septempliciter, (*Is.* XXX, 26.) id est, septies major quam nunc est. Nam et Moysis facies ex consortio angeli sancti in Dei persona apparentis, tam vehementer resplenduit, quod filii Israel non valebant in eam intendere. (*Exod.* XXXIV, 30 ; II *Cor.* III, 13.) Quanto magis glorificati in patria, ex familiarissima conversatione et beatissima Dei fruitione ineffabiliter clarius resplendebunt in corpore ? — Nec claritas illa est penitus invisibilis oculo exteriori non glorificato, quoniam quidquid comprehenditur sub per se objecto alicujus potentiæ, in illud aliquo modo potest illa potentia. Sed omne lumen corporale comprehenditur sub per se objecto visivæ potentiæ nondum glorificatæ. Nam et damnati in die judicii videbunt claritatem glorificati corporis Christi, ut innuit Augustinus.

Verumtamen, contra fundamentum positionis hujus qua dictum est, animam glorificatam ita habere corpus suum sibi subjectum, ut ad ipsius animæ imperium corpus lumine suo visum immutet vel non immutet quorumlibet aliorum, est quidam doctor (videlicet Scotus) dicens, quod nulla qualitas activa quæ præcise est corporis, subest imperio animæ. Ideo quicumque Beatus oculo glorificato seu non glorificato approximatus, necessario quantum est ex parte ipsius, immutat oculum ipsum. Sed istud non videtur verum. Non enim videtur anima beata minoris esse potentiæ respectu corporis proprii, quam angelus respectu corporis alieni. Sed angelus tam bonus quam malus facere potest, quod aliquod corpus præsens exsistens oculis hominum in distantia debita, medio sufficienter illuminato, secundum nullam

A suam qualitatem moveat oculos illos. Quod in Genesi patet de angelis bonis, qui omnes contra se congregatos percusserunt cæcitate, (*Gen.* XIX, 11.) ita quod ostium domus Lot videre nequibant. Hoc etiam ope dæmonum aliqui magi fecisse leguntur. Ergo potissime anima beata, taliter habet suum corpus in potestate. — Hæc Argentinensis. Qui etiam contestatur, quod corpora Beatorum erunt per transparentiam clara instar crystalli purissimi, et intus lumine plena.

B Præterea Bonaventura : Universos, ait, oportet concedere, quod corpora Beatorum erunt luminosa ; sed aliqui dicunt, quod simul erunt luminosa ac pervia, secundum aliam et aliam rationem : pervia, propter subtilitatem ; luminosa, ratione claritatis et superadjuncti fulgoris. Sed ista positio non est conveniens : quia si pervia essent, visum non terminarent, nec haberent distinctionem in partibus, sicque oculi non possent discerni a naso. Sed nec luminis magnitudo ac copia patitur ea transparentia esse, ut patet in sole C atque candela, in quibus est aggregatio luminis. — Alii opinantur, quod erunt simul luminosa et colorata : colorata, per naturam quatuor elementorum et commixtionem elementarium qualitatum, ex quibus constat corpus humanum ; luminosa vero, ratione superadditi luminis. Nec hoc est inconveniens, ut dicunt, ut patet in noctiluca, quæ est corpus coloratum, ut in die patet, et lucens in nocte. Et hæc positio est convenientior. Homines enim D cognoscentur in patria, et habebunt distinctas humanas effigies ; adspectus quoque glorificatorum oculorum pertinget usque ad superficies aliorum corporum gloriosorum splendentium, quemadmodum ensis per multam tersionem non amittit colorem, sed ejus colori additur splendor. Itaque corpora gloriosa non erunt pervia. Nec harmonia delectabit visionem exteriorem, sed interiorem. Hæc Bonaventura.

Cujus pace et reverentia salvis, dicendum sicut ex præallegatis doctoribus est (p. 299 D, 300 A'.)

ostensum, quod corpora Beatorum verissime pervia erunt, multo plus quam quæcumque subtilissima ac purissima aqua, aut quodcumque mundissimum ac splendidissimum vitrum, crystallus aut gemma. Nihilo minus solida erunt, et exterioribus oculis visibilissima, nec distinctionem perdent membrorum : imo venustissime erunt figurata, et sua incorruptibiliter retinebunt lineamenta. Nec aliquis præallegatorum doctorum, dicentium quod pervia erunt, intendit quidquam his contrarium dicere. Et mirum quod venerabilis et devotus Doctor ille in hac re taliter scripserit. Nonne vitrum, crystallus et aliquæ gemmæ sunt pervia ? Nihilo minus solida, suarum figurarum tenacia, atque distincte visibilia sunt. Insuper istud est tam evidenter de mente sanctorum Patrum ac præcipuorum doctorum Ecclesiæ, Gregorii et Augustini, quod nemo verba eorum diligenter inspiciens, valeat inde ambigere. Nam et octavodecimo Moralium, ultra verba prætacta apertissime protestatur Gregorius : Ibi (videlicet in superna patria) patebit animis, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia. Itemque, Omnes Sancti in superna civitate tanta claritate fulgent, tanta perspicuitate translucent. Denique Augustinus vicesimo secundo de Civitate Dei : Omnia, inquit, membra et viscera incorruptibilis corporis proficient laudibus Dei. Omnes quippe harmoniæ corporalis numeri non latebunt intrinsecus et extrinsecus, hoc est, intus et extra conspicientur. Hoc idem scribit in quodam tractatu vir desuper mirifice illustratus, Joannes Ruysbroeck.

At vero Scotus scribit hic : Non video, inquiens, quomodo corpus humanum glorificatum sit perspicuum ; sed erit porosum, ita quod per poros erit visibile oculis, quia per poros illos poterit multiplicari species usque ad oculum Beati. — Videtur autem in quæstione hac fluctuare, dicendo, quod forte non erunt luminosa, et quod non patebit harmonia ipsius nisi mentalibus oculis : quod est directe contra B. Gre-

A gorium. Tangit et alium modum dicendi, et etiam opinionem jam ex Argentinensi p. 302 C. narratam et reprobatam. Itemque dicit quod lux et color non stant simul, quum tamen color sine lucis perfusione non queat videri.

Postremo de his tractat in libro de Universo Guillelmus, inquirendo scholastice, an corpora Beatorum erunt luminosa ac colorata, arguendo pro parte utraque, nil autem speciale determinando, nisi quod sentire videtur, quod lux et color,
B prout sunt in corporibus gloriosis (et in rebus non glorificatis) dicantur æquivoce, atque a nullo in hac vita possint videri : de quibus S. Thomas verius scripsisse videtur, sicut jam patuit. p. 299 D'.

Porro in alio capitulo ait Guillelmus de pulchritudine et fulgore hominum glorificatorum, quod ultra existimationem nostram augenda sit ex interna felicitate et gloria animarum eorum. Constat ex hoc quod apparet in hominibus in hac vita in vultu eorum, ex modico gaudio anima-
C rum. Vides namque quod oculi inde splendescunt, totaque facies gratiosiore colore perfunditur, dilatatur quoque, et quasi novo decore ac pulchritudine venustatur. Quumque proportionales sint causæ suis effectibus, sequitur quod juxta immensitatem felicitatis et gaudii regni cœlestis, perficientur ac refulgebunt venustas et decor in faciebus eorum.

Henricus demum quintodecimo Quodlibeto interrogat, utrum anima gloriosa re- q. 10. sumpto corpore possit aliquid videre sine
D sensu intermedio. Respondet quod non, loquendo de visione sensitiva, quæ fit per immutationem a sensibili sub ratione sensibili ; loquendo autem de visione extense accepta, prout etiam intelligere est quoddam videre, sic respondendum est affirmative. — Si autem quæratur, an anima separata, sine sensu corporeo possit sentire sensatione dolorosa ; respondet quod imo, quamvis non eodem modo quo in corpore. Et de hoc erit quæstio sequens.

QUÆSTIO VIII

DEinde ergo quærendum de damnatis, **Utrum corpora damnatorum erunt deformata, et ab igne infernali sine corruptione et morte perpetue affligenda; an etiam animæ ante corporum resumptionem possint ab igne et frigore cruciari.**

In hac quæstione multa tanguntur. Primum est, an cum deformitatibus suis resurgent.

Videtur quod imo, quoniam sicut electis augebitur omne bonum, omnis perfectio, omnis felicitas et ornatus, sic in reprobis augebuntur mala his bonis contraria, omnis videlicet deformitas, fœditas, turpitudo, calamitas. — In oppositum est illud Apostoli: Mortui resurgent incorrupti. Glossa: Mortui, id est iniqui, vel generaliter mortui omnes, incorrupti resurgent, id est absque ulla diminutione membrorum.

I *Cor.* xv, 52.

Deinde arguitur, quod non possint ab igne infernali calidissimo perpetue sine corruptione et morte torqueri, quoniam nullum violentum perpetuum; omnis quoque passio afflictiva abjicit ab eo quod est secundum naturam, et quo exsistit intensior, eo magis corrumpit. Ignis etiam est maxime consumptivus.

Nec videtur quod simplex et immaterialis seu incorporeus spiritus (ut est anima) possit ab igne corporeo aut aliis corporalibus rebus affligi, quum ab illis nequeat impressionem recipere, nec calefieri aut frigefieri, sicut nec dealbari.

Circa hæc scribit Guillelmus Parisiensis libro de Universo: Quemadmodum in malis hominibus præcesserunt duo genera demeritorum, videlicet corporalium ac spiritualium; sic requirit justitia Dei, ut eis reddantur duo genera tormentorum, utpote spirituales corporalesque pœnæ, quatenus effectus correspondeant suis causis, et retributiones meritis; nec hoc fieri potest,

A nisi corpora animabus reuniantur. Occurrit ergo circa hoc difficilis quæstio, qualiter in illis corporibus æternaliter puniendis simul inesse queant immortalitas ac passibilitas. Ad quod dico, quia jam alibi declaravi esse quamdam speciem ignis, qui nec dissolvit nec lædit, torquet tamen intolerabiliter animam in corpore exsistentem. — Sed quæri potest, utrum corpora damnatorum ex propria dispositione incorruptibilitatem indissolubilitatemque habeant, an ex protectione divinæ justitiæ,

B sicut fuit in corporibus primorum parentum ante transgressionem. Jam ante multipliciter patuit, multos fideles ac justos divina virtute servatos illæsos in medio ignium et flammarum; nec difficilius est Omnipotenti, conservare corpora reproborum in incendiis infernorum. Nec obstat quod ignis infernalis incomparabiliter æstuantior est et fortior ad agendum ac puniendum ignibus sæculi hujus, quia nec hoc difficultatem parit infinitæ potentiæ Creatoris. Denique animal nomine

C salamandra, et quarumdam plumæ avium in igne fortissimo apud nos servantur illæsæ, imo (ut fertur) purgantur ac meliorantur in eo: quanto magis potestati Creatoris perfacile est hoc illis conferre corporibus, id est non corrumpi nec consumi in eo? Hæc Guillelmus.

Qui in eodem volumine, alio scribit capitulo: Inter diversa ignium genera est quidam ignis qui aquam comburit, qui dicitur ignis Græcus, cujus novem sunt species, ut docet Aristoteles in tractatu

D speciali quem de igne illo et speciebus ipsius ac de compositionibus ejus composuit. Est etiam ignis quidam qui oleo exstinguitur, et frigida aqua accenditur, qui ignis calcis vocatur. Est item ignis seu lampas, qui nec vento nec pluvia potest exstingui, qualis fuit in Veneris templo; nec dubium quin in lampade illa ardebat atque lucebat asbestus lapis, qui semel accensus nunquam exstinguitur vento aut imbribus, et est lividi ferrugineique coloris. Insuper ignis est qui vulgo

nominatur aqua ardens, cujus confectio notissima est, et nihil consumit nisi se ipsum. Est enim liquor ex quatuor aut quinque rebus confectus : quo quum adsperguntur aut liniuntur capilli alicujus, non est alia lucerna necessaria ad mensam in qua sedet. Capilli namque ipsius ardere videntur, et instar faculæ illuminant, et tamen ipsi capilli manent illæsi. Ex his tam diversis ignibus credibile tibi fieri potest, quod ignis infernalis affligit, non tamen corrumpit nec deficit in se ipso.

Præterea, quoniam plurimi sciscitantur ac admirantur, qualiter igne corporeo torqueri possunt et affligi valent incorporeæ animæ; dico ad hoc, quod homines tales agnoscere nequeunt ea quæ jugiter vident et sentiunt. Nonne quotidie cernunt animas suas ac alienas a corporeis rebus delectari ac molestari? Quis enim non videat qualiter corporalia delectabilia desideriis suis animas inflammant, irretiunt et captivant, imo inquietant ac cruciant, ita ut aliqui præ desiderio et amore langueant ac moriantur ? Sic et tristabilia quædam eas contristant, dilaniant, et quasi absorbere cernuntur in tantum, quod talia etiam in superiorem animæ partem redundant ac imprimunt. Non ergo mirentur quod ignis aliquis corporalis animas possit torquere, tam exutas corporibus quam eis unitas, quum tanta mirabilia ignium audiant, et plura atque majora forsitan apud scriptores rerum mirabilium mundi ac historiographos legere possint. Denique si

Exod. III,2. ignis qui in rubo apparuit Moysi, materiam quam operuit non combussit, aut forsitan novus ignis ab Omnipotente creatus est tunc, qui hoc naturaliter potuit; quomodo non magis verisimile atque credibile est, quod propter exercendam tantam Dei justitiam, talis ignis creatus sit qui torquere valeat animas impiorum, et vindicare in eis injurias Altissimo irroga-

Gen. XIX,24. tas ? Amplius, si pluvia ignis et sulfuris creata fuit a justissimo Creatore propter vindicandam Dei pariter et naturæ injuriam contumeliamque in Sodomitas; quan-

A to magis ad ulciscendas universas supergloriosissimi Dei offensas credendum est esse creatum specialissimum ignem, qui in spiritus vitiosos agere et imprimere queat, et universa scelera ulciscatur? Quia nec Sodomitarum facinora quantumlibet multa et magna, comparari queunt universis sceleribus et peccatis eorum qui in extremo judicio in infernum sunt detrudendi. Insuper si ventri struthionis hanc Deus omnipotens contulit activitatem vehementiamque caloris, ut durum ac fri-

B gidissimum ferrum consumat et coquat in nutrimentum corporis sui; quid mirum si igni purgatorii et inferni impressit virtutem animas sic torquendi? Et si econtrario virtutem præstitit ventri struthionis ejusdem, ut a ferro ignito et igne tanto intra se consistente nihil ustionis aut læsionis alterius patiatur; quanto plus exsistit probabile quod Deus spiritus illos qui creaturis vilissimis potius adhæserunt ac servierunt quam superdignissimo Creatori, subdat vilibus creaturis in infernalibus

C purgatoriisque suppliciis? Nec incredibile quod corpora impiorum a tantis incendiis non comburantur, quum et plumæ avium et pelles salamandræ, quamvis videantur ab igne accensæ, nihil tamen combustionis patiuntur, sed lucent. — Hæc Guillelmus, qui de his alia multa effatur, quæ infra forsan tangentur. De his demum dictum dist. XX, q. 2. est partim distinctione in qua de pœnis purgatorii est tractatum.

Insuper Thomas de his loquens diffuse, primo respondet ad istud, utrum corpora

D damnatorum cum deformitatibus suis resurgent : In corpore humano deformitas potest esse dupliciter. Primo, ex defectu alicujus membri, sicut in mutilatis : et talis deformitas ac defectus in nullo resurgentium erit, quia (ut dictum est supra) *Cf.* t. XXIV, corpora resurgent in omnibus integra. Se- p. 208 C. cundo, ex indebita partium dispositione, etc. — De his Thomas scribit prolixe, sed quia in tractatu isto de resurrectione præ- dist. XLIV, habitum est, dimitto. q. 1.

Deinde respondens ad id, utrum corpora

damnatorum erunt corruptibilia : Quoniam, inquit, in motu oportet esse aliquod principium motus, dupliciter removetur motus seu mutatio a mobili. Primo, quia deest principium motus; secundo, quia principium hoc impeditur a productione sui effectus seu motus. Quumque corruptio sit quædam mutatio, dupliciter potest aliquid ex sua natura corruptibile, fieri incorruptibile. Primo, quia principium movens ad corruptionem, ab eo omnino aufertur : sicque corpora reproborum incorruptibilia erunt, quoniam motus cœli (qui est principium movens et alterans) tunc cessabit; propter quod nulla tunc qualitas erit sufficiens transmutare ea a sua naturali qualitate. Secundo, quia principium corruptionis impeditur : sicque corpus Adæ fuit incorruptibile, quia per gratiam innocentiæ reprimebantur in eo qualitates contrariæ a mutua impugnatione. — Si autem objiciatur, quod mors est maxima pœna, ergo non deerit condemnatis; dicendum, quod quamvis mors in se sit pœna gravissima, tamen in quantum est terminus miseriarum atque pœnarum, est calamitatum remedium. Hæc Thomas.

p. 285 A'. Cujus responsioni (ut tactum est ante) repugnat articulus Parisiensis quo dicitur : Dicere quod motu cœli cessante, ignis non incenderet stuppam sibi applicatam, error est. Verum ad hoc poterit responderi, quod articuli illi fuerunt post felicem transitum sancti Doctoris compositi, sub domino Stephano Parisiensi episcopo, ut patet (an. 1277.) ex dictis in Scripto super secundum, ex (tom. XXII, p. 93A', 362 B'.) Henrico et Richardo. Nihilo minus contra responsionem illam adhuc argui potest, quia cessante motu cœli, adhuc erit motus localis tam in corporibus electorum quam reproborum, sicut et ipse S. Thomas de corporibus gloriosis supra testatus est. (*Cf.* p. 295 B'.)

Ulterius ad quæstionem, utrum corpora damnatorum sint futura impassibilia, respondet idem sanctus Doctor : Dicendum, quod principalis causa quod corpora reproborum non consumuntur, est divina justitia; cui etiam servit naturalis dispo-

A sitio ex parte corporis patientis, et ex parte agentium. Quum enim recipere sit quoddam pati, secundum duplicem receptionem duplex est passio. Una secundum receptionem rei materialem, sicut ignis in combustibili : et hæc vocatur passio naturæ. Alia secundum receptionem rei spiritualem, sicut recipitur color in oculo secundum esse intentionale : et ista vocatur passio animæ. Quia ergo post resurrectionem, motu cœli cessante, non poterit corpus a sua naturali qualitate mutari, nul-

B lum corpus pati poterit passione naturali : unde quantum ad hunc modum passionis corpora damnatorum impassibilia erunt, sicut et incorruptibilia. Verum motu cœli cessante, adhuc manebit passio quæ est per modum animæ, quia et aer a sole illuminabitur, differentiasque colorum ad visum deferet; et hoc modo corpora damnatorum passibilia erunt. Et quia in tali passione sensus perficitur, ideo in corporibus damnatorum sensus pœnæ erit sine mutatione naturalis dispositionis. Hinc

C quod ait Philosophus, quod omnis passio magis facta, abjicit a substantia, intelligitur de passione qua patiens transmutatur a naturali dispositione.

Et si objiciatur, quod agens assimilat sibi passum, ergo suam similitudinem seu verum calorem imprimit illis corporibus; dicendum, quod imprimit eam illis spiritualiter, sicut albedo imprimit visui similitudinem suam secundum esse intentionale. — Quod vero de salamandra objicitur, solvitur : quia ut ait Philosophus libro

D de Proprietatibus elementorum, nullum animal in igne diu vivere potest. Galenus quoque in libro de Simplici medicina testatur, quod nullum corpus est quod tandem ab igne non consumatur, quamvis quædam corpora ad horam in igne sine læsione permaneant, ut patet de ebeno. Hinc nec salamandra posset in igne sine læsione finaliter perseverare. Nec ex his sequitur, quod corpora damnatorum ab igne non affliguntur : quia sensibile non solum natum est delectare sive affligere

sensum, agendo in ipsum actione naturæ, sed etiam agendo in ipsum actione spirituali. Quia dum sensibile est in debita proportione ad sentientem, delectat; econtrario autem, quando se habet in superabundantia aut defectu, affligit. Hinc et colores medii vocesque consonantes sunt delectabiles, inconsonantes vero offendunt auditum. — Hæc Thomas. De cujus verbis quid sentiam, inferius dicam, quum aliorum expressero mentem. Attamen Thomas in hac ipsa asserit quæstione : Si autem mors dicatur pœnalis propter corporalem quem sentiunt morientes dolorem, non est dubium quod multo majorem dolorem sustinebunt damnati continue : propter quod in morte perpetua esse dicuntur, juxta illud in Psalmo, Mors depascet eos.

Ps. XLVIII, 15.

QUÆSTIO IX

PRæterea quæritur, **An ignis inferni sit corporalis, et ejusdem speciei cum igne sæculi hujus, atque sub terra consistens.**

In hac etiam quæstione tria tanguntur. Primum est, an ignis infernalis sit corporalis seu materialis. Et apparet quod non. Primo, quoniam Damascenus quarto libro testatur, in fine : Tradetur diabolus et dæmones ejus ac homo impius, videlicet Antichristus, ac impii et peccatores, in ignem æternum, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus. — Augustinus quoque duodecimo super Genesim ad litteram : Spiritualem, inquit, arbitror locum ad quem anima defertur post mortem, non corporalem. Ergo et ignis ille est spiritualis. Ex quibus probatur, quod non sit ejusdem speciei cum igne apud nos materiali.

Ad hæc tria respondet Thomas per ordinem. De igne (inquiens) inferni multiplex fuit opinio. Nam quidam philosophi, ut Avicenna, resurrectionem non credentes, solam animam post mortem dixerunt puniri. Et quoniam inconveniens reputabant incorpoream animam a corporeo igne puniri, dixerunt ignem quo impii cruciabuntur, non esse corporeum; et quidquid in Scripturis de tormentis animarum per corporalia continetur, dixerunt metaphorice intelligendum, quemadmodum etiam beatitudo et gloria animarum Sanctorum per corporalia designatur. Et sicut dixerunt justarum animarum felicitatem consistere in consecutione sui ultimi finis, sic infelicium animarum miseriam esse tristitiam quam habebunt de hoc quod separabuntur a fine, cujus naturale desiderium habent. Sed quia in pœna damnatorum non solum erit pœna correspondens aversioni a Deo, sed etiam pœna damni, correspondens conversioni ad commutabile bonum; ideo non sufficit ponere prætactam spiritualem punitionem dumtaxat. Propter quod etiam Avicenna modum alium superaddit, dicendo quod animæ vitiosæ post mortem non per corpora sed per corporum similitudines affligentur, sicut in somno apparet homini quod per corporalia diversimode affligatur : quem punitionis modum videtur et Augustinus ponere duodecimo super Genesim ad litteram, ut manifeste patet ibidem. Sed hoc inconvenienter dictum videtur. Imaginatio quippe est potentia organica : ideo locum non habet in anima separata; nec visiones imaginariæ fieri queunt in ea sicut in anima somniantis. Hinc Avicenna, ut inconveniens istud evaderet, dixit quod animæ separatæ utuntur quasi pro organo aliqua cœlestis corporis parte, cui humanum corpus oportet esse conforme ad hoc quod perficiatur ab anima rationali, quæ est similis corporis cœlestis motoribus : sequens quodammodo in hoc opinionem antiquorum philosophorum, dicentium animas redire ad compares stellas. Sed hoc omnino absurdum est, secundum doctrinam Philosophi, quoniam anima utitur determinato organo corporali, sicut ars determinatis instrumentis.

Quidquid autem dicatur de igne animas separatas torquente, de igne tamen quo corpora reproborum cruciabuntur, fateri oportet quod ignis ille corporeus sit, quoniam corpori adaptari non valet nisi pœna corporea. Unde Gregorius quarto Dialogorum ex hoc probat ignem inferni esse corporeum, quoniam impii cum suis corporibus detrudentur in ipsum. Idem aperte fatetur Augustinus, ut in littera dicitur. (*Cf.* p. 264 F.) Unde rursus quarto Dialogorum protestatur Gregorius : Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo. Damascenus quoque non simpliciter negat ignem illum esse materialem, sed non sic esse materialem ut terrenus ignis est apud nos, quoniam aliter agit, et proprietatibus differt. Augustinus vero in loco præallegato loquitur opinative et inquisitive magis quam determinative. Denique, quoniam ignis infernalis agit ut instrumentum divinæ justitiæ, ideo plus affligit unum quam alium, secundum diversitatem et exigentiam demeritorum eorum : sicque actio ejus in affligendo damnatos, est secundum modificationem justitiæ Dei.

Insuper ignis eo quod sit maximæ activitatis, alia corpora pro materia habet : ideo invenitur tam in sua quam in aliena materia. Et in quacumque materia sit, semper est idem specie quantum ad naturam ignis pertinet; sed potest esse diversitas in specie quantum ad materias in quibus est : propter quod flamma et carbo differunt specie, similiter lignum ignitum et ferrum ignitum. Simili modo ignis inferni, quantum ad id quod habet de natura ignis, ejusdem est speciei cum igne qui apud nos est; sed an ignis ille sit in propria exsistens materia vel in aliena, id latet nos. Et secundum hoc, potest materialiter consideratus differre specifice ab igne isto; a quo tamen secundum quasdam differt proprietates, ut quod successione non indiget, nec lignis nutritur neque fomentis. — Si autem quæratur, an luceat; respondendum, quod lucere non convenit igni secundum quemlibet modum

A exsistendi, imo in propria materia exsistens non lucet, nec in propria sphæra, secundum philosophos; similiter nec in quadam aliena materia, ut dum est in materia opaca terrestri, ut in sulfure; et quando est in aliquo grosso fumo, ejus claritas obscuratur : conformiter potest esse de igne inferni.

Amplius, sicut in littera continetur, Augustinus ait : In qua parte mundi infernus sit, neminem arbitror scire, nisi cui Deus revelavit. (*Cf.* p. 264 F in fine.) Gregorius quoque de hoc interB rogatus, respondit se de hoc non audere aliquid definire : nam aliqui putaverunt eum esse in aliqua parte terræ, aliqui vero sub terra. Et hoc probabilius reputat, quum in Apocalypsi dicatur, Nemo poterat in cœlo neque in terra nec subtus terram aperire librum (*Apoc.* v, 3.) : intelligendo per exsistentes in cœlo, Beatos; per exsistentes in terra, homines; per exsistentes sub terra, exsistentes in inferno. Augustinus quoque ad hoc videtur tangere duas rationes, duodecimo super Genesim. Una est,
C quoniam carnalia et terrena magis quam Deum dilexerunt. Secunda, quia quod gravitas est in corporalibus, hoc tristitia in spiritibus; et quod est levitas in levibus, hoc lætitia in spiritibus ipsis. Unde sicut conveniens locus Beatorum est cœlum empyreum, ita infernus miserorum; et sicut graviora sunt inferius, leviora vero superius, sic miseri et damnati sub terra sunt in infimo atque tristissimo loco, Beati vero et Sancti, in loco jucundissimo et supremo. Denique quidam philosophi senserunt
D infernum esse sub orbe terrestri, attamen super superficiem terræ ex parte nobis opposita. Quod etiam videtur sensisse Isidorus, dicens, quod sol et luna stabunt in loco seu ordine quo creati sunt, ne impii in tormentis fruantur luce eorum : quæ ratio nulla esset, si infernus sub terra ponatur. Pythagoras vero dixit locum pœnarum esse in sphæra ignis, quam in medio totius orbis esse asseruit, ut dicitur secundo Cœli et mundi. His autem quæ in Scripturis dicuntur, plus convenit quod

sub terra esse dicatur. Ignis quoque erit A ibi vehementissimæ caliditatis, quoniam calor ejus erit undique congregatus. Nec est inconveniens dicere, quod intra viscera terræ tanta concavitas divina reservetur virtute, quod omnium reproborum possit recipere corpora. — Hæc Thomas.

QUÆSTIO X

Restat inquirere, **An anima separata possit corporali igne puniri.** B

Ad quod plenius intelligendum oportet scire, an vires sensitivæ et actus earum maneant in anima separata.

Ad quod respondet sanctus Doctor : Dicendum, quod circa hoc est multiplex opinio. Nam quidam putantes potentias animæ esse in anima sicut color est in subjecto, dixerunt, quod anima recedens a corpore, omnes potentias suas secum trahit : alioqui secundum naturales suas proprietates esset mutata. Sed istud non potest stare, C quum vires sensitivæ et earum actiones sint totius conjuncti, et animæ corporique communes. Hinc quidam distinguunt de potentiis animæ sensitivæ, dicentes, quod quædam sunt actus seu perfectiones organorum effluxæ ab anima in organa ipsa, et hæ cum corpore corrumpuntur; alias vocant originales harum quæ sunt in anima, quia per eas anima corpus sensificat ad videndum et audiendum, et has dicunt manere in anima separata. Sed nec hoc videtur, quoniam anima per suam essen- D tiam, non mediantibus aliis viribus, est origo virium præfatarum : sicut et quælibet forma ex hoc quod per essentiam suam informat materiam, est origo proprietatum quæ naturaliter compositum consequuntur. Et si anima per potentias intermedias esset origo potentiarum organicarum, pari ratione et illarum esset origo per alias, sicque iretur in infinitum. Hinc secundum alios, potentiæ sensitivæ non manent in anima nisi secundum quid, utpote ut in radice, sicut principiata manent in suis principiis : quia in anima separata manet efficacia influendi iterum eas, si corpori uniatur; nec efficacia ista est aliquid superadditum essentiæ. Et ista positio verior esse videtur.

Denique quidam dicunt duplices esse actus potentiarum sensitivarum, videlicet, exteriores, qui non manent, et interiores intrinsecos, quos anima per se ipsam exercet, quos dicunt manere. Hæc positio videtur descendere a positione Platonis, qui dixit animam corpori uniri tanquam substantiam perfectam in nullo a corpore dependentem, sicut motor conjungitur mobili : unde et eas dixit transcorporari. Et quia secundum ipsum, nil movet nisi motum, ne iretur in infinitum, dixit quod primum movens movet se ipsum, et quod anima movet se ipsam : et sic esset duplex animæ motus, unus quo a se ipsa movetur, alius quo corpus movetur ab ea ; sicque anima haberet actum quo primo videret in se secundum quod movet se ipsam, et secundo, in organo corporali secundum quod movet corpus. Hanc autem positionem reprobat Philosophus primo de Anima, probans quod anima non movet se ipsam, et quod nullo modo movetur secundum istas operationes, quæ sunt videre, sentire, etc., sed quod istæ sunt operationes totius conjuncti. Idcirco dicendum, quod non manent in anima separata, nisi forsan sicut in radice remota.

Sed his objici potest, quia in libro de Spiritu et anima loquitur Augustinus : Anima recedens a corpore, ex his (scilicet imaginatione, concupiscibilitate et irascibilitate) afficitur ad delectationem seu dolorem. Item duodecimo super Genesim ad litteram : Corpus, inquit, non sentit, sed anima per corpus; imo anima aliqua sentit non solum per corpus, sed etiam sine corpore, puta timorem. Rursus ait ibidem : Non video cur habeat anima similitudinem corporis sui, dum jacente corpore sine sensu, non tamen penitus mortuo, videt talia qualia multi ex illa subductione

vivis redditi, narraverunt: et non habeat, quando completa jam morte de corpore exierit. Amplius in concupiscibili et irascibili sunt gaudium et tristitia, amor et odium, timor et spes, quæ omnia manent in anima separata : ergo et vires illæ cum actibus suis. — Et respondendum, quod Augustinus, ut dicitur, illum librum non Alcherus. fecit, sed quidam monachus Cisterciensis ex dictis Augustini, addens quædam ex suo. Augustinus quoque in libro præallegato quasi per totum loquitur inquirendo, non determinando. Si tamen dicta illa debeant salvari, dici potest quod anima separata, ex imaginatione et aliis sensitivis potentiis afficitur : non quod affectio illa tunc sit actus virium sensitivarum, sed quia ex his quæ anima per sensitivas vires commisit in corpore, etiam in futuro afficietur, sive in bonum sive in malum; sic quod sensitivæ potentiæ non dicantur tunc affectiones illas elicere, sed in corpore elicuisse merita affectionum hujusmodi. Sic etiam anima dicitur sentire per corpus, quoniam toti composito ipsa est radicalis ratio sentiendi. Verum est etiam quod Augustinus ibi ac alibi sæpe loquitur juxta doctrinam et modum loquendi Platonicorum, qui ita senserunt. Nec tamen est simile de anima somniantis et anima separata, quoniam anima somniantis adhuc realiter est in corpore, et utitur organo imaginativæ. Insuper gaudium, tristitia, spes, timor, amor et odium, sumuntur interdum ut sunt passiones et affectiones partis sensitivæ, et ita non manent in anima separata; quandoque vero pro actibus partis intellectivæ, et sic manent in ea.

Nunc inquirendum, an anima separata possit pati ab igne corporeo. Et respondendum quod imo, quum Dominus dicat Matth. xxv. 41. ignem illum esse præparatum diabolo et angelis ejus, qui incorporei sunt sicut et anima. Sed qualiter hoc fieri possit, a diversis diversimode assignatur. Nam aliqui dicunt, quod hoc ipsum est animam pati ab igne, quod ipsum ignem videre. Unde

A quarto Dialogorum ait Gregorius : Ignem eo ipso patitur anima quo videt. Sed hoc non videtur sufficere, quoniam visum quodlibet, ex hoc quod videtur, perfectio est videntis : idcirco non potest cedere in pœnam ipsius, in quantum est visum; sed quandoque est punitivum, vel contristans per accidens, in quantum apprehenditur ut nocivum. — Alii ergo dixerunt, quod quamvis ignis corporeus animam non possit exurere, tamen anima apprehendit eum ut sibi nocivum, atque ex tali apprehen-

B sione afficitur timore et dolore; sicque impletur in eis quod fertur in Psalmo : Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor. Ps. xiii, 5. Unde Gregorius quarto Dialogorum : Quia cremari se conspicit anima, crematur. Sed nec hoc videtur sufficere, quia secundum hoc afflictio animæ ab igne non esset secundum veritatem, sed secundum apparentiam. Quamvis etenim possit esse vera passio tristitiæ vel doloris ex falsa imaginatione, ut dicit duodecimo super Genesim ad litteram Augustinus; tamen

C dici non potest quod secundum illam passionem patiatur quis a re, sed a similitudine rei. Rursus iste modus patiendi magis recedit a reali passione quam qui est per imaginariam visionem, quum ille dicatur esse per veras rerum imagines quas anima defert secum, iste vero per falsas conceptiones quas anima sibi fingit. Nec probabile quod dæmones et animæ subtilitate pollentes, putarent ignem illum sibi esse nocivum, si ab ipso nullatenus gravarentur. — Hinc alii dicunt animam realiter

D pati ab igne corporeo, quum quarto Dialogorum dicat Gregorius : Colligere possumus ex evangelicis dictis, quod anima non solum videndo, sed etiam experiendo incendium patiatur. Quod sic fieri dicunt, quia ignis considerari potest ut res talis naturaleque agens, et item ut instrumentum divinæ justitiæ. Et primo modo non habet ut agat in animam, sed modo secundo. Hoc namque requirit ordo divinæ justitiæ, ut anima quæ peccando se subdidit corporalibus rebus, subjiciatur eis in

pœnam. Instrumentum autem non solum A agit in virtute propriæ naturæ, sed etiam in virtute principalis agentis : sicque ignis ut instrumentum divinæ justitiæ ulciscentis, agere potest in spiritum, ut etiam dictum est de sacramentis qualiter agant in animam. (*Cf.* t. XXIV, p. 57 C' et s.) Verum nec istud videtur sufficere, quoniam omne instrumentale agens, in id circa quod instrumentaliter operatur, habet et propriam actionem sibi connaturalem : sicut aqua lavando corpus sanctificat animam, et serra secando lignum perducit ad formam domus. Sic ergo oportet igni B aliquam competere actionem in animam, ipsi igni connaturalem, ad hoc quod sit instrumentum divinæ justitiæ vindicantis peccata.

Idcirco dicendum, quod corpus in spiritum naturaliter agere nequit, nec ei aliquo modo obesse aut ipsum gravare, nisi secundum quod corpori aliquo modo unitur, secundum quod corpus corruptibile aggravat animam (*Sap.* IX, 15). Spiritus autem hominis unitur corpori dupliciter. Primo, ut forma; nec ita unitur igni. Secundo, sicut C movens mobili, seu locatum loco, prout spiritus creatus est in loco definitive. (*Cf.* t. XX, p. 450 C et s.) Quamvis autem res corporea, ex sua natura habeat quod incorporeum spiritum loco definiat, non tamen habet ex sua natura quod spiritum illum loco definitum detineat, ut ita illi loco sic alligetur, quod ad alia divertere nequeat, quum spiritus non sit ita in loco quod loco subdatur; sed hoc superadditur igni infernali, in quantum est instrumentum divinæ justitiæ. Et istud tangit Gregorius quarto Dialogorum, D ubi exponens quomodo anima experiendo supplicia patiatur, affirmat : Dum Veritas divitem peccatorem in inferno damnatum (*Luc.* XVI, 22) perhibet, quisnam sapiens animas reproborum teneri ignibus neget? Et hoc etiam Julianus dixit, ut Magister in textu allegat (*Cf.* p. 264 G.): Si viventis hominis incorporeus spiritus in corpore detinetur, cur non etiam post mortem igne corporeo teneatur? Augustinus quoque vicesimo primo de Civitate Dei fatetur, quod sicut anima in hominis conditione corpori jungitur ut det ei vitam, quamvis corpus sit materiale et anima spiritualis, atque ex illa conjunctione anima vehementem concipit amorem ad corpus ; sic alligatur igni ut ab illo accipiens pœnam, et ex illa conjunctione concipit horrorem. Oportet ergo omnes præfatos modos in unum colligere, ut videatur perfecte quomodo anima patiatur ab igne. Itaque ignis ex sua natura habet quod spiritus incorporeus ei possit uniri sicut locatum loco; sed in quantum est instrumentum divinæ justitiæ, habet ut ipsum detineat alligatum : et in hoc ignis ille est vere nocivus spiritui; et spiritus ignem ut sibi noxium videns, ab ipso torquetur ; et sic agit in spiritum non per modum influentis, sed detinentis, et est inter ea quidam spiritualis contactus.

Denique damnati nunquam sunt extra infernum, nisi ex dispensatione divina ad instructionem vel exercitium electorum. Et ubicumque fuerint extra infernum, tamen vident ignem illum eis præparatum in pœnam; et quum ista visio sit immediate affligens, ubicumque sunt, ab inferni igne affliguntur : sicut captivi extra carcerem exsistentes, a carcere quodammodo affliguntur, quando se vident carcere damnatos. Hinc sicut gloria electorum in nullo minuitur, nec quantum ad præmium essentiale nec quantum ad præmium accidentale, si aliquando extra cœlum empyreum sint; ita damnatorum pœna in nullo minuitur, dum aliquando extra infernum sunt. Propter quod Glossa super epistolam Jacobi : Diabolus ubicumque sit, sive sub (*Jacob.* III, 6.) aere, sive sub terra, secum fert suarum tormenta flammarum. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus continentur et consonant quæ de his scribit in Summa contra gentiles, libro quarto.

His per omnia consonant scripta Petri, et includuntur in eis, et addit : Dicunt aliqui, quod in inferno erit etiam materialis corruptio, non tamen simpliciter seu substantialis, sed secundum quid seu accidentalis, per transmutationem a frigore in

calorem, et econtrario ; non tamen erit via A ad corruptionem substantialem sicut modo, quia erit secundum ordinem justitiæ, quæ requirit perpetuam subsistentiam patientis. Alii dicunt, quod erit ibi tantum corruptio et passio immaterialis, quod vi-
p. 306 D. detur verius, etc., ut supra in Thoma.

Præterea de his duabus opinionibus bene scribit Richardus, declarando utramque : Dicunt (inquiens) quidam, quod corpora damnatorum ab igne infernali non calefient, et tamen eo cruciabuntur. Passivum enim dupliciter recipit formam agentis, B videlicet : materialiter, et immaterialiter
ibidem. seu intentionaliter, etc., ut supra. Et quamvis ille ignis non sit calefacturus corpora damnatorum, ut dicit una opinio, affligentur tamen valde ab eo. Nam sicut proportionata receptio objecti proportionati sensui sensum delectat, sic improportionata contristat. Ignis autem infernalis est objectum excellens super tactum corporum damnatorum ; receptio quoque similitudinis suæ in tactu, est improportionabiliter vincens tactum : ideo in corporibus eorum C erit vehementissimus dolor in tactu, sentiendo hoc modo excessivum calorem. — Sed contra hoc arguunt alii per hoc quod
Job xxiv, 19. dicitur in libro Job, Ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium. Iterum, juxta illam positionem, pœna ignis prius et principalius respiceret animam quam corpus ; Isidorus autem primo libro de Summo bono, afflictionem ignis principalius attribuit corpori, et pœnam vermis menti : quælibet tamen pœnarum in totum redundabit compositum. Amplius, secundum Da- D mascenum, impossibile est substantiam esse expertem naturali et propria operatione : ergo post cessationem motus cœlestis, adhuc ignis habebit naturalem operationem, nisi eam virtus divina vel indispositio recipientis impediat. Corpora autem impiorum quum sint mixta atque composita, erunt illius excessivi caloris susceptiva : ergo et calefient, ac immoderatissimo calore inæstimabiliter torquebuntur : sicut auditus vehementissimo et improportionatissimo sibi sono materialiter læditur, et non solum spiritualiter, sicut auditus affligitur dissonantia vocum.

Sed tunc quæstio oritur, utrum corpora damnatorum per illum ignem consumentur. Et respondendum quod non. Cujus rationem quidam assignant, quia non recipient formam seu calorem ignis illius nisi intentionaliter seu immaterialiter, animalique passione, non naturali. Sed ista re- *Cf.* p. 300 A'.
sponsio ac ratio falso aut improbabili innititur fundamento, sicut probatum est. *Cf.* p. 301 B'.
Denique, quamvis vera esset ratio illa, non tamen sufficeret ad ostendendum corpora illa ab illo igne non comburi : quia secundum Philosophum secundo de Anima, excellentiæ sensibilium corrumpunt sensus ; quumque ignis ille vehementissimi sit caloris, statim corrumperet sensum tactus, et vitam exstingueret. Hinc mihi videtur dicendum, quod ratio inconsumptibilitatis corporum illorum ab igne, partim est ex dispositione materiæ cui incorporatus est ignis ille, partim ex dispositione corporum illorum quam in resurrectione accipient, principaliter autem ex ordine divinæ justitiæ. Aliqua enim forma propter dispositionem extraneæ materiæ cui incorporatur, in sua actione diversificatur, sicut videmus ignem fulguris in diversis materiis valde difformiter ac mirabiliter operari : nam interdum aliqua calefacit et non comburit, quandoque facit utrumque, aliquando non lædit materiam mollem et resolvit duram. Ita et lumen solis in diversis valde diversimode agit. Sic dico possibile esse, ut propter dispositionem materiæ et aliquam cœlestem influentiam sibi incorporatam, ignis infernalis habeat actionem calefaciendi et affligendi, et non consumendi. Insuper idem potest contingere ex parte dispositionis quam corpora humana in resurrectione forsan accipient. Quod in libro de Civitate Dei Augustinus nititur declarare, narrans qualiter animalia quædam manent in igne illæsa, et in bullientibus calidissimis aquis aliqui vermes permanent vivi : unde con-

cludit, quod Deus sic potest corporibus A reproborum aliquam imprimere qualitatem, qualem et naturalibus multis, ut ab igne consumi non queant neque exstingui, sed sine fine affligi. Hoc ipsum (ut tactum est) requirit ordo divinæ justitiæ, ut nunquam illa corpora moriantur; nec calor naturalis consumet in eis humidum radicale.

Insuper si quæratur, qualiter animæ separatæ et incorporei dæmones valeant corporeo igne affligi; dicendum, quod quidam dixerunt spiritus separatos vitiosos non B puniri nisi per privationem boni desiderati, ex qua privatione tanquam malo præsente vehemens tristitia generatur in eis. Unde Algazel quinto Physicorum testatur : Anima quæ in carne carnalium fuit voluptatum amatrix, ex consuetudine dispositionem habet vehementem et fortiter sibi impressam, inclinantem ad illas; postea vero per mortem instrumento rei desideratæ amisso, remanet desiderium ejus et amor, et hic est ineffabilis cruciatus. — Hæc Richardus. Qui etiam de his recitat C varias opiniones ac improbat, sicut et Thomas, et sequitur positionem ipsius Thomæ, quod scilicet ignis infernalis affligit spiritus malos per hoc, quod ei sunt alli-
Cf. p. 311 C. gati modo præfato, et facit eos ita intentos suæ considerationi, quod ab aliorum consideratione quæ naturaliter considerare possunt, impediuntur; et horum utrumque convenit igni illi in quantum agit ut instrumentum divinæ justitiæ.

Amplius quærit Richardus, utrum damnati cruciabuntur perpetuo a tribus aliis D elementis, videlicet, terra, aqua et aere. Respondet quod imo, quemadmodum scri-
Sap. v, 21. ptum est, Pugnabit pro illo orbis terrarum
Ps. x, 7. contra insensatos; et in Psalmo, Ignis, sulfur et spiritus procellarum, pars calicis eorum : ubi per sulfur intelligitur fœtida terra, atque per spiritum procellarum intelligitur aer procellosus, qui dicitur spiritus tempestatis. Et denuo scriptum est :
Sap. v, 23. Candescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Quumque in libro Sapientiæ scriptum sit, Per quæ quis peccat, *Sap.* xi, 17.
per hæc et punitur; ideo sicut iniqui per quatuor elementa peccaverunt, in quantum peccaverunt per corpora sua ex elementis composita, et ipsis elementis abusi sunt, sic per omnia quatuor elementa ineffabiliter affligentur. Nec solum his, sed ut aliqui protestantur, etiam cœlestium corporum influentia torquebuntur. Justum est enim, ut quia Creatori omnium ingrati ac rebelles fuerunt, ab omnibus creaturis crucientur, juxta illud libri Sapientiæ : Armabit creaturam ad ultionem inimico- *Ibid.* v, 18.
rum. Verumtamen, quoniam ignis et aqua ex sua natura magis sunt afflictiva quam terra et aer, ideo de eis magis fit mentio : imo quum ignis magis sit activus et afflictivus quam aqua, idcirco sub nomine ignis Dominus comprehendit omnem pœnam quam a rebus corporeis patientur, quum apud Matthæum ait : Ite, maledicti, *Matth.* xxv, 41.
etc. Sed quum detenti in purgatorio puniantur ut purgentur, et ignis naturam habeat purgativam, dicunt aliqui, quod in purgatorio exsistentes, nullo elemento nisi igne puniantur.

Præterea quæritur, an simul ab omnibus elementis affligantur. Ad hoc quidam respondent quod imo, quoniam sicut formæ elementorum immaterialiter receptæ in spirituali substantia, non sunt contrariæ, ita nec actiones earum. Similiter dicunt in sensu : simul quippe in visu est similitudo albedinis atque nigredinis, et actiones ipsarum; et ita dicunt esse in tactu. Verum hoc non complacet aliis. Nam quamvis similitudines contrariorum non sint in intellectu contrariæ, tamen non ita perfecte movetur intellectus a pluribus sicut ab una tantum; similitudines quoque contrariorum in eadem parte pupillæ receptæ, sese in actione sua impediunt, ut patet dum per vitrum rubeum conspicitur album : tunc enim videtur aliquid quasi ex utroque confusum. Et juxta hunc modum tran- *Job* xxiv, 19.
sient ab aquis nivium ad calorem nimium, sustinendo talia alternatim; tamen sine reductione ad medium, quia divina vir-

tute in instanti una pœna cessabit, et alia simul completa inerit, vel simul inerunt in diversis ejusdem corporis partibus et organis. De elementis vero in inferno dicendum, quod erunt ibi in quadam confusione, nec tamen unum remittet alterius virtutem et actionem, quoniam agunt ut instrumenta divinæ justitiæ in reprobos, non in se ipsa. — Hæc Richardus.

Qui etiam ad quæstionem de loco inferni respondet, sicut et Petrus : Infernus (inquiens) est sub terra, quia nonodecimo de Civitate Dei asserit Augustinus, Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Quumque Deus nihil inordinatum relinquat, ipse unicuique congruentem tribuit locum. Loca autem non sunt convenientia rebus, nisi congruant earum ponderibus. Pondus vero comparatur amori ; et sicut corpus fertur pondere, sic animus amore. Hinc sicut Deus tribuit corporibus locum secundum exigentiam suorum naturalium ponderum, sic intellectualibus et rationabilibus creaturis secundum merita suorum amorum. Ideo sicut electi et sancti sunt in cœlo empyreo, sic reprobi sunt in infimo et vilissimo loco, hoc est in medio terræ, quia carnalia et terrena potius quam divina et cœlestia dilexerunt. Unde super illud Jo-
Jonæ II, 4. næ, Projecisti me in profundum in corde maris, perhibet Glossa : Quemadmodum cor est in medio animalis, ita infernus in medio terræ. — Et si objiciatur, quod in centro terræ viget nobilior influentia cœli : ergo non decet ibi iniquos locari ; iterum, quum tantus sit numerus reproborum, quomodo poterunt omnia corpora sub terra includi ? Respondendum ad primum, quod simpliciter loquendo, nobilior influentia cœli est in circumferentia terræ et super terram, magis quam in centro et sub terra, per comparationem ad hominum habitationem ; attamen secundum quid, scilicet quoad generationem metallorum quorumdam, nobilior influentia cœli sub terra consistit. Hæc Richardus.

Concordat his Bonaventura, dicendo :
A Quamvis temerarium videatur determinare ubi sit infernus, et an ignis inferni sit corporalis et verus, quia præcipuus Doctor Ecclesiæ, libro de Civitate Dei hoc relinquit sub dubio ; tamen quoniam S. Gregorius, summus pastor Ecclesiæ, cui Gregorio Spiritus divinus multa revelavit, postea ista determinavit, et ex Scripturis probavit, debemus pro certo tenere, quod infernus sub terra sit, et ignis ejus corporeus. — An vero sit ejusdem speciei cum igne elementari et cum igne qui apud nos est,
B non constat pro certo. Probabiliter vero teneri potest, quod sit speciei ejusdem, nisi fortiora contra hoc inducantur argumenta quam hucusque inducta.

Insuper ait Bonaventura : Si quæratur de corporibus damnatorum an igne affligantur, simpliciter est concedendum ; si quæritur, an consumantur, simpliciter est negandum. Si quæratur, an corrumpantur, hoc est distinguendum. Corrumpuntur enim secundum quid, quantum ad esse accidentale, scilicet quoad bonam disposi-
C tionem ; non autem simpliciter, quantum ad esse substantiale. Nam ignis ille urit et non consumit, quoniam pabulum non requirit : cujus exemplum ponit Augustinus de montibus Siciliæ, quos ab antiquissimis diebus ignis ussit, et nusquam consumpsit. In Legenda etiam S. Nicolai narratur, quod in partibus orientis quidam ignis invenitur qui oppositam sibi manum vehementer affligit, et nihil de ea consumit.

Qualiter autem ignis sit afflictivus spirituum, attendendum. Itaque ad hoc quod
D generetur dolor in anima ab aliquo, duo concurrunt ex parte animæ patientis, puta : perceptio ex parte cognitionis, et detestatio ex parte affectionis. Similiter duo requiruntur ex parte agentis : unum est, quod immutet animæ perceptionem seu cognitionem ; aliud, quod violenter et inseparabiliter adhæreat contra repugnantiam voluntatis. Ex his quatuor, duo sunt secundum ordinem naturæ, et alia duo secundum ordinem divinæ justitiæ. Quod enim ignis immutet cognitionem animæ,

et anima percipiat calorem actionemque A ignis, est de naturali potentia utriusque. Nempe dum ignis agit in compositum ex anima et corpore, duplex ibi est passio : una naturalis, quæ est calefactio corporis ; alia animalis, quæ est immutatio sensus. Prima passio est vera ac naturalis, quoniam est ab igne ut vere agente ; secunda passio est ab anima se ipsam movente, et ab igne occasionem præbente, ut sexto Musicæ loquitur Augustinus. Quemadmodum ergo anima separata a corpore, corpus potest pati ab igne passione naturali, utpote cale- B fieri et comburi per naturalem potentiam utriusque ; sic spiritus etiam separatus potest pati passione animali, atque ab igne præsenti immutari naturali potentia ignis et animæ. Itaque duo sunt ibi per ordinem naturæ, et duo per ordinem divinæ justitiæ. Quod enim ignis animæ indissolubiliter alligetur, et anima in eo tanquam in carcere recludatur, divinæ est justitiæ. Quod iterum anima refugiat ignis calorem, qui ei per naturam nocere non po-
Ps. LII, 6. test, trepidetque timore ubi non est ti- C mor ; hoc divinæ justitiæ est, quæ facit trepidare peccatores, immittendo timorem et terrorem ejus rei qua secundum naturam superiores sunt animæ. — Hæc Bonaventura. Contra quæ Thomas, Richardus
p. 310 B', etc. et alii arguunt, sicut jam patuit.

Præterea scripta Alberti consonant dictis ex Thoma, præsertim qualiter corpora damnatorum patiantur ab igne inferni. Tamen de hoc loquitur satis modeste, sine reprehensibili assertione, dicendo : Quæ hic dicuntur de pœna damnatorum, cre- D denda sunt potius quam discutienda ; et rursus, Neminem puto scire veritatem quæstionis istius, videlicet qualiter corpora illa et animæ patiantur ab illo igne, nisi cui Deus revelavit. — Denique respondendo quæstioni, an ignis corporeus agat in spiritum, et utrum dæmones corporeo ardeant igne : Absque ulla, inquit, dubitatione corporeus ignis cruciat dæmones : quod fide teneo, quamvis intelligibile non sit plene. Ignis quoque inferni calidissimus est fortissima caliditate, cui caliditati nihil est comparabile. Naturali enim et maximo circumponitur frigore, et est in materia solida, et semper intra se colligitur, et habet caliditatem calcatam et congregatiorem quam ille qui est in materia rara. Quem ignem Deus conservat, prout Isaias testatur : Flatus Domini sicut tor- *Is.* XXX, 33.
rens sulfuris succendens eam. — Infernus etiam intra suas concavitates capax est omnium corporum damnatorum, quemadmodum scriptum est : Dilatavit infernus *Ibid.* V, 14.
animam suam absque ullo termino. Attamen bene credo quod constricta, compressa, et quasi commassata jacebunt corpora damnatorum in ipso.

Insuper Scotus scribit hic multa. Primo, qualiter animæ separatæ iniquæ ac dæmones pati et affligi queant ab igne : Dolor (inquiens) est passio consequens apprehensionem sensitivam, et in appetitu sensitivo consistit. Tristitia autem proprie est in voluntate, consequens apprehensionem intellectus alicujus voliti oppositi seu contrarii voluntati. Unde patet quod talis dolor non est in substantia spirituali separata, sicut nec appetitus sensitivus, nec sensitiva cognitio. — Circa quod dico, quod dolor etiam frequenter ac communiter ponitur in parte intellectiva et voluntate : ut quum contritionem dicimus, essentialiter, vere ac proprie esse dolorem de peccatis, ut patuit supra, tractatu de Pœnitentia. dist. XVII, q. 4.
Verumtamen de usu terminorum non est superflue contendendum. Deinde Scotus positionem suam prosequitur, et concordat dictis ex Thoma. Opinionem quoque ex Bonaventura inductam redarguit quantum ad hoc quod profert, quod timent ubi non est timor, et quod Deus est causa illius erroris ac falsæ apprehensionis in illis spiritibus.

Itaque Scotus ait, quod animæ separatæ ac dæmones alligantur ac detinentur igne inferni dupliciter : primo, quod nequeunt ad alia libere se movere ; secundo, quia in assidua consideratione ignis illius ita funguntur, quod alia libere intueri ac con-

siderare non valent. Et hæc duo sunt eo-
rum libertati naturalique dignitati ac agili-
tati contraria, ac eos contristant, potissime
in quantum a Deo eis infliguntur vindi-
cante eorum peccata, et eos sic reprimen-
te ac sibi subjiciente : quia quum odiant
Deum, molestissimum eis est ab ipso sic
coarctari. — Consequenter respondendo an
homines damnati post judicium crucia-
buntur igne infernali, ponit distinctionem
Cf. p. 306 A'. præhabitam duplicis actionis ac passionis,
videlicet, naturalis et animalis seu intenti-
onalis, et dicit, quod ignis inferni utram-
que actionem potest habere in damnatos
corpore suscitatos, quod probat sicut jam
Cf. p. 312 C. ante ex Richardo probatum est, atque mo-
tiva alterius opinionis introducta ex Tho-
ma, solvit idonee. In quibus consentio ei,
ut infra plenius dicam.

Denique his concordat Henricus duode-
q. 9. cimo Quodlibeto, ubi determinat, substan-
tiam incorporalem separatam non pati ab
igne per realem calefactionem per modum
nobis cognitum, quo scilicet in hac vita
corporalia patiuntur, alterantur et affligun-
tur ab igne; sed miro et ineffabili modo
nobis incomprehensibili in hac vita, pa-
tiuntur et affliguntur ab igne mediante
calore. Firmiter (inquit) credimus, quod
ab illo igne materiali patiatur spiritus,
mediante calore quo illam passionem pro-
ducit, quamvis modum agendi et virtutem
illius ignis ac qualitatem caloris ignore-
mus. — Amplius quærit, an corpus dam-
nati, in inferno possit esse simul summe
calidum ac summe frigidum. Respondet
quod non, quia contraria, quantum ad esse
intensum, præsertim quantum ad sum-
mum suum gradum, simul inesse non va-
lent quoad eamdem partem subjecti. Et
de hac quæstione se expedit, non prose-
quens evidenter an corpus tale realiter al-
teretur ac calefiat ab igne; sed quum fa-
teatur animam adhuc separatam vere ab
igne ac ejus calore affligi, quanto magis
intendit hoc de corpore tali asserere? —
q. 32. At vero octavo Quodlibeto interrogat, an
locus inferni sit centrum terræ. Ad quod
A respondet consonanter juxta præhabita, *Cf.* p. 314 B.
probabiliter dici posse, quod sit in cen-
tro, vel prope, quamvis de hoc non sit
aliquid incaute asserendum.

Verumtamen in hoc Quodlibeto octavo
plenius scribit Henricus, quomodo ignis q. 34.
corporalis veram valeat passionem impri-
mere in spiritum. Una (inquit) opinio di-
cit, quod anima separata quamvis non sit
corpus, gerit tamen similitudinem corpo-
ris in se, in qua vere possit pati, dicente
Augustino quarto de Origine animæ : Ne-
B que hoc me disserere putes (videlicet quod
anima non sit corpus) tanquam negem fie-
ri posse ut anima mortui, sicut et dormi-
entis, in similitudine corporis sui sentiat
sive bona sive mala. Quid si tale quid
apud inferos geritur, et in eis se non cor-
poribus sed corporum similitudinibus re-
cognoscunt? Dum enim tristia patimur,
quamvis in somnis, etsi illa sit similitudo
corporeorum membrorum, non membra
corporea, non est tamen pœnæ similitudo,
sed pœna. Sed hoc stare non potest, quo-
C niam similitudines corporum non sunt ni-
si in parte sensitiva imaginaria, secundum
quam anima patitur decepta in somno,
æstimando similitudines corporum corpo-
ra esse; anima autem separata vim imagi-
nativam non habet. Talisque passio ex de-
ceptione procedit; nunc vero quærimus
realem veramque passionem. — Hinc alii
dicunt, quod in anima est vis qua pati po-
test ab igne corporeo, et hoc naturaliter, in
quantum conjuncta est corpori, supernatu-
raliter vero quando est separata, ita quod
D eadem patitur post separationem quæ ante
in corpore. Quod etiam stare non potest,
quia in corpore pati non potest nisi secun-
dum vim sensitivam actu extensam per
corporeum organum. — Hinc alii dicunt,
quod patitur per vim sensitivam, in quan-
tum radicaliter ac virtualiter manet in
anima separata. Nec mirum, si per divi-
nam potentiam patitur separata, quod na-
turaliter pati potest conjuncta. Sed hoc de
angelo dici non potest. — Ob hoc alii di-
cunt, quod spiritus igne includitur seu al-

Cf. p. 311 C, 313 C, 315 D. ligatur, sicut jam dictum est. Verum juxta hoc non pateretur ab igne passionem inferente, nisi occasionaliter : imo ipse spiritus in se excitaret afflictionem occasione inclusionis, quemadmodum qui ad aliorum præsentiam turbaretur. — Idcirco alii dicunt, quod patitur ab igne non ut est res naturaliter afflictiva, sed ut est instrumentum divinæ justitiæ. Sed sic non potius pateretur ab igne in quantum est calidus, quam ab aere : imo posset aer in hoc esse instrumentum justitiæ Dei sicut et ignis, nec ignis diceretur affligere in eo quod calidus est : quod ab auctoritate Sanctorum discordat.

Ideo oportet dicere et fateri, quod ignis affligit spiritum in quantum calidus, imo eodem genere afflictionis quo affligeret corporis sensum. Sed quum non sit activum sine passivo sibi correspondente, non potest ignis sua naturali actione agere in spiritum affligendo, nisi spiritus possit pati ab illo veram passionem, qualem reciperet sensus ab igne, utpote tactus. Quo quum careant dæmones ac animæ separatæ, restat difficultas quomodo sic possint pati ab igne, quum actus activorum non sint nisi in patiente disposito. Ad quod videtur dicendum, quod Deus supernaturaliter imprimit vim quamdam naturæ dæmonis et animæ, vel utrique id naturaliter inest, quamvis nos lateat; et vim illam sic temperat, ut per eam sustineat pœnam suis culpis correspondentem. — Hæc Henricus. Cujus hoc ultimum dictum videtur obscurum, quia non exprimit quæ aut qualis sit vis illa supernaturalis, an scilicet sit materialis aut immaterialis, et qualiter faciat immaterialem substantiam corporalis alterationis, calefactionis et caloris capacem. Unde et Scotus his objicit, quod dæmon seu anima non magis est capax talium alterationum aut qualitatum, quam dealbationis sive albedinis, aut lapis sapientiæ.

Postremo dictis Henrici concordat Argentinensis quantum ad punitionem hominum iniquorum post resurrectionem, qua

A in anima et corpore punientur; quantum vero ad punitionem animarum separatarum ac dæmonum, consonat dictis Thomæ, et addit : Conjunctio seu alligatio ad ignem inferni, aliter se habet ad animas et dæmones qui nunc sunt in inferno, aliterque ad dæmones qui in isto sunt aere pro exercitio nostro. Exsistentes etenim in inferno, conjuncti sunt infernalibus flammis localiter atque mentaliter; qui vero in aere sunt aut nobiscum, conjunguntur flammis illis mentaliter, et non loco. Hæc

B Argentinensis. — De hac item materia dictum est super secundum. dist. VI, q. 3.

Postremo, inter opiniones præhabitas potissime displicet illa quæ dicit, corpora damnatorum non affligi igne infernali afflictione naturæ seu naturali, corporali, seu alteratione et calefactione reali, sed solum animali (prout animale dicitur ab anima) seu intentionali : et hoc propter multas rationes et auctoritates contra eam inductas, et quia apertissime est contra articulum Parisiis condemnatum, sicut pro-

C batum est, qui tamen post Thomam est p. 306 C. editus. Unde Henricus (qui condemnationi articuli illius interfuit) directe tenet contrarium illius erroris. Et si S. Thomas tunc vixisset in corpore aut postea, non contradixisset illi articulo; similiter nec Albertus. Verumtamen Scotus contradicit, et dicit quod excommunicatio se non extendit extra diœcesim. — Insuper positio illa non consonat divinis Scripturis, in quibus clare docetur, quod reprobi potissime post diem judicii, igne gehennæ

D torquentur, ardent, accenduntur, æstuant, calefiunt et inæstimabiliter affliguntur, ut dum defertur in Psalmo : Pones eos ut *Ps.* XX, 10. clibanum ignis in tempore vultus tui. Et rursus : Cadent super eos carbones, et in *Ps.* CXXXIX, 11. ignem dejicies eos. De quibus sacratissimus Joannes Baptista testatus est : Paleas *Matth.* III, 12. comburet igni inexstinguibili; et Isaias, Ignis eorum non exstinguetur; atque Apo- *Is.* LXVI, 24. stolus, Terribilis est exspectatio quædam *Hebr.* X, 27. judicii et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Judith quoque ait : Do- *Judith* XVI, 20, 21.

minus omnipotens dabit ignem et vermes A
in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum. Et in Ecclesiasti-
Eccli. vii, 19. co legitur : Vindicta carnis impii, ignis et vermis. Consimilia verba Scripturæ quamplurima possent induci. — Insuper, contra opinionem illam ineptam sunt plurimæ visiones et apparitiones fide dignæ, in quibus spiritus defunctorum apparuerunt atque viventibus retulerunt se esse in maximis pœnis, et materialis ignis ardore affligi, imo inflammationes, calores, incendia ignium mundanorum, quasi nul- B
lius esse comparationis respectu incendiorum, ardorum et inflammationum quibus incredibiliter torquerentur. Imo quod majus certiusque consistit, etiam multi a morte resuscitati, hoc ipsum sunt protestati, ut patet in Legenda S. Joannis apostoli, et de tribus mortuis quos legitur resuscitasse B. Hieronymus.

Ex quibus ostenditur, quod non solum corpora impiorum post finale judicium taliter cruciabuntur, sed item quod animæ interim sic affliguntur tam in inferno C
quam in purgatorio. Et nisi sic esset, pœna dæmonum, præsertim post judicium, esset multo minor quam pœna hominum reproborum, quum multo acerbius atque pœnalius sit igne puniri non spiritualiter seu intentionaliter tantum, sed spiritualiter simul ac corporaliter, et non tantum per alligationem, sed etiam per vehementissimam calefactionem. Quis non incomparabiliter mallet detineri in carcere, quam jacere et ardere in fornace ardenti ac calidissimo in medio carceris D
situato? — Denique pœna inferni est maxima pœna quæ esse potest aut est in rerum natura : quod verum non esset, nisi damnati realiter et corporaliter afficerentur ardoribus, frigoribus, consimilibusque inferni suppliciis. — Postremo fundamentum opinionis illius infirmum et frivolum comprobatur, videlicet, quod quia primum mobile est primum movens et alterans, et causa omnis motus ac alterationis in aliis, ideo ipso cessante, cessabit in aliis omnis motus et alteratio. Nam simili argumentatione concluderetur, quod nec in gloriosis corporibus futurus esset motus localis, nec dos agilitatis posset in eis in actum talem procedere; et quod ignis non posset stuppam sibi applicatam incendere, quod articulus prætactus condemnat. Dato ergo quod naturaliter loquendo, cessaret tunc alteratio, tamen per omnipotentiam Dei supernaturaliter aliter fieri potest et fiet. Imo quum totus ille status futuri sæculi tam in electis quam reprobis, atque in omnibus creaturis tunc mansuris, erit supernaturalis et alterius modi ac ordinis quam sit status rerum naturalis modo consistens; quid est hoc, ex cessatione motus cœlestis arguere, probare, concludere quod reprobi in inferno non alterabuntur ab igne ? Certe etsi hoc uno respectu videatur naturaliter sic esse debere, nihilo minus alio respectu esset innaturale et valde mirabile, videlicet, quod ignis tam calefactivus et æstuans, non calefaceret corpora grossa et mixta, in medio ejus jacentia, ex propria natura calefactibilia.

Sequens distinctio determinat de his quæ pertinent ad resurgentium remunerationem et punitionem. Et circa hoc tria facit Magister. Primo enim ostendit quomodo animæ, quam cito a corporibus separantur, habitaculis juxta sua merita vel demerita reddantur. Secundo, quomodo defunctis exsequiæ vivorum pro eis factæ suffragantur. Tertio inquirit, utrum Beati in patria pro nobis deprecentur. Primum facit usque ibi : De suffragiis defunctorum. Secundum, usque ibi : Sed forte quæris. Tertium, usque ad finem distinctionis. In speciali, sententia Magistri stat in tribus propositionibus, quarum prima est hæc : Quam cito animæ in morte suis a corporibus separantur, mox pro modo suorum meritorum diversis habitaculis reddentur. Hanc Magister ponens dicit, quod animæ defunctorum secundum sua merita diversis habitaculis reddentur usque ad diem judicii; post judicium vero earum pœna vel gloria augebitur : quod auctoritate B. Augustini probat. Unde infero, quod sicut facta resurrectione pœna malorum

augebitur, ita gloria seu Beatorum gaudium plus perficietur. — Secunda propositio est hæc : Illi de orationibus et eleemosynis Ecclesiæ illic hunc profectum recipiunt, qui hic talia ut eis proficerent meruerunt. Hanc Magister insinuans, dicit mortuos vivorum suffragiis juvari, si tamen hoc meruerunt dum viverent. Postea subdit, quod ista quæ hic pro defunctis frequentat Ecclesia, mediocriter malis suffragantur ad pœnæ mitigationem, et mediocriter bonis ad pœnæ solutionem. Et facta pro valde bonis qui suffragiis non indigent, sunt gratiarum actiones; et facta pro summe malis qui juvari non possunt, quamvis non sunt eis adjumenta, sunt tamen ad viventium consolationem : quod auctoritate B. Augustini confirmat. Postea dicit, quod pompæ quæ fiunt in obsequiis, sunt ad vivorum solatium, non ad mortuorum suffragium; laudabile tamen est circa mortuorum sepulturam curam impendere. Postea movet quæstionem de divite et paupere, quorum uterque quum sit mediocriter bonus, suffragiis indiget, et ambo pariter post mortem meruerunt juvari; et pro divite fiunt multa suffragia generalia et specialia, pro paupere vero tantum generalia : utrum juvetur pauper paucioribus suffragiis quantum dives amplioribus. Et videtur quod sic, quia uterque pariter meruit juvari, et æqualiter boni fuerunt. Contrarium autem videtur, quia alias nihil conferrent specialia suffragia diviti pro eo facta. Et respondet Magister, quod tantum valent pauperi sola generalia suffragia quantum diviti generalia et specialia suffragia; et tamen profuerunt specialia suffragia diviti non ad aliud vel majus aliquid, sed ad idem ad quod generalia : ut ex pluribus causis unum perciperetur emolumentum. Vel potest dici, illa plura suffragia diviti contulisse celeriorem absolutionem, et non pleniorem. Postea quærit de illo qui suffragiis indiget, et moritur in ipsa consummatione sæculi, quando ulterius suffragia impendi non poterunt, utrum talis salvabitur. Et respondet, quod talis per ignem tunc futurum et per orationes cœlestis Ecclesiæ salvabitur. — Tertia propositio est hæc : Angeli orationes nostras Deo offerunt, et ea quæ hic apud nos aguntur recognoscunt. Hanc Magister insinuans quærit, utrum Sancti preces nostras et vota sibi porrecta audiant et sciant. Et respondet, quod angeli et Sancti divinam faciem videntes, ea quæ apud nos geruntur cognoscunt quantum ad eorum gaudium pertinet et nostrum auxilium : unde et angeli dicuntur orationes nostras semper offerre Deo, non tanquam Deum instruentes, sed quid circa nos agendum sit, ad ejus veritatem ducentes : unde preces nostræ dicuntur exauditæ, quando cœlesti curiæ earum exauditio innotescit, seu earum eventus futurus manifestatur.

DISTINCTIO XLV

A. *De diversis animarum receptaculis post mortem.*

PRÆTEREA sciendum est, quod omnes animæ, ut ait Augustinus, quum de hoc sæculo exierint, diversas habent receptiones : bonæ habent gaudium, malæ vero tormenta. Sed quum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Ex his ostenditur, quod majus erit gaudium Sanctorum in resurrectione et post, quam fuerit ante; et quod diversa receptacula habebunt animæ Sanctorum. De quibus idem Augustinus ait : Tempus quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viveret.

Aug. in Joann. tract. 49, n. 10.

Id. Enchirid. c. 109.

B. *De suffragiis defunctorum.*

Neque negandum est, ut ait Augustinus, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, quum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ

Ibid. c. 110.

Hugo. de Sacram lib. II, p. XVI, c. 6. fiunt in Ecclesia. Sed hæc eis tantum prosunt qui quum viverent, hæc sibi ut postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus ut non requirat ista post mortem, nec tam malus ut ei non prosint ista quidquam *. Est vero talis in bono, ut ista non requirat; et est rursus talis in malo, ut nec his valeat, quum hæc vita transierit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quispiam gravari vel relevari. Nemo autem speret quod hic neglexit, quum obierit, apud Deum promereri. Non ergo ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicæ sunt adversa sen-
Rom. XIV, 10; II Cor. V, 10. tentiæ qua dictum est : Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, scilicet bona vel mala; quia etiam hoc meritum sibi quisque, quum in corpore viveret, comparavit, ut possint ei ista prodesse. Non enim omnibus prosunt; et quare non, nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore? Quum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcumque aliarum eleemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis sunt propitiationes; sed pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, tamen qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus vero prosunt, vel ad hoc prosunt ut sit plena remissio, vel
Aug. Sermo 172, n. 2. certe ut tolerabilior sit ipsa damnatio. Orationibus ergo sanctæ Ecclesiæ et sacrificio salutari, et eleemosynis quæ pro eorum spiritibus offeruntur, non est dubium mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum tota observat Ecclesia, ut pro eis qui in communione corporis et sanguinis Domini defuncti sunt, quum ad ipsum sacrificium loco suo commemorentur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Non est ergo ambigendum ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerunt ante
Galat. v, 6. mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine fide operante per dilectionem ejusque sacramentis de corpore exierunt, frustra illis a suis hujusmodi pietatis officia impenduntur, cujus dum hic essent, pignore caruerunt, non misericordiam sibi thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, quum pro eis aliquid boni operantur sui, sed eorum meritis præcedentibus consequentia ista redduntur. Nam istam quisque finiens vitam, nisi quod in ea meruerit, non poterit habere post eam. — Ecce quibus et qualiter prosunt illa quæ pro defunctis frequentat Ecclesia. Mediocriter malis suffragantur ad pœnæ mitigationem, mediocriter bonis ad plenam absolutionem, qui non habent tantæ perfectionis
Matth. v, 3. merita, ut non indigeant juvari per pauperes, quorum est regnum cœlorum, quos
Luc. XVI, 9. sibi fecerunt amicos de mammona iniquitatis : quorum tanta est perfectio, ut his adjutoriis non indigeant, quales sunt Apostoli et martyres. Ut enim ait Augustinus,
Aug. Sermo 159, n. 1. injuria est pro martyre orare in Ecclesia, cujus nos debemus orationibus commendari; pro aliis autem defunctis oratur.

* post mortem

C. *De officiis sepulturæ.*

De pompis vero exsequiarum idem Augustinus ita dicit : Pompa funeris, agmina exsequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutorium mortuorum. Quia si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis vel nulla. Præclaras exsequias in conspectu hominum purpurato illi diviti exhibuit turba famulorum, sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium exhibuit angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium. Sit tamen cura mortuos sepeliendi, et sepulcra construendi, quia hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt; nec solum in corporibus Patriarcharum aliorumque Sanctorum, sed etiam in ipsius Domini corpore qui ista fecerunt, laudati sunt. Impleant ergo homines erga suos officia postremi muneris, et sui humani lenimenta mœroris. Verum illa quæ adjuvant spiritus defunctorum, scilicet oblationes, orationes, multo observantius procurent.

Hugo, de Sacram. lib. II, p. XVI, c. 8. Aug. de Cura mort. n. 4. *Luc.* XVI, 22. Aug. Sermo 172, n. 3.

D. *De duobus æque bonis, quorum alter plura post mortem habet auxilia.*

Solet moveri quæstio de duobus, uno divite, altero paupere, pariter sed mediocriter bonis, qui prædictis suffragiis indigent, et meruerunt pariter post mortem juvari : pro altero vero, id est pro divite, speciales et communes fiunt orationes, multæque eleemosynarum largitiones; pro paupere vero non fiunt nisi communes largitiones et orationes. Quæritur ergo, an tantum juvetur pauper paucioribus subsidiis, quantum dives amplioribus. Si non pariter juvatur, non ei redditur secundum merita : meruit enim pariter juvari, quia pariter boni exstiterunt. Si vero tantum suffragii consequitur pauper quantum dives, quid contulerunt diviti illa specialiter pro eo facta? Sane dici potest, non ei magis valuisse generalia et specialia, quam pauperi sola generalia suffragia; et tamen profuerunt diviti specialia, non quidem ad aliud vel majus aliquid, sed ad idem ad quod generalia, ut ex pluribus et diversis causis unum perciperetur emolumentum. Potest tamen dici aliter, illa plura subsidia contulisse diviti celeriorem absolutionem, non pleniorem.

E. *Quibus suffragiis juvabuntur mediocriter boni qui in fine invenientur.*

Sed iterum quæritur de aliquo mediocriter bono, qui talibus indigens suffragiis, in ipso consummationis sæculi articulo cum reliquis migrabit, si salvus erit, quum pro eo non offertur ulterius sacrificium vel oratio vel eleemosyna, nec habebat tantæ perfectionis merita quæ his suffragiis non egerent. Numquid ergo salvabitur? Æstimo eum quasi per ignem transeuntem salvari meritis et intercessionibus cœ-

lestis Ecclesiæ, quæ pro fidelibus semper intercedit voto et merito, donec impleatur Christus.

F. *Quomodo Sancti glorificati audiunt preces supplicantium, et quomodo intercedunt pro nobis ad Dominum.*

Hugo, de Sacram. lib. II, p. XVI, c. 11. Ps. XXX, 21. Sed forte quæris : Numquid preces supplicantium Sancti audiunt, et vota postulantium in eorum notitiam perveniunt? Non est incredibile, animas Sanctorum quæ in abscondito faciei Dei, veri luminis illustratione lætantur, in ipsius contemplatione ea quæ foris aguntur, intelligere, quantum vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium pertinet. Philipp. IV, 6. Sicut enim angelis, ita et Sanctis qui Deo adsistunt, petitiones nostræ innotescunt in Verbo Dei, quod contemplantur. Unde et dicuntur angeli et orationes Tob. III, 25. et vota nostra offerre Deo, non quia eum doceant, sed quia ejus voluntatem super eis consulunt. Aug. Epist. 130, n. 18. Unde Augustinus : Angelis qui sunt apud Deum, innotescunt petitiones nostræ, ut quodammodo eas offerant Deo, et de his consulant, et quod Deo jubente implendum esse cognoverint, hoc nobis evidenter vel latenter reportent. Unde et Tob. XII, 12. angelus hominibus ait : Quum oraretis, orationem vestram obtuli Deo. Aug. de Trinitate, lib. XV, c. 13. Ad omnia quidem scienda sufficit Deo sua perfectio; habet tamen nuntios, id est angelos, non qui ei quæ nescit annuntient (non enim sunt ulla quæ nesciat), sed bonum eorum est de operibus suis ejus consulere veritatem : et hoc est quod dicuntur nonnulla nuntiare, non ut ipse ab eis discat, sed ut ab eo ipsi discant per Verbum ejus sine corporali sono. Nuntiant etiam quod voluerit, ab eo missi ad quos voluerit, totum ab illo per illud Verbum ejus audientes, id est, in ejus veritate invenientes quid sibi faciendum, quid, quibus et quando nuntiandum sit. Nam et nos orantes eum, non Matth. VI, 8. eum docemus : quia novit, ut ait Verbum ejus, Pater vester, quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo. Nec ista ex parte * cognovit, sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid et quando ab illo petituri fueramus, et quos et de quibus rebus vel exauditurus vel non exauditurus esset, sine initio ante præscivit. Aug. Epist. 140, n. 69. Non ergo dicitur angelus orationes nostras offerre Deo, quasi Deus tunc noverit quid velimus et quo indigeamus : quæ omnia antequam fiant, sicut et postquam facta sunt, novit; sed quia necesse habet rationalis creatura temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo quid erga se fiat, sive consulendo quid faciat.

* tempore

G. *Quod dictum est de angelis, attribuit sanctis animabus.*

Si autem angeli a Deo per Verbum ejus discunt petitiones nostras, et quid de his implendum sit, et quid non; cur non credamus, et animas Sanctorum Dei faciem contemplantium, in ejus veritate intelligere preces hominum, et quæ implendæ sint vel non? Inde est quod Deus dicitur exaudire preces quorumdam, non solum quando effectui mancipat, sed etiam quando innotescit curiæ angelorum et sanctarum animarum quid inde futurum sit vel non. Et quod cognoscunt in Dei voluntate esse,

volunt et ipsi : adeo enim supernæ voluntati addicti sunt, ut nihil præter ejus voluntatem queant velle. Intercedunt ergo ad Deum pro nobis Sancti, et merito, dum illorum merita suffragantur nobis, et affectu, dum vota nostra cupiunt impleri : quod tamen non faciunt, nisi in voluntate Dei implenda didicerint. Oramus ergo ut intercedant pro nobis, id est, ut merita eorum nobis suffragentur, et ut ipsi velint bonum nostrum : quia eis volentibus Deus vult, et ita fiet. — Ex præmissis constat, quod cum quibusdam misericordius agit Deus quam eorum peccata meruerint, scilicet cum mediocriter malis, qui suffragiis Ecclesiæ juvantur.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ QUINTÆ

POSTQUAM præcedenti distinctione tractavit Magister de generali resurrectione et resurgentium retributione, hic tractat de eorumdem receptaculis variis ac distinctis, et qualiter quibusdam valeat subveniri, et quibus, et quibus non. Quocirca aliqua interponit de officiis sepulturæ, movetque quæstionem, quam etiam solvit, de duobus mediocriter bonis; et iterum quærit de quocumque mediocriter bono in fine sæculi morituro, post cujus obitum non fient suffragia, qualiter illi subvenietur. Ultimo pandit quæ et quot sint ista suffragia in communi.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur, **Quæ et quot sint receptacula animarum post hanc vitam, et de distinctione eorum.**

Videtur quod non convenit eis habere receptacula post hanc vitam. Primo, quia unicuique competit recipi ac locari in loco suæ naturæ proportionato ac suæ congruo dignitati. Sed animæ quum sint spirituales essentiæ, digniores sunt omni corporea re omnique loco corporali : ergo non convenit eis recipi ac manere nisi extra mundum sensibilem. — Videtur quoque quod non statim recipiantur. Nam sicut peccaverunt, ita sunt remunerandæ. Non autem peccaverunt nisi in corpore, ergo non sunt præmiandæ nisi in corpore.

A

Quæritur quoque, an ante diem judicii egredi queant habitacula sua. Videtur quod non, quoniam Deus vult ut in fide vivamus, atque in spe ambulemus. Si autem apparerent nobis defuncti, haberemus scientialem certitudinem de futuris, sicque merito fidei privaremur, quoniam fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, secundum Gregorium, qui iterum protestatur : Quod videri potest, melius dicitur sciri quam credi.

B

In oppositum sunt quæ habentur in littera.

Circa hæc scribit Thomas : Quamvis spirituales substantiæ secundum esse suum non dependeant a corpore, corporalia tamen per spiritualia desuper gubernantur; ideo inter ea convenientia et congruentia quædam est, ita quod dignioribus præstantiora loca deputantur. Sicque animabus post hanc vitam certa loca aptantur, juxta exigentiam meritorum aut demeritorum suorum, et prout magis accedunt per vitæ sinceritatem ad summum increatumque spiritum, cui pro habitaculo cœlum empyreum appropriatur, quamvis ipse nullo loco claudatur. Itaque inter incorporalia et corporalia est convenientia, similitudo et proportio aliqua analogiæ et adaptationis : unde et Deus sol justitiæ appellatur. — Denique, sicut in corporibus est levitas qua sursum moventur, et gravitas qua feruntur deorsum, tanquam ad naturalia

C

loca; ita in animabus sunt merita et demerita, per quæ ad gaudia aut tormenta tanquam ad actuum suorum fines ac præmia perducuntur. Hinc animæ mox ut corporibus exuuntur, congruam retributionem adipiscuntur; tamen finalem beatitudinem interdum non protinus consequuntur, propter reatum præcedentium delictorum, a quibus dum fuerint expurgatæ, ad habitaculum pertingunt cœleste. Quæ autem in mortali peccato decedunt, protinus in infernum merguntur. Quæ vero perfecte et sancte vixerunt, evolant et in cœlo recipiuntur empyreo. Hæc est fides catholica, et Ecclesiæ sanctæ doctrina, cui attestantur auctoritates Scripturæ canonicæ, ac Patrum sanctorum : ideo contrarium dicere est hæreticum.

Præterea aliquem exire de inferno aut paradiso, intelligi potest dupliciter. Primo sic, quod de cetero illuc non redeat : et sic nullus per finalem sententiam paradiso aut inferno adjudicatus, unquam inde egreditur. Secundo, de egressione ad tempus : et sic distinguendum est, quid illis conveniat secundum legem naturæ, et quid secundum ordinem divinæ providentiæ : quia ut Augustinus testatur libro de Cura agenda pro mortuis, alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum; alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt. Itaque secundum naturalem cursum, animæ separatæ, ac congruis seu debitis receptaculis deputatæ, a conversatione viventium in sæculo isto penitus segregantur. Non enim secundum cursum naturæ, homines in carne mortali viventes substantiis separatis immediate junguntur, quum omnis eorum cognitio oriatur a sensu; nec propter aliud e suis receptaculis eas egredi conveniret, nisi ut rebus et actibus hic conversantium interessent. Secundum dispositionem vero providentiæ Dei, interdum a suis receptaculis exeuntes hominibus præsentantur, ut Augustinus in libro profert prætacto, de Felice martyre, qui civibus Nolanis visibiliter apparuit, quum a barbaris obsiderentur. Quod et de damnatis etiam credi potest, quod ad eruditionem hominum ac terrorem sinuntur interdum exire et apparere. Et in purgatorio positi, ad petenda suffragia aliquando sic apparent, ut in libris Dialogorum per multa exempla probat Gregorius. Verum hoc interest inter Sanctos et damnatos, quod Sancti ad libitum suum hoc facere possunt, non autem damnati. Quemadmodum enim Sancti in carne viventes, per quædam dona gratiæ gratis datæ prodigia atque miracula operantur, quod alii nequeunt; ita conveniens est ut virtute gloriæ detur eis potestas qua valeant viventibus mirabiliter apparere, loqui et aliqua insinuare : quod nequeunt alii nisi permissi.

Augustinus tamen libro præallegato effatur : Si rebus viventium interessent animæ mortuorum, ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ me terra marique secuta est. Sed ut ibi ex sequentibus patet, hoc Augustinus secundum communem locutus est cursum. Nec sequitur, si mortui possunt dum volunt viventibus apparere, quod passim hoc faciant : quoniam separati a carne, aut omnino conformantur voluntati divinæ, ita ut nec velint nec valeant nisi quod illi congruere intuentur; aut ita sunt pœnis oppressi, ut magis doleant de suis miseriis quam cupiant apparere hominibus. Nec putandum quod animæ Sanctorum et damnatorum semper personaliter adsint ubi apparent. Aliquando enim hujusmodi apparitiones fiunt in somno aut vigilia, operatione bonorum seu malorum spirituum, ad instructionem seu deceptionem viventium : sicut et vivi homines quandoque apparent et manifestantur aliis tempore somni, quum tamen constet quod realiter ibi non sunt. — Hæc Thomas in Scripto.

Insuper de multiplici limbo loquens : Animæ (inquit) hominum post mortem ad requiem pertingere nequeunt nisi fidei merito. Cujus primum exemplum in Abraham hominibus est monstratum, qui se primus a cœtu infidelium segregavit, ac

speciale fidei signum, videlicet circumcisionem, accepit. Hinc requies quæ hominibus post mortem confertur, sinus Abrahæ appellatur. Animæ autem Sanctorum post mortem non omni tempore eamdem requiem sortitæ sunt, quia post Christi passionem sortiuntur plenam beatificæ fruitionis quietem ; ante vero habebant quietem per immunitatem a pœna, non per adeptionem ultimi finis. Hinc status Sanctorum ante adventum Christi potest considerari quantum ad id quod habebat de requie, sicque sinus Abrahæ nuncupatur ; et quantum ad id quod deerat eis de requie, et sic dicitur limbus inferni. Limbus ergo inferni et sinus Abrahæ, ante Christi adventum fuerunt unum per accidens. Sed post Christi adventum diversi sunt : quæ enim per accidens unum sunt, possunt ab invicem separari. Constat quoque ex his, quod beatitudo Sanctorum in patria, nunc aliter dicitur sinus Abrahæ quam olim quies Sanctorum in loco illo inferni, quoniam sinus iste plenam requiem habet, ille vero carentiam beatæ visionis habuit sibi annexam.

Præterea si quæratur, an limbus inferni sit idem quod infernus damnatorum ; dicendum, quod receptacula animarum post mortem dupliciter distinguuntur : primo, secundum situm locorum ; secundo, penes qualitatem eorum, prout animæ in aliquibus locis recipiunt pœnas aut præmia. Si ergo considerentur limbus patrum et infernus secundum hanc locorum qualitatem, distinguuntur : tum quoniam in inferno est pœna sensibilis, quæ non fuit in limbo ; tum quia pœna inferni æterna est, patres vero in limbo temporaliter tenebantur. Si vero considerentur penes situm loci, probabile est quod idem locus aut quasi continuus sit limbus et infernus ; ita tamen quod quædam superior pars inferni limbus patrum dicatur. Exsistentes etenim in inferno, secundum diversitatem culparum diversitatem recipiunt tormentorum : idcirco gravioribus irretiti excessibus in obscuriora et profundiora loca truduntur.

A Ideo patres sancti in quibus minimum fuit de culpa, et qui pro solo reatu originalis peccati detinebantur ibidem, altiorem locum habebant. Quod vero Job dixit, In profundissimum inferni descendent omnia mea, exponitur non de loco damnatorum, sed de limbo patrum : qui profundissimus dicitur non respectu locorum pœnalium, sed comparatione locorum qui sunt eo superiores. *Job* XVII, 16.

Porro dum quæritur, an limbus patrum et limbus puerorum sint idem ; dicendum B quod non, sed differunt secundum qualitatem pœnæ ac præmii. In patribus namque fuit spes certa salutis, lumen fidei et gratiæ fulgor : quorum nullum inest pueris illis in limbo. Sed etiam quoad situm, fuit limbus patrum altior limbo parvulorum. Et si objiciatur, quod utrique pro solo originali detinebantur ibidem ; dicendum, quod hoc diversimode fuit, quia in patribus originalis culpa fuit expiata secundum quod fuit infectiva personæ, remanebat tamen impedimentum gloriæ ex parte C naturæ, pro qua nondum fuerat plenarie satisfactum. In pueris autem est impedimentum ex parte personæ et naturæ : ideo patribus et pueris diversa receptacula assignantur.

Amplius, ad quæstionem de distinctione receptaculorum dicendum, quod receptacula animarum distinguuntur secundum diversos status earum. Anima quippe corpori juncta, statum habet merendi ; exuta vero, statum habet recipiendi quod meruit. Ergo post mortem est vel in statu D recipiendi finale præmium, vel in statu quo impeditur ab illo. Si primum, hoc est dupliciter : vel quantum ad bonum, et sic est paradisus cœlestis ; vel quantum ad malum, et sic ratione actualis peccati est infernus, ratione autem originalis peccati est limbus puerorum. Si demum est in statu quo impeditur a receptione salutis : vel hoc est propter defectum personæ, et sic est purgatorium, in quo animæ detinentur, ne statim beatitudinem consequantur ; vel propter defectum naturæ, et ita

est limbus patrum, in quo sancti detinebantur propter reatum naturæ quem ex originali peccato incurrerunt, a quo non poterant liberari nisi per Christum. — Aer vero caliginosus non computatur inter receptacula ista, quia non deputatur dæmonibus nisi ratione officii eorum circa nos, non pro retributione meritorum : imo sic ignis inferni deputatus est eis primo. Nec obstat prædictis, quod animæ quædam in specialibus locis extra præfata receptacula puniuntur. Non enim est hoc, quod loca illa sint propria loca pœnarum, sed hoc fit ad nostram instructionem, ut pœnas earum cernendo compungamur, atque a vitiis retrahamur, et oremus pro ipsis. — Hæc idem ibidem.

Cf. t. XX, p. 454 C. Concordat Petrus in omnibus : Incorporales (dicens) substantiæ, quamvis locis non circumscribantur, locis tamen definiuntur. Hinc attribuitur eis locus seu receptaculum, non circumscriptivus, sed definitivus et distinctivus. Est quippe in eis duo reperire, puta : substantiam, et statum qui determinatur per operationem. Et quamvis secundum earum substantiam omnis locus sit eis indifferens, statui tamen et operationi earum magis convenit locus unus quam alius : ideo secundum diversos suos status diversa eis receptacula assignantur. Hæc Petrus.

Idem Richardus, qui dicit receptacula esse quatuor, quorum infimum est infernus damnatorum, deinde limbus puerorum, tertio purgatorium, quarto limbus sanctorum patrum, in quo nullus est modo. Dicit quoque animam recedentem a corpore cum originali et solo veniali, descendere in infernum damnatorum, æternaliterque puniri pœna damni et pœna sensus : quia quod veniali peccato infligitur pœna temporalis, est per accidens, in quantum conjunctum est caritati. Thomas vero dicit impossibile esse, aliquem decedere de hac vita cum originali et solo veniali; fatetur tamen, si quis ita decederet, quod æternaliter puniretur. De hoc dictum est plenius supra de purgatorio in hoc quarto, et super secundum, ubi de hoc diversæ opiniones sunt recitatæ. dist. XXI, q. I. tom. XXII, p. 563 C'.

Pergit idem Richardus : Hæc receptacula deputata sunt animabus de lege communi. Receptacula vero deputata aliquibus animabus ex lege speciali, indeterminata sunt quoad nos : nam aliquæ puniuntur et purgantur in locis in quibus peccaverunt, aliæ alibi, ut in libro Dialogorum narratur. Et quamvis quidam dixerunt nullas animas per naturam posse de receptaculis suis exire, quia moveri localiter est corporalium rerum, tamen quoniam iste articulus a domino Stephano Parisiensi episcopo et universitate Parisiensi damnatus est, utpote, animam humanam per naturam non posse moveri de loco ad locum, nec se posse movere de ubi ad ubi : ideo dicendum, quod de locis suis possent exire naturali virtute, nisi divinitus seu superiori virtute prohiberentur ; sed de lege communi prohibentur tam exsistentes in purgatorio ante completam purgationem, quam exsistentes in inferno ante generale judicium. Quod vero aliquando exeunt et apparent, est ex speciali permissione et causa. Quæ autem in cœlo sunt, exire non volunt ante corporum resumptionem, nisi videant Deo hoc complacere speciali ex ratione : secundum quod aliqui dicunt, quod in assumptione beatissimæ Virginis omnes in ejus occursum propter ipsius reverentiam descenderunt, et simul cum ea ascenderunt. Gregorius.

Porro si quæras, an receptacula aliquo modo augeant gaudia animarum sanctarum; dicendum, quod quamvis locus secundum se non imprimat nec influat animæ, tamen auget accidentale gaudium animæ bonæ. Primo, in quantum anima apprehendit illum locum sibi præparatum ac deputatum a Deo. Secundo, in quantum in loco illo eminentius bonitas ac majestas Dei resplendent. Tertio, in quantum locus ille ratione suæ nobilitatis magis proportionatus est atque conveniens animæ. Econtrario receptacula animarum damnatarum, earum augent miseriam ac mœ-

rorem, quoniam odiunt locum illum ex A triplici causa. Prima est, quoniam sciunt locum illum ipsis deputatum a justitia Dei, quam odiunt. Secunda, quoniam illius vilitas loci est rememorativa ac repræsentativa perpetuæ obligationis earum ad pœnas. Tertia, quia est contentivus ignis quo affliguntur. Receptaculum etiam animarum quæ purgantur, aliquo modo auget afflictionem ipsarum : non quod odiant locum illum voluntate deliberativa, quum in caritate consistant, et sciant locum illum eis deputatum ad tempus a justitia B divina, quam diligunt; sed quoniam naturali voluntatis motu refugiunt ipsum, sub ratione qua repræsentat obligationem earum ad pœnam temporalem, et quoniam continet ignem quo affliguntur. — Hæc Richardus.

Amplius Bonaventura circa præhabita : Triplex (ait) fuit status. Primus justæ retributionis, secundus quietæ exspectationis, tertius purgationis salubris. Anima namque exuta a corpore, dupliciter potuit impediri a retributione beata : primo, quo- C niam janua regni nondum fuit aperta; secundo, quoniam ipsa nondum fuit plene purgata. Statui igitur retributionis correspondet locus proprius et receptaculum determinatum in se et quantum ad nos, utpote, cœlum empyreum quoad electos, et infernus quantum ad reprobos. Statui vero quietæ exspectationis correspondet locus determinatus in se, sed non quantum ad nos : quia non scimus pro certo ex Scripturis, ubi sit limbus patrum. Statui demum purgationis correspondet locus in- D determinatus in se et quoad nos, quia non omnes in loco purgantur eodem. Vel sic et melius : Animæ habent receptacula vel secundum merita bona, et ita est paradisus cœlestis ; aut secundum peccata, et ita triplex distinguitur locus secundum triplex genus peccati, ita quod veniali deputatur purgatorium, mortali infernus, originali limbus, qui tamen duplex fuerat, scilicet, patrum et parvulorum, secundum quod pro originali diversi diversimode impediebantur a gloria, sicut præhabitum est. Cf. p. 325 B'.

Denique receptacula aliquibus dantur secundum Dei consilium et causas superiores, aliquibus secundum Dei sententiam et causas inferiores. Et isti secundi, mutatione divinæ sententiæ ad preces Sanctorum, possunt de suis receptaculis revocari, etiam finaliter, ita quod mutant locum et statum : quemadmodum in mortali peccato defuncti nonnulli, sunt ad vitam hanc revocati, contritionem et salutem sortiti. Primi autem nunquam exibunt finaliter, hoc est non redituri, sed ad tempus : sicut in die judicii, plenam mercedem sumpturi, vel interim permissione divina, ad insinuandum vel agendum circa nos aliquid. — Hæc Bonaventura.

De his Albertus : Receptacula (asserit) animarum aut sunt terminus, aut via. Si terminus, sic sunt duo, puta : infernus quantum ad demerita, et regnum cœlorum quantum ad merita. Terminus vero secundum demeritum, seu infernus, est duplex : unus secundum demeritum proprium, qui est infernus inferior damnatorum; alter secundum demeritum alienum contractum pariter cum natura, qui est limbus puerorum. Si autem receptaculum sit via, aut hoc est ex defectu proprii meriti, aut ex defectu solutionis pretii : quia hæc duo ad satisfactionem requiruntur perfectam. Si primo modo, sic est purgatorium; si secundo modo, ita est limbus patrum sanctorum ante Christi adventum. Hæc Albertus.

QUÆSTIO II

PRæterea quærendum, **An suffragiis viventium valeant adjuvari defuncti, et quæ et quot sint genera suffragiorum hujusmodi; an etiam prosint omnibus mortuis, seu quibus, et quibus non; atque a quibus ac qualibus exhiberi ac fieri possint et debeant.**

Videtur quod suffragia non prosint de-
I Cor. III, 8. functis, quia ut ait Apostolus, unusquisque recipiet secundum suum laborem. Et
II Cor. V, 10. rursus : Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit. — Deus quoque nullum malum deserit impuni-
Ps. LXI, 13. tum. Et Psalmista testatur : Quia tu reddes unicuique secundum opera sua. Quod et
Apoc. XXII, 12. in Apocalypsi Dominus loquitur : Ecce (inquiens) venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. — Iterum, post hanc vitam non est locus nec tempus merendi aut demerendi.

In contrarium est auctoritas et observantia sanctæ Ecclesiæ, et quod secundo
II Mach. XII, 46. libro Machabæorum habetur : Sancta et salubris cogitatio, pro defunctis exorare, etc. — Ad quod etiam adducuntur auctoritates in littera. Et consonat ratio, quia in purgatorio positi, sunt viatoribus per caritatem uniti, pertinentque ad mysticum corpus Christi, et nondum pervenerunt ad glo-
Ps. CXVIII, 63. riam : ergo dicere possunt, Particeps ego sum omnium timentium te.

Circa hæc scribit Albertus : Absque omni ambiguitate credendum est et tenendum, quod meritum unius valet et prodest alteri : quia ad hoc spectat ille articulus fidei, Sanctorum communionem. Christus quoque pro omnibus satisfecit; et in humano judicio, unus satisfacit, orat et exauditur pro alio. Et tanta est vis caritatis, tanta fidelium per caritatem connexio, ut opera et merita nostra dicantur non solum quæ ipsimet facimus, sed etiam quæ alii qui per caritatem unum nobiscum sunt, pro nobis efficiunt.

Verum ex his sequi videtur, quod suffragia non prosint decedentibus in peccato mortali. Quæritur ergo, an prosint etiam illis. Dicendum, quod ut mihi videtur, quum in inferno duplex sit pœna, videlicet, sensus et vermis conscientiæ, quantum ad pœnam sensus nihil omnino suffragia prosunt damnatis. Vermis autem conscientiæ remordet de tribus, videlicet :
A de omissis bonis, et commissis malis, et quia nec dignus habitus est ipse damnatus ut saltem ab alio aliquid boni fiat pro ipso. Quantum ad duo prima non mitigatur vermis, sed potest quantum ad tertium mitigari. Dum enim fit bonum pro eo, dicere nequit quod dignus habitus non sit ut pro eo quis faciat quippiam boni. Quamvis ergo in inferno non sit misericordia liberans, est tamen ibi misericordia aliquo modo relaxans, qua et citra condignum puniuntur. Sed de his infra magis dicetur.

B At vero patribus sanctis in limbo non profuerunt, quia jam erant ab omni propria actualique culpa plene purgati, et satisfecerant in omnibus quæ ab homine fieri poterant; tenebanturque ibi, quoniam nondum fuit solutum pretium pro originali, quod solus Christus solvere poterat. — Conformiter, parvulis in originali defunctis non profuerunt nec prosunt, quoniam non sunt gratiæ susceptivi, nec in via et statu merendi. Peccatum autem sine gratiæ infusione non dimittitur. — Simili-
C ter, non prosunt Beatis, quia non indigent, suntque confirmati in gratia, nec crescere possunt in præmio substantiali neque in proprio merito. — Inter suffragia quoque potissime suffragatur defunctis oblatio sacrificii salutaris, deinde orationes et eleemosynæ, jejunia, peregrinationes, etc. Magister enim non ponit omnia, sed principalia suffragiorum genera.

Præterea si quæratur, an suffragia facta per malos, succurrant et valeant : dicendum, quod quamvis suffragium exsecutive
D sit vivi, id est a vivente exhibitum, est tamen opus mortui tanquam causæ inductivæ; ideo puto quod secundum caritatem mortui informatur ac valet. Unde et si fiat ab eo qui non est in caritate et gratia, attamen prodest; sed melius esset ac magis prodesset, si fieret ab exsistente in caritate. Et quamvis Deus non audiat pec- Joann. IX, 31.
catores pro se ipsis, audit tamen pro aliis a quibus inducuntur ad orandum pro illis, quantum ad istum effectum quo pœna aliquo modo minuitur. Nec obstat quod ait

A Gregorius : Quando is qui displicet mittitur ad orandum, animus judicis ad deteriora provocatur. Loquitur enim Gregorius in casu quo quis ex confidentia proprii meriti orat pro aliis, et non quasi instrumentum inductum ac motum ab illis.

Quæritur item, quæ suffragia plus valeant, propria, id est specialia, vel generalia. Respondendum, quod quum suffragia fiant per modum satisfactionis pro peccato, et peccata sint propria ei qui peccat, magis (ut mihi apparet) valent suffragia
Cf. p.321 D. B propria et specialia : hinc Magister ait in littera, quod citius liberatur pro quo multa specialia fiunt. — Hæc Albertus.

De his Thomas diffusius loquens : Actus (inquit) noster potest ad duo valere. Primo, ad statum aliquem acquirendum, sicut per opus meritorium homo acquirit beatitudinis statum ; secundo, ad aliquid consequens statum ipsum, sicut homo per actum bonum meretur præmium accidentale dimissionemve pœnæ. Et ad utrumque potest actus noster valere dupliciter : primo,
C per viam meriti ; secundo, per viam orationis. Quæ differunt, quoniam meritum innititur justitiæ, oratio vero liberalitati pietatique dantis. Dicendum ergo, quod opus unius alteri nullo modo potest valere per modum meriti ad statum consequendum, ut scilicet ex his quæ ego facio, alius mereatur vitam æternam : quia sors gloriæ redditur secundum mensuram recipientis. Unusquisque autem ex actu suo, non ex alieno disponitur ; et loquor de dispositione dignitatis ad præmium. Per viam vero orationis,
D etiam quantum ad statum consequendum, opus unius alteri adhuc viatori valere potest, sicut quod unus homo impetrat alteri gratiam primam. Nempe quum impetratio gratiæ sit secundum liberalitatem Dei qui oratur, ideo ad omnia illa se potest impetratio orationis extendere, quæ divinæ potestati subsunt ordinate. Sed quantum ad aliquid quod est consequens vel accessorium ad statum, opus unius potest valere alteri non solum per viam orationis, sed etiam meriti ; et hoc dupliciter. Primo, per communicantiam in radice operis, quæ est caritas in operibus meritoriis : et sic omnes qui sibi invicem caritate nectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus consequuntur, attamen secundum mensuram status uniuscujusque, quia etiam in patria unusquisque de bonis gaudebit alterius. Idcirco articulus fidei est Sanctorum communio. Secundo, ex intentione facientis, qui aliqua opera ad hoc facit ut aliis prosint : sicque opera illa aliquo modo fiunt eorum pro quibus fiunt, quasi eis a faciente collata ; unde possunt eis valere ad satisfactionis complementum, vel ad aliquid tale quod statum non mutat. — Verumtamen laus non datur nec exhibetur alicui nisi secundum ordinem ejus ad actum : propter quod laus est ad aliquid, ut primo dicitur Ethicorum. Quumque ex actu alterius nullus ostendatur aut efficiatur bene vel male dispositus ad aliquid, hinc nullus laudatur ex operibus alterius nisi per accidens, in quantum ipse est aliquo modo causa eorum, impensando consilium vel auxilium, etc. Opus autem est meritorium alicui non solum considerata ejus dispositione, sed etiam quantum ad aliquid consequens dispositionem vel statum, ut dictum est.

Insuper ad quæstionem hanc, utrum mortui possint juvari operibus suffragiisque vivorum, dicendum quod caritas, quæ est vinculum uniens membra Ecclesiæ, ad vivos, ac mortuos in caritate defunctos, extendit se. Similiter intentio viventium ad mortuos dirigi potest. Ideo suffragia vivorum mortuis possunt prodesse dupliciter, utpote, per caritatis unionem, et per intentionem ; sed nequeunt ipsis valere ita, ut status ipsorum mutetur de condemnatione seu absoluta miseria ad felicitatem, seu ad caritatis et gratiæ impetrationem, sed ad diminutionem pœnæ accelerationemque gloriæ. Istud quoque aliquo modo procedit ex his quæ homo gessit in corpore, quia dum vixit in carne, meruit ut sibi post mortem ista valerent. Quamvis etiam animæ sint in termino constitutæ per mor-

tem, quantum ad hoc quod transmutari non possunt quoad statum, nec in caritate et gratia crescere, aut sibi ipsis mereri ; sunt tamen aliquo modo in via, quia nondum ad patriam sunt perductæ, et retardantur a gloria : et quoad hoc, possunt juvari.

Ad quæstionem quoque qua quæritur, utrum suffragia per iniquos facta, mortuis prosint, dicendum, quod in suffragiis quæ per iniquos pro mortuis fiunt, duo pensantur. Primum est opus operatum, ut sacrificium altaris. Quumque sacramenta Ecclesiæ contineant gratiam, atque ex se efficaciam habeant absque opere operantis, quam efficaciam æqualiter explent per quoscumque fiant; ideo quantum ad hoc suffragia per iniquos facta prosunt defunctis. Secundum est opus operans ; et ita est distinguendum, quoniam operatio peccatoris suffragia facientis considerari potest dupliciter. Primo, in quantum est ejus ; et sic nequaquam potest meritoria esse, nec sibi nec alteri. Secundo, ut est alterius ; et hoc rursus dupliciter. Primo, in quantum peccator talis gerit et repræsentat personam Ecclesiæ : nam ille dicitur facere cujus vice seu nomine fit, ut S. Dionysius tertiodecimo Cœlestis hierarchiæ capitulo protestatur. Et sic rursus suffragia sacerdotis, quamvis injusti, prosunt his pro quibus fiunt. Secundo, quando agit ut instrumentum alterius : opus enim instrumenti potius attribuitur principali quam instrumentali agenti. Hinc quamvis ille qui agit ut instrumentum, non sit in statu merendi seu caritate, attamen actio ejus potest meritoria esse ratione principalis agentis : sicut dum servus impius ex mandato boni domini sui eleemosynam tribuit. Unde si quis in caritate decedens præcipiat pro se suffragia fieri, vel alius præcipiat in caritate exsistens, suffragia illa quamvis per impium facta valent defunctis ; nihilo minus magis valerent, si per bonum hominem efficerentur, quia sic ex utraque parte meritoria essent.

Cf. t. XXIV, p. 344 C.

Cf. t. XXIV, p. 524 B'.

At vero si quæratur, an opera suffragio- A rum quæ quis pro aliis agit, prosint ac meritoria sibi sint ; respondendum, quod opera illa considerari possunt dupliciter. Primo, in quantum expiativa sunt pœnæ, seu satisfactoria per modum cujusdam recompensationis, quæ in satisfactione attenditur : sicque opera illa, quæ computantur quasi illius pro quo fiunt, ita absolvunt illum a debita pœna, quod ipsum facientem a debito pœnæ non absolvunt propriæ ; quia in tali recompensatione pensatur æqualitas justitiæ. Hoc autem satisfacto- B rium opus ita potest adæquari uni reatui, quod alteri non æquetur : reatus quippe duorum excessuum satisfactionem requirit majorem, quam reatus unius, ceteris paribus. Secundo, in quantum sunt meritoria vitæ æternæ, quod convenit operi tali in quantum procedit ex caritate : sicque non solum prodest ei pro quo fit, sed et potius facienti, qui in quantum operatur ex caritate, meretur gratiæ incrementum in præsenti, atque augmentum gloriæ in futuro.

Ad quæstionem demum qua quæritur, C an suffragia prosint damnatis, dicendum, quod circa damnatos in inferno, fuit duplex opinio. Una dicentium, quod circa eos sit dupliciter distinguendum. Primo, quantum ad tempus, dicentes, quod post diem judicii nullus in inferno exsistens aliquo suffragio juvabitur, et quod ante diem judicii aliqui suffragiis Ecclesiæ adjuvantur. Secundo distinguebant de personis in inferno detentis, quarum quasdam dixerunt esse valde malas, quæ scilicet sine fide et sacramentis Ecclesiæ decesserunt, quibus D dixerunt suffragia Ecclesiæ non prodesse, quia nec fide nec opere de Ecclesia fuerunt. Alii sunt non valde mali, ut fideles qui opera de genere bonorum egerunt, et tamen in mortali decesserunt peccato : quibus dixerunt suffragia subvenire. Sed circa hoc oriebatur fautoribus hujus opinionis dubitatio quædam, quia quum pœnæ inferni sint intensive finitæ, sequi videtur quod per suffragia possint omnino auferri. Ad quod diversimode responderunt. Præpositivus etenim dixit, quod in

tantum possunt multiplicari suffragia pro defunctis, quod a tota pœna redderentur immunes, non simpliciter, sed usque ad diem judicii, quia tunc resumptis corporibus, in infernum sine spe veniæ retruderentur. Verum ista opinio videtur divinæ providentiæ repugnare, quæ in rebus nihil inordinatum relinquit. Culpa autem ordinari non potest nisi per pœnam : ideo pœna non potest auferri, nisi culpa prius expietur. Quumque culpa continue maneat in damnatis, eorum pœna nequaquam interrumpetur.

Cf. t. XXIV, p. 566 A'.

Ideo Porretani invenerunt alium modum, dicentes, quod in diminutione pœnarum inferni per suffragia Ecclesiæ, proceditur sicut in divisione continui, quod quamvis finitum sit, tamen in semper divisibilia dividitur, quando divisio fit non per partes ejusdem quantitatis, sed ejusdem proportionis. Verum ista solutio multipliciter deficit. Primo, quoniam infinita divisio continui non videtur ad quantitatem spiritualem posse transferri. Secundo, quoniam nulla est ratio cur secundum suffragium minus minuat de pœna quam primum, si sit æqualis valoris. Tertio, quia pœna non potest diminui, nisi minuatur et culpa.

Hinc Antisiodorensis dixit, quod suffragia prosunt damnatis non per diminutionem interruptionemve pœnæ, sed per confortationem patientis, velut si hominis grave pondus portantis facies aqua perfundatur : sic namque confortaretur ad melius bajulandum, quamvis onus in nullo minueretur. Sed contra hoc est, quod damnatus magis aut minus gravatur igne juxta demeritum suæ culpæ : idcirco quum culpa maneat immutata, non potest levius ferre pœnam. Prædicta quoque opinio Sanctorum dictis est contraria, nulla auctoritate suffulta, et irrationabilis : quia damnati expertes sunt caritatis, per quam suffragia viatorum continuantur et communicantur defunctis; et rursus, quia damnati ad viæ terminum pervenerunt, ultimatamque remunerationem sortiti sunt.

A Verumtamen modus quo aliqui dicunt suffragia posse damnatis prodesse, in quantum per ea subtrahitur damnatis doloris cujusdam materia, quo dolerent se ita abjectos oblivionique traditos quod nemo de eis haberet curam, nisi pro eis suffragia fierent; illa rationabilior posset videri. Tamen nec istud potest esse secundum legem communem : quia ut Augustinus in libro de Cura pro mortuis fatetur (quod de damnatis præcipue verum est), ibi sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quæ-
B cumque fiunt in vita ista. Idcirco ignorant quando et quæ suffragia fiant pro ipsis, nisi supra communem legem istud remedium aliquibus damnatorum detur et reveletur : quod est verbum omnino incertum. Hinc tutius est simpliciter dicere, quod suffragia non prosunt damnatis, nec Ecclesia pro eis orare intendit, ut patet ex introductis. Unde septimo capitulo Hierarchiæ cœlestis divinus Dionysius loquitur : Summus sacerdos pro immundis non orat, quia in hoc ab ordine averteretur di-
C vino.

Verum his objici potest, quod B. Gregorius legitur Trajani animam de inferno suis precibus liberasse. Unde et Damascenus in quodam refert sermone : Gregorius, Romæ urbis episcopus, pro Trajano orationem fundens, audivit vocem divinitus sibi dicentem, Vocem tuam audivi, et Trajano do veniam : cujus rei testis est oriens et occidens. — In eodem quoque sermone commemorat, quod in Vitaspatrum habetur, quemadmodum abbas Macarius inven-
D ta calvaria in eremo, interrogavit cujus caput fuisset. Respondit : Sacerdotis gentilis damnati. Et addidit, se aliosque damnatos juvari oratione Macarii. Item S. Martinus, et alii quidam Sancti præcipui, quosdam in idololatria mortuos, et propria manu suspensos aut interemptos, ab inferis eduxisse leguntur.

Et respondendum, quod de Trajano probabiliter credi potest, quod precibus S. Gregorii ad vitam hanc fuerit revocatus, et gratiam consecutus; similiter miraculose

suscitati, quorum multos constat fuisse idololatras ac damnatos. De quibus dici oportet, quod non erant per definitivam sententiam inferno finaliter deputati, sed secundum præsentia eorum demerita pœnis addicti; secundum causas vero superiores, quibus prævidebantur revocandi ad vitam, erat de eis aliter disponendum. Vel dicendum, secundum quosdam, quod anima Trajani non fuit simpliciter ab inferni suppliciis liberata, sed pœna ejus usque ad diem judicii fuit suspensa. Nec tamen oportet quod tale quid communiter per suffragia fiat, quoniam alia sunt quæ communi lege contingunt, alia quæ speciali privilegio conceduntur. — Denique adjutorium quod sanctissimus abbas Macarius damnatis impendit, non fuit diminutio pœnæ eorum, sed concedebatur eis quod se invicem in flammis ad horam viderent, et in hoc aliquantulum gaudium non verum sed phantasticum habebant, dum implebatur quod cupiebant : sicut et dæmones gaudere dicuntur, dum homines pertrahunt ad peccandum, quamvis per hoc eorum pœna non minuatur, sicut nec gaudium angelorum minuitur per hoc quod nostris malis compati asseruntur. — Hæc Thomas.

Quibus objici potest quod in revelationibus S. Brigittæ recitatur, nullum in inferno consistere cujus pœna meritis et precibus dulcissimæ atque piissimæ Virginis non minor consistat. Et denuo, quod B. Augustinus tractans illud in Psalmo, Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? [*Ps.* LXXVI, 8.] relinquit sub dubio, an damnati in pœnis aliquando habeant aliquam interpolationem, quietem seu repausationem ad aliquantulum tempus. In Itinerario quoque S. Brendani narratur, qualiter infelicissimus ille mercator ac traditor Judas, certis anni temporibus ac diebus habeat relevamen. Attamen libellus ille reputatur apocryphus. Nihilo minus in multis apparitionibus invenitur, quod quidam damnati retulerunt se precibus gloriosissimæ Virginis consecutos extra infernum manere, et per mundum vagari usque ad diem judicii. Similiter in Legenda gloriosissimi Bartholomæi apostoli scriptum est, quemadmodum angelus sanctus dixit dæmoni quem monstravit adstantibus : Quia complesti præceptum Apostoli, conceditur tibi in solitudine esse usque judicii diem.

Consequenter Thomas respondens ad hæc, utrum suffragia prosint exsistentibus in purgatorio, puerisque in limbo, et Beatis in cœlo : Pœna (inquit) purgatorii est supplementum debitæ satisfactionis; ideo indigent adjuvari ibidem contenti, et auxilii sunt capaces. Et de hoc dictum est plenius supra, distinctione vicesima, ubi de purgatorio agitur. [*Cf.* t. XXIV, p. 556 in fine.] Sed advertendum, quod suffragia ex duobus valent, puta, ex opere operante et opere operato. Et dico opus operatum non solum Ecclesiæ sacramentum, sed et effectum consequentem ex operatione : quemadmodum ex eleemosynarum largitione sequitur pauperum relevamen, et eorum oratio pro defuncto. Similiter opus operans accipi potest vel ex parte principalis agentis, vel ex parte exsequentis. Idcirco quam cito moriens disponit pro se suffragia fieri, præmium suffragiorum plene consequitur, etiam antequam fiant, quantum ad efficaciam suffragiorum quam habent ex opere operante principalis agentis. Quantum vero ad efficaciam suffragiorum quam habent ex opere operato, vel ex opere operante exsequentis, non consequitur fructum antequam fiant suffragia; et si contingat ipsum a pœna erui antequam fiant, quantum ad hoc fraudabitur fructu suffragiorum : quod redundabit in eos quorum negligentia id contingit.

At vero parvuli in limbo tenentur, quia non sunt in gratia. Quumque opera vivorum mutare non queant statum mortuorum, præsertim quantum ad meritum præmii essentialis aut pœnæ ei contrariæ, suffragia vivorum pueris in limbo prodesse non valent.

Rursus, suffragium de sui ratione im-

portat quamdam auxiliationem, qua Beati A non indigent. Idcirco dum dicitur in collecta, Sicut sacramenta Sanctis tuis prosunt ad gloriam, ita nobis proficiant ad medelam ; non est sic intelligendum, quod Sancti in gloria proficiant quantum ad se, ex hoc quod eorum festa recolimus, sed quoniam proficit nobis qui eorum gloriam solenniter celebramus : quemadmodum ex hoc quod Deum cognoscimus et laudamus, nil Deo accrescit, sed in nobis ejus gloria *Luc.* xv, 10. crescit. — Et si objiciatur, quod gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœni- B tentiam agente, et ipsi angeli gloriosi nostro congratulantur profectui, sicque augemus et multiplicamus gaudia civium supernorum; dicendum, quod quamvis Beati de nostris gaudeant bonis, non tamen sequitur quod multiplicatis nostris operibus bonis, multiplicentur gaudia illorum formaliter, sed materialiter tantum, quoniam omnis passio augetur secundum rationem sui objecti. Ratio autem gaudendi in Sanctis, de quibuscumque gaudent, est Deus, de quo non possunt magis et minus gau- C dere : quia sic essentiale eorum præmium variaretur, quod consistit in hoc quod gaudent de Deo. Unde ex hoc quod bona multiplicantur, de quibus gaudendi ratio eis est Deus, non sequitur quod intensius sed quod de pluribus gaudeant. — Hæc Thomas.

In quibus hoc ultimum verbum videtur obscurum. Nam quamvis Beatorum essentiale præmium consistat in contemplatione increati objecti, ac gaudio principali atque invariabili, contemplationi illi an- D nexo, respectu cujus objecti non sunt Beatis cogitationes volubiles, ut infra habetur; attamen accidentale præmium eorumdem consistit in quibusdam bonis creatis ad Deum relatis : sicque etiam bona creata ad Deum relata, sunt Beatis ratio gloriandi, et tale gaudium suscipit incrementum, sicut de hoc infra dicetur.

In præinductis ex Thoma continentur scripta Petri, Richardi et Argentinensis de his. Asseritque Richardus, Trajanum revocatum ad vitam hanc et pœnituisse. Quod si ita est, mirum quod Trajanus resuscitatus non indicavit viventibus quæ sibi acciderant, nec S. Gregorio gratias egit. Et si dicatur quod ista fecit, unde probabitur hoc ?

Porro Bonaventura : In omni (ait) opere Dei, est misericordia et veritas. Hinc duo *Ps.* xxiv, 10. sunt quæ faciunt suffragia valere defunctis, videlicet, dignitas et necessitas. Justitia respicit dignitatem; et qui in caritate decesserunt, digni sunt ab aliis adjuvari Ecclesiæ membris, maxime si ipsi alios adjuverunt. Misericordia vero considerat necessitatem, quæ magna est in his qui in purgatorio sunt, quoniam graviter puniuntur, nec valent juvare se ipsos.

Quidam demum generaliter dicunt, quod suffragia Ecclesiæ prosunt, sive a bonis sive a malis fiant : quia tam boni quam mali faciunt secundum doctrinam Ecclesiæ, faciuntque pro eo qui est in caritate; et ubi caritas facientis deest, supplet caritas Ecclesiæ dictantis ac mortui suscipientis. Sed breviter, non credo quod oratio peccatoris mereatur aliquid apud Deum, nisi solum dispositive, quia disponit ad meritum. Opus enim recipit formam a proximo agente, quemadmodum aqua a vase continente, non a fonte. Sicut etiam corona valorem et pulchritudinem habet ab auro et gemmis, non ab elementis; ita in proposito. Ideo distinguendum, quia suffragia aut sunt opera sacramentalia, ut celebratio Missæ : et tunc, quum sint opera Dei, ratione contenti seu operis operati prosunt, sive a bonis fiant, sive a malis. Aut sunt alia opera, et hoc dupliciter. Aut enim fiunt pure a malis, sicut aliquis malus orat vel se affligit pro aliquo : et sic, non credo quod prosint defuncto. Aut fiunt a malis ad imperium alicujus boni de rebus illius, sicut est eleemosyna; vel ad alterius consortium, ut quando duo legunt Psalterium, unus exsistens in caritate, alius non; atque in aliis operibus, ut dum datur eleemosyna justo ut oret pro mortuo : et tunc valent ratione caritatis

boni hominis associati. — Hæc Bonaventura, quæ cum dictis ex Thoma videntur concordabilia.

QUÆSTIO III

Modo quærendum **De numero suffragiorum Ecclesiæ, an solum sint tria in genere.**

Videtur quod non, quia B. Gregorius annumerat eis quartum, puta jejunium, in Moralibus loquens : Quatuor modis animæ defunctorum solvuntur : aut oblationibus sacerdotum, aut eleemosynis amicorum, aut orationibus sanctorum, aut cognatorum jejuniis. Damascenus quoque in sermone quodam de dormientibus, docet pro defunctis ceras oleumque offerri, et consimilia quædam.

Circa hæc scribit Bonaventura : Valent in subsidium defunctorum sacra oblatio, et cetera nunc expressa. Verumtamen aliter prodest Sacramentum altaris viventibus, et aliter mortuis. Vivis etenim prodest sub ratione sacramenti et cibi, mortuis sub ratione sacrificii. Nempe in quantum sacramentum, reficit, gratiamque largitur, et perfectionem tribuit manducanti ; in quantum vero sacrificium, placat Deum : hostiæ enim placant. Quumque Deus iratus sit non affectione, sed pœnæ inflictione ; ideo hostia salutaris Deum placando non sedat ejus affectionem, sed remitti facit pœnæ acerbitatem. — Et si quæratur, cur alia sacramenta ita non prosunt post mortem ; dicendum, quod aliorum sacramentorum dispensatio respicit actum in persona et circa personam, ut patet in Baptismo : propter quod baptizari non potest (nec ungi) nisi qui præsens est. Sacrificium vero est actus et oblatio pro persona. Et quoniam actus in persona requirit personam actu exsistentem, non autem actus pro persona, quum et Christus se ipsum obtulerit non solum pro tunc exsistentibus, A imo et pro præteritis ac futuris : hinc sacramentum istud secundum quod sacrificium, prodest his qui vitam hanc finierunt.

Sed quæritur, utrum suffragia omnibus æqualiter prosint, an potius et amplius ei pro quo fiunt. Dicendum, quod aliquorum opinio fuit, ut Præpositivi, quod suffragia Ecclesiæ sive generaliter sive specialiter facta, magis prosunt ei qui magis hoc meruit. Et ponit exemplum de candela, quæ si coram divite accendatur, non solum lu- B cet ei sed etiam aliis, et illi potissime qui acutius videt. Est item exemplum de lectione, quæ tantum valet si legatur omnibus in communi, quantum si cuilibet in speciali, magisque valet adsistenti melius intelligenti, quamvis legatur pro alio. Et si ita est in lumine creato, magis in sacramentis ; et si sic est in lectione, magis in oratione. Et si objicitur consuetudo Ecclesiæ, respondet, quod hoc quod Ecclesia specialiter facit pro uno, et specialius pro uno quam pro alio, non est propter hoc C quod magis illi prodest, sed quia libentius facit homo pro eo quem specialius diligit, et magis animatur ad faciendum pro eo. Unde si istud constaret simplicibus, non ita libenter facerent ipsa suffragia. Sed istud non credo verum : quia ut asserit Augustinus libro de Cura agenda pro mortuis, sepultura valet in loco sancto propter orationes Sanctorum qui orant pro eo ad cujus tumulum memorantur, id est, ipsi Sancti invocantur. Denique suffragia sunt ad solvendum reatum seu pœnam ejus pro D quo fiunt ; plus autem est satisfacere pro debito multorum quam unius, atque facilius satisfit pro debito unius quam plurium : ideo duo pluribus suffragiis indigent quam unus solus. Idcirco si dividuntur inter eos, uterque minus habet. — Nec est simile de lumine, quia illuminatio totam speciem rei visæ refert ad oculum ; similiter lectio totam similitudinem vocis defert ad aures. Sed ita non est in solutione. Quamvis enim duo creditores possint simul et æqualiter unum aureum videre,

non tamen potest æqualiter solvi duobus. Ita est in proposito.

Hinc de suffragiis est distinguendum, quia aut fiunt in communi, aut in speciali. Si in communi, magis prosunt ei qui magis meruit ut sibi prodessent, ceteris paribus, quia non tantum dignitas, sed necessitas quoque consideratur. Si autem in speciali, magis prosunt ei pro quo specialiter fiunt : Deus namque acceptat opus secundum intentionem agentis. Alias etiam non deberet homo specialiter exorare pro parentibus, et pro quibus ad hoc magis tenetur. Item si in vita hac aliquis pro se eleemosynam daret, magis sibi prodesset quam aliis : ergo si ex ejus jussione aut ordinatione detur post mortem ipsius, magis proderit ei quam alteri, quum Deus sic habeat opus tale, ac si ipsemet mortuus faceret illud. Iterum, dum Deus exaudit nos, quodammodo conformat se nostræ voluntati : idcirco dum quis habens caritatem, orat pro aliquo in speciali, Deus specialiter exaudit pro illo. — Hæc Bonaventura.

Quibus Thomas concordans : Suffragia, inquit, vivorum prosunt defunctis secundum quod viventibus uniuntur per caritatem, et secundum quod intentio viventium refertur ad mortuos ; ideo opera illa præcipue nata sunt mortuis suffragari, quæ maxime ad conjunctionem pertinent caritatis, vel ad directionem intentionis in alterum. Sacramentum autem Eucharistiæ ad caritatem præcipue pertinet, quum sit sacramentum ecclesiasticæ unionis, continens illum quo tota Ecclesia counitur et consolidatur. Inter caritatis autem effectus præcipuum est eleemosynarum largitio. Ideo duo ista ex parte caritatis, mortuis præcipue suffragantur, scilicet sacrificium altaris et eleemosyna. Sed ex parte intentionis directæ in mortuos, præcipue valet oratio : quia oratio ex propria ratione non solum dicit respectum ad orantem, quemadmodum cetera opera, sed directius ad illum pro quo oratur. Ideo tria ista ponuntur quasi præcipua mortuorum subsi-

A dia. Tamen quæcumque alia bona ex caritate exhibita pro defunctis, eis prodesse credenda sunt. Hinc et jejunium pro defunctis factum potest eis prodesse, similiter disciplina, ratione caritatis et intentionis directæ in illos, et ut sunt pœnæ pro culpis : quæ tamen in sua ratione non continent aliquid quod ad caritatem aut directionem intentionis in proximum spectet ; imo hæc sunt eis quasi extrinseca. Ideo Augustinus non posuit jejunium inter suffragia, sed Gregorius.

B Verum contra hæc objici potest, quoniam in diversis Missis est unum et idem altaris sacrificium. Si ergo sacrificium computatur inter suffragia, et non Missa, videtur quod mortuis tantumdem valeat quæcumque Missa, sive sit pro defunctis, sive de Spiritu Sancto, sive de Domina, seu de festo occurrente : quod videtur contra consuetudinem et ordinationem Ecclesiæ, quæ speciale officium Missæ pro defunctis instituit et observat. — Dicendum, quod in officio Missæ non solum est C sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes : sicque officium Missæ continet duo eorum quæ Augustinus hic ponit, videlicet, sacrificium et orationem. Itaque ex parte oblati sacrificii, Missa æqualiter valet defuncto, de quocumque dicatur : et hoc est præcipuum quod fit in Missa. Ex parte autem orationum, magis prodest Missa in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Attamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem celebrantis, vel ejus qui facit Missam celebrari, atque per in- D tercessionem Sancti cujus suffragium imploratur in Missa.

Oblatio quoque candelarum et olei possunt prodesse defuncto, in quantum sunt eleemosynæ quædam. Dantur enim ad cultum Ecclesiæ et ad usum fidelium, et ad divinæ reverentiam majestatis ponuntur. — Quæritur etiam, an indulgentiæ possint defunctis prodesse. Ad quod supra responsum est, distinctione vicesima. *Cf.* t. XXIV, p. 556 D'.

Insuper quæritur, an cultus exsequiarum prosit defuncto. Et respondendum,

quod sepultura inventa est propter vivos A ac mortuos. Propter vivos, ne eorum oculi ex turpitudine cadaverum offendantur, et ne corporum fœtoribus inficiantur : et hoc quantum ad corpus. Spiritualiter autem prodest etiam vivis, quia per hoc fides resurrectionis adstruitur, ac admonentur advertere se esse mortales, citoque morituros, ac tali in domo claudendos. Sed et mortuis prosunt : quia viventes sepulcra inspicientes, memoriam retinent mortuorum, et orant pro ipsis. Hinc monumentum a memoria nomen accepit. Dicitur namque mo- B numentum, quoniam admonet mentem, ut dicit Augustinus primo de Civitate Dei, et libro de Cura agenda pro mortuis. Paganorum tamen fuit error, quod ad hoc sepultura mortuo prosit, quatenus anima ejus quietem accipiat. Non enim credebant animam posse quietem accipere, nisi corpus ejus prius sepulturæ traderetur : quod ridiculosum est credere. Ulterius quoque, sepultura in loco sacro mortuis prodest, non quidem ex opere operato, sed magis ex opere operante, dum vel defun- C ctus vel alius corpus illius in loco sacrato sepeliri disponens, patrocinio alicujus Sancti ipsum committit, cujus precibus per hoc credendus est adjuvari; et etiam patrocinio eorum qui loco sancto deserviunt, qui pro sepultis apud se frequentius ac specialius orant. Illa vero quæ ad ornatum sepulturæ adhibentur, ut luminaria, panni et hujusmodi, prosunt vivis, in quantum sunt eorum solatia. Possunt item defunctis prodesse, non per se, sed per accidens, in quantum ex talium in- D spectione homines excitantur ad compatiendum et ad orandum pro ipsis, vel in quantum ex sumptibus sepulturæ pauperes accipiunt fructum, vel ecclesia decoratur. — Denique antiqui sancti Patres de suis tumulandis corporibus curaverunt, ut ostenderent corpora mortuorum ad Dei providentiam pertinere, et propter resurrectionis fidem adstruendam. Unde in terra promissionis sepeliri volebant, ubi Christum nasciturum et resurrecturum credebant : cujus resurrectio nostræ resurrectionis est causa. Hinc in quodam sermone de dormientibus, Damascenus inducit S. Athanasii verba dicentis : Quamvis in aera ipse qui in pietate consummatus est, depositus fuerit, ne renuas oleum et ceras, Deum invocans, in sepulcro ejus accendere ; accepta namque sunt Deo ista, et multam ab eo remunerationem accipientia. *Cf.* t. XXIII, p. 380 D', 381 B.

Insuper quæritur, utrum suffragia quæ fiunt pro uno defuncto, plus prosint ei quam aliis. Videtur quod non, quoniam bona spiritualia quo pluribus communicantur, eo sunt efficaciora. Rursus, quo caritas ad plures diffunditur et copiosius se communicat, eo fortior est ad agendum, ad promerendum et impetrandum. — Dicendum, quod opinio Præpositivi fuit, etc., sicut jam patuit. *Cf.* p. 334 A'. Alii econtrario dixerunt, quod suffragia magis valent ei pro quo specialiter fiunt. Utraque autem opinio secundum aliquid vera est. Valor namque suffragiorum ex duobus pensatur. Primo, ex virtute caritatis, quæ facit omnia bona esse communia : et secundum hoc, verum est quod plus valent ei qui caritate magis repletus est, quamvis specialiter pro ipso non fiant. Sicque valor suffragiorum magis attenditur secundum quamdam congratulationem et interiorem consolationem, secundum quod unus in caritate exsistens, de bonis alterius delectatur post mortem, quantum ad pœnæ diminutionem : post mortem quippe non est locus acquirendi augmentandique gratiam, ad quod valent nobis in vita hac opera aliorum ex caritatis virtute. Secundo valor suffragiorum pensatur ex hoc, quod per intentionem unius alteri applicantur : sicque certum est quod magis valent ei pro quo fiunt, imo ei soli sic valent. Satisfactio enim proprie ad dimissionem pœnæ ordinatur : hinc quantum ad pœnæ dimissionem, præcipue valet suffragium ei pro quo fit. Unde secunda opinio habet plus de veritate. — Hæc Thomas.

Quocirca videtur, quod secunda positio

simpliciter vera sit, quia nec ipsa intentio impendentis suffragium, Deo accepta est et efficax subvenire, nisi in quantum ex caritate procedit ac informatur. Et quamvis caritas habitualis ad omnes indifferenter se habere dicatur, attamen actus ejus in operibus imperatis ab ea, ad certam personam interdum dirigitur: et tunc opus illud etiam ex parte caritatis actualis plus prodest illi pro quo fit et cujus salus specialiter desideratur, quam alteri; et tanto plus subvenit ei, quanto relevamen ipsius ferventiori dilectione optatur.

Amplius quæritur, utrum suffragia facta pro multis, tantumdem valeant singulis ac si pro unoquoque singulariter fierent. Dicendum, quod si valor suffragiorum consideretur secundum quod valent ex virtute caritatis membra Ecclesiæ unientis, suffragia pro multis facta, tantum singulis prosunt ac si pro uno solummodo fierent: quoniam caritas non minuitur ex hoc quod affectus ejus distribuitur in multos, imo magis augetur. Similiter gaudium, quando pluribus est commune, fit majus, ut ait Augustinus octavo Confessionum: sicque de uno facto bono non minus lætantur multi in purgatorio quam unus. Si autem consideretur valor suffragiorum in quantum sunt quædam satisfactiones per intentionem facientis translatæ in mortuos applicatæque eis, magis valet suffragium alicui quod pro eo singulariter fit, quam quod communiter fit pro eo ac pro aliis. Sic enim effectus suffragii dividitur æquitate divina inter eos pro quibus suffragia exhibentur. — Hæc Thomas in Scripto.

Præterea quæri potest, an suffragia communia, tantum valent illis quibus specialia non fiunt, quantum illis pro quibus fiunt communia et specialia simul. Ad quod dicendum quod non. Et hoc patet ex responsione ad penultimam quæstionem: quoniam suffragia quæ specialiter fiunt pro aliquo, magis prosunt ei quam aliis. Sed contra hoc argui potest, quia in littera dicitur: *Cf.* p. 320. Ex hoc suffragia mortuis prosunt, quia

A dum hic vixerunt, illud meruerunt ut ipsis prodessent. Sed quidam pro quibus non fiunt, magis meruerunt ut ipsis prodessent, quam illi pro quibus fiunt. Et respondendum, quod meritum istud est conditionale. Hoc etenim modo promeruerunt ut sibi prodessent, si pro eis fierent: quod nil aliud est, quam se habiles facere ad recipiendum suffragia. Unde patet quod non directe meruerunt illud juvamen suffragiorum, sed per præcedentia merita se habilitaverunt ut fructum suffragiorum B susciperent: hinc eorum meritum non frustraretur, quamvis suffragia eis non impenderentur. Hæc Thomas.

In quibus plene continentur quæ Albertus scribit de his; similiter scripta Petri. Et concordat Richardus, qui insuper quærit, utrum suffragia determinate facta pro uno, prosint omnibus exsistentibus in purgatorio. Respondet: Ad causandum pœnam in aliquo, duo concurrunt. Primum est virtus seu potestas agentis; secundum, dispositio patientis: actus enim C activorum sunt in patiente disposito. Potest ergo pœna diminui per diminutionem utriusque illorum, sicut per augmentum cujuslibet horum potest augeri. Hinc inæqualiter dispositi ad patiendum, ab æquali virtute inæqualiter patiuntur: propter quod (secundum Avicennam sexto Naturalium) multum dispositi ad tristitiam, ex modica causa vehementer tristantur. Itaque quoad diminutionem pœnæ primo modo, suffragia determinate facta pro uno, aliis non prosunt, quia sic virtus eorum D alios non attingit. Secundo autem modo prosunt et aliis, quoniam misericordia Dei sic providente, suffragia facta pro quocumque exsistente in purgatorio, ceteris omnibus innotescunt: idcirco ex mutua caritatis affectione congaudent ei pro quo facta sunt, atque ex illa congratulatione disponuntur ad minus contristandum de propria pœna. Quia (ut dicitur septimo Ethicorum) cuicumque tristitiæ repugnat ex genere quæcumque delectatio: ideo mitigat eam. Hæc Richardus.

Qui etiam contra opinionem Præpositivi A
Cf. p. 334 A'. prænarratam sic arguit : Si ita esset ut ait illa opinio, tunc ille qui pro uno defuncto tenetur dicere Missam unam, similiter unam pro alio, dicendo unam pro illis duobus, cuilibet solveret quod ei tenetur. Item bonum finitum quod sufficeret ad plenariam liberationem unius animæ de purgatorio, sufficeret ad liberationem omnium animarum aliarum ad æqualem pœnam obligatarum. Præterea consuetudo Ecclesiæ esset inutilis, quæ interdum suffragia facit pro specialibus personis. Quæ B omnia falsa sunt. Hæc idem.

Præterea Antisiodorensis diligenter et
Cf. p. 330 C'. prolixe hic recitat duas præhabitas opiniones de diminutione pœnarum inferni per suffragia Ecclesiæ, nec videtur mihi ad aliquam earum multum se inclinare,
Cf. p. 331 C. quamvis jam dictum sit quod consentiat opinioni quæ ait quod pœnæ illæ diminuuntur.

Quærit etiam quantum prosint suffragia exsistentibus in purgatorio. Et respondet : Suffragia Ecclesiæ sunt meritoria C causa purgationis eorum qui in purgatorio sunt. Deus vero est efficiens causa purgationis ipsorum immediata : purgat namque immediate ad Ecclesiæ merita. Quadruplex namque est purgatio. Prima est a macula peccati, seu a similitudine diaboli : quam purgationem facit Deus mediate, videlicet mediante fide, juxta il-
Act. XV, 9. lud in Actibus : Fide purificans corda eorum. Secunda purgatio est in præsenti per satisfactionem. Remanent namque peccati vestigia post emundationem a ma- D cula, et ab illis vestigiis oportet animam purgari. Quam purgationem facit Deus mediante pœnitentia : oportet enim quod homo puniat se, vel quod Deus puniat eum. Tertia purgatio est in purgatorio : quam efficit Deus mediante purgatorii igne. Quarta purgatio est per suffragia Ecclesiæ : et hanc agit Deus immediate. Nec in hoc derogatur justitiæ : satisfactum est enim pro illo pro quo satisfecit Ecclesia. Hæc Antisiodorensis.

QUÆSTIO IV

Postremo hic quæritur, **An Sancti orationes nostras cognoscant, et an semper exaudiantur pro nobis.**

Videtur quod non : quia quum sint in caritate ferventissimi, atque in Deo præpotentes et maxime opulenti, si indigentias, orationes et periclitationes nostras cognoscerent, videtur quod indilate succurrerent nobis. — In Isaia quoque dicitur Deo : Pater noster es, et Abraham nescivit *Is.* LXIII, 16.
nos, et Israel ignoravit nos. Ubi Glossa testatur, quod mortui, etiam sancti, nesciunt quid agant vivi, etiam eorum filii. Et sumitur ab Augustino in libro de Cura agenda pro mortuis, ubi hæc verba inducit, et ait : Si tanti Patriarchæ ignoraverunt quid circa populum ab eis procreatum ageretur, quomodo mortui rebus et actibus vivorum cognoscendis ac adjuvandis miscentur ? — Ad idem allegari potest quod quarto Regum Dominus dixit Josiæ : Jam te colli- IV *Reg* XXII, 20.
gam ad patres tuos, ut non videant oculi tui mala quæ inducturus sum super locum istum. Sed per hoc non fuisset Josiæ provisum, si post vitam hanc cognovisset quod suo populo eveniret.

In oppositum est quod super illud Job, Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobi- *Job* XIV, 21.
les, non intelliget, scribit Gregorius : Hoc de animabus sanctis sentiendum non est, quia qui intus claritatem Dei vident, nihil est foris quod ignorent. — Hoc quoque fuit error Vigilantii, quod Sancti defectus nostros nesciant, ut contra eum scribit Hieronymus.

Ad hoc Henricus in Quodlibetis respon- Quodl. VII, q. 5.
det, quod Sancti in patria, in increato Dei lumine omnia intuentur quæ scire desiderant, et quorum cognitio eos concernit, etc., prout in Scripto super secundum ex *Cf.* t. XXI, p. 295 C'; XXIII, p. 253 A'.
ipso et aliis est introductum.

Hinc etiam Thomas hic scribit : Divina

essentia est sufficiens medium cognoscendi omnia, quoniam Deus suam videndo essentiam omnia intuetur. Non tamen sequitur quod quicumque divinam videt essentiam, omnia noscat, sed solum qui eam plenarie comprehendit : quod soli competit Deo. Unde de quibusdam Dei effectibus angeli inferiores a superioribus instruuntur, ut S. Dionysius loquitur. (De Cœlest. hier. c. VII; de Eccl. hier. c. V.) Verum unusquisque Beatorum tot et tanta cognoscit in divina essentia, quantum beatitudinis suæ requirit perfectio, ad quam exigitur ut homo habeat quidquid velit, nec inordinate aliquid velit. Hoc autem recta voluntate vult unusquisque, ut ea quæ ad ipsum pertinent, noscat : hinc Beati omnia illa cognoscunt in Verbo. Hoc etiam ad eorum pertinet gloriam, ut indigentibus subveniant ad salutem, et in hoc Dei cooperatores exsistant ; eos quoque cognoscant, et vota ac preces eorum a quibus invocantur, amantur atque coluntur. — De hac autem supernaturali cognitione Sanctorum non loquitur Augustinus, sed de naturali. Et supernaturalem illam cognitionem in Verbo non habuit Abraham ante Salvatoris passionem. Nec beatificam illam cognitionem habentes, afficiuntur aliquo compassionis dolore ex cognitione adversitatum viatorum quos diligunt. Nec aliter cupiunt invocantibus se subvenire, quam a Deo dispositum eique placitum esse cognoscunt, quum ejus voluntati ac æquitati sint plenarie conformati. Verumtamen sancti in limbo poterant aliqua doloris affectione moveri ex cognitione malorum quæ noverant caris suis accidere, quorum actus et gesta ex revelatione poterant scire. — De naturali autem et multiplici cognitione animarum a corpore separatarum, tractatum est super secundum diffuse. (*Cf.* dist. IV, q. 4.)

Denique expediens nobis est et salubre, Sanctos Altissimi jugiter invocare : quia ut divinus Dionysius protestatur, (De Cœlest. hier. c. VIII.) iste est ordo divinitus institutus in rebus, ut infima per media reducantur in primum et summum bonum. Idcirco nos exsules et infirmos peregrinos oportet ad cœleste regnum perduci, atque charismata gratiarum participare per auxilia Beatorum, qui Deo propinqui sunt, et ei immediate conjuncti tanquam amici et adoptivi filii, quorum sanctæ affectiones ac puræ orationes Creatori sunt gratæ. Et quamvis Sancti majores sunt Deo magis accepti ac similiores, tamen expedit quandoque inferiores Sanctos exorare, quintuplici ratione. Primo, propter majorem devotionem quam quis habet ad Sanctos minores. Secundo, ad tollendum fastidium quod posset homo incurrere eosdem Sanctos jugiter invocando. Idcirco dum nunc istum, nunc illum precamur, devotionis affectio per singulos renovatur et inflammatur. Tertio, quia quibusdam Sanctis ex specialibus meritis eorumdem datum est in specialibus causis patrocinari. Quarto, ut omnes honorentur ac invocentur. Quinto, quoniam multiplicatis intercessoribus, facilius ac copiosius impetratur.

Præterea si quæratur, an Beati et Sancti semper exaudiantur a Deo pro nobis, aut etiam pro se ipsis; videtur quod non, quoniam sic omnes certissime salvaremur, quum orent pro omnibus nobis. In Apocalypsi namque sanctis legitur martyribus ultionem justam petentibus divinitus esse responsum, ut exspectarent tempus adhuc modicum. (*Apoc.* VI, 11.) Apud Jeremiam quoque Dominus ait : Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. (*Jer.* XV, 1.) In oppositum est, quod voluntas Beatorum in omnibus adimpletur, et increatæ voluntati omnino est conformata : nil volunt, nil rogant quod voluntati Dei non consonet. — Dicendum, quod Sancti dupliciter dicuntur orare pro nobis. Primo, oratione expressa, dum vocibus suis aures pietatis divinæ pro nobis pulsant. Secundo, oratione interpretativa, scilicet per merita sua, quæ coram Deo præsentia, non solum cedunt ipsis ad gloriam, sed etiam nobis sunt suffragia ac quædam orationes: quemadmodum sanguis Christi pro nobis effusus, dicitur nobis veniam postulare. At-

que utroque modo Sanctorum orationes, quantum in ipsis est, sunt efficaces ac dignæ ad impetrandum; sed ex parte nostri potest esse defectus, ita quod non consequimur fructum orationum ipsorum, secundum quod orant pro nobis secundo modo, utpote interpretative. Sed secundum quod orant pro nobis, votis suis aliquid nobis postulando, semper exaudiuntur : quia non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt nisi quod fieri cupiunt. Quod autem Deus vult simpliciter, utpote voluntate consequenti, semper impletur. Sed sicut non semper impletur quod Deus vult
dist. XLVII, q. 1. voluntate antecedente, prout super primum expositum est, ita nec semper impletur quod Sancti sic volunt. Per quod patet ad objecta solutio. Nempe, quod Dominus dixit de Moyse et Samuele, intelligitur de eisdem ut nondum beatis, et secundum statum quo aliqui fuerunt in vita præsenti. Oratio quoque illa in Apocalypsi, non fuit negata, sed dilata; nec aliud fuit nisi desiderium stolæ secundæ. — Hæc Thomas in Scripto.

Cf. t. XXI, p. 299 B'. Quibus Petrus concordans : Duplex est, ait, cognitio animarum sanctarum, sicut et angelorum. Una vespertina seu naturalis, quæ est notitia rerum in proprio genere: hac non vident ea quæ circa nos et a nobis aguntur. Alia matutina, quæ est rerum in Verbo : hac vident quædam eorum quæ fiunt in mundo, videlicet ea quæ aliquo modo ad eorum laudem aut gloriam pertinent; alia non vident, scilicet quæ eis impertinentia sunt, nisi in quantum eis revelantur a Verbo æterno. Quumque ad eorum laudem et gloriam spectet a viatoribus laudari ac invocari, et invocantibus subvenire, omnia talia norunt in Verbo.

Porro dum petitur, an Sancti semper exaudiantur; dicendum, quod obtinere aliquis aliquid potest dupliciter : primo, per viam justitiæ et meriti; secundo, per viam supplicationis ac gratiæ : quemadmodum in curia summi Pontificis dantur aliquæ litteræ de simplici justitia, quædam de gratia. Utroque modo Sancti obtinent pro
A nobis orantes. Ut enim in littera tangitur, Cf. p. 323, in littera.
juvant nos merito quod meruerunt in carne, et juvant nos voto quod fundunt Deo pro nobis. Et ex his duobus intercessio eorum semper est efficax. Verum intercessio eorum per modum meriti, est oratio interpretativa, et semper exauditur quantum est de se; interdum tamen non exauditur propter demerita nostra. Intercessio demum per modum voti, est oratio vera, et semper exauditur, quia non optant nisi quod sciunt Deum velle vel sim-
B pliciter, vel ipsis orantibus. — Hæc Petrus.

Richardus quoque hic ait, quod animæ in purgatorio exsistentes orant pro nobis, quum sint confirmatæ in caritate; similiter animæ Beatorum. Sed animæ Beatorum orando pro nobis, nullam ex hoc consequuntur utilitatem, nisi in hoc quod in augmentatione civium supernorum crescit aliquale gaudium accidentale singulorum. Orationes vero quas exsistentes in purgatorio faciunt pro nobis, interdum redundant in alleviationem pœnæ ipsa-
C rum : non quod in hoc mereantur, quum sint extra statum merendi sibi ipsis, loquendo de merito proprie dicto; sed in quantum nos per orationes earum meliores effecti, efficaciora facimus suffragia in relevamen pœnæ ipsarum.

Denique si quæratur, an animæ beatæ orent pro animabus in purgatorio detentis; dicendum, quod sicut in corpore naturali membra fortiora indigentibus et infirmis subveniunt, ita in corpore mystico Christi atque Ecclesiæ, non solum debent
D sibi invicem subvenire membra inter quæ est indigentia mutua, sed etiam illa quæ non indigent adjuvari, conveniens est indigentibus subvenire. Beatæ autem animæ sunt membra Ecclesiæ non indigentia adjuvari : ideo convenit ut exorent pro exsistentibus in purgatorio, quæ sunt membra Ecclesiæ adhuc indigentia ope. — Hæc Richardus.

Concordat Bonaventura dicendo : Sancti orant pro nobis, quoniam vident indigentiam nostram, et nostram optant salutem

A suæque civitatis instaurationem, et quoniam Deus ita instituit, ut ad eamdem beatitudinem pertinentes, invicem sibi cooperentur. — Sed objici potest, quia (secundum Damascenum) oratio est ascensus mentis in Deum; Beati autem non ascendunt mente ad Deum, imo immobiliter stant ei intenti. Et respondendum, quod mens nostra dicitur in Deum ascendere tribus modis. Primo, per novum adspectum in Deum, sicut dum homo revocat cogitationem suam ab aliis, et convertit se in Deum; sicque convenit viatoribus B tantum. Secundo, per adspectum alterius rei inferioris, ut dum quis cogitat humanam miseriam, et implorat misericordiam, ut relevet miseriam ipsam : ibi adspectus in Deum dirigitur, non quia de novo adspiciat ipsum, sed quia ad aliud inferius respiciat; et ita est in Beatis dum orant pro nobis, quia tunc indigentiam nostram considerant. Tertio, per continuationem intuitus primi, ut dum quis considerat Deum, qui est super se, et si continue considerat, continue ascendit, non quia ad aliud et C aliud scandit, sed quia indesinenter super se fertur; et ita incessanter est in Beatis. Itaque si primo modo dicatur oratio ascensus mentis in Deum, est tantum viæ; secundo modo est viæ ac patriæ; tertio, patriæ tantum. — Quumque arguitur, quod Beatus habet quidquid vult; dicendum, quod Beatus vult aliquid sibi, et aliquid aliis. Et ad substantiam beatitudinis suæ pertinet, ut habeat quidquid vult sibi; verum ut habeat quidquid vult aliis, non est de substantia beatitudinis, sed de consummatione et bene esse ipsius : quod non erit, nisi dum universi electi fuerint simul glorificati; quo facto, Sancti nec pro se neque pro aliis intercedent. Hæc Bonaventura.

Postremo Scotus primo hic sciscitatur, utrum anima separata intelligere possit quidditates sibi ante separationem habitualiter notas; secundo, utrum anima separata possit acquirere cognitionem alicujus prius ignoti; tertio, an anima separata valeat recordari præteritorum quæ cognovit conjuncta. Verum ad hæc responsum est partim super primum, plenius vero super secundum. Quarto quærit, utrum *dist.* III, *q.* 5, 6.
Beati cognoscunt orationes quas eis offerimus : quæ quæstio habet hic locum; sed respondendo ad eam, videtur tot involutiones inducere, tot singularitates inserere, quod talia recitare videtur veritates nunc elucidatas potius obscurare quam plenius explanare : idcirco dimitto.

DISTINCTIO XLVI

A. *Si valde malis detur mitigatio pœnæ.*

SED quæritur hic de valde malis, utrum et ipsi in aliqua pœnarum mitigatione Dei misericordiam sentiant, ut minus quam meruerint puniantur. Quidam autumant, eos nullam relevationem pœnæ habituros; quod confirmant Jacobi auctoritate, dicentis : Judicium sine misericordia fiet illi qui non fecit misericor- *Jacob.* II, 13.
diam. Augustinus etiam ait : Misericordia hic, judicium in futuro. Idem distinguens Aug. in ps. 100, n. 1.
quomodo omnes viæ Domini sint misericordia et veritas, ait : Erga sanctos, omnes *Ps.* XXIV, 10.
viæ Dei misericordia; erga iniquos, omnes veritas : quia et in judicando subvenit, Aug. in ps. 118 sermo
et ita non deest misericordia; et in miserando id exhibet quod promisit, ne desit 29, n. 8.
veritas. Erga omnes autem quos liberat et condemnat, omnes viæ sunt misericordia

et veritas : quia ubi non miseretur, vindictæ veritas datur. Dicens, Ubi non miseretur, dat intelligi aliquid a Deo fieri, ubi ipse non miseretur. — Sed his occurrit quod ait Cassiodorus super psalmum quinquagesimum, loquens de miseri-
Cassiod. in ps. L, 15. cordia et pietate Dei : Hæ duæ (inquit) res judicio Dei semper adjunctæ sunt. Ergo et in punitione malorum non est justitia sine misericordia. Idem de judicio et
Id. in ps. C, 1. misericordia ait : Hæc duo mutua societate sibi junguntur. In his breviter omnia opera Dei includit. Augustinus quoque respondens illis qui reproborum supplicia finem habitura contendunt, ita illorum repellit opinionem, asserens reprobos perpe-
Aug. Enchirid. c. 112. tuo puniendos, ut eorum supplicia mitigari aliquatenus non neget. Frustra, inquit, nonnulli æternam damnandorum pœnam et cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt : non quidem Scripturis adversando divinis, sed pro suo motu dura quæque molliendo et in leniorem
Ps. LXXVI, 10. flectendo sententiam, quæ putant in eis terribilius esse dicta quam verius. Non enim (inquiunt) obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas.
Rom. IX, 23. Hoc quidem in Psalmo legitur, sed de his intelligitur qui sunt vasa misericordiæ : quia et ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante, de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes æstimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem opinentur
Matth. XXV, 46. finiri posse eorum de quibus dictum est, Ibunt hi in supplicium æternum; ne hoc
Ibidem. modo putetur habitura finem felicitas eorum de quibus econtrario dictum est, Justi autem in vitam æternam. Sed pœnas damnatorum certis temporibus æstiment (si
Joann. III, 36. hoc eis placet) aliquatenus mitigari. Et sic quippe intelligi potest manere ira Dei in illis, id est, ipsa damnatio (hæc enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio), ut in ira sua, id est, manente ira sua, non contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus : quia nec Psalmus ait, Ad finiendam iram suam, vel, Post iram suam, sed, In ira sua. Quæ si sola esset alienari a regno Dei et carere magna multitudine dulcedinis Dei, tam grandis tamen est pœna, ut ei possint nulla tormenta quæ novimus, com-
Aug. Enchirid. c. 113. parari, si illa sit æterna, ista autem sint quamlibet multis sæculis longa. Manebit ergo sine fine mors perpetua damnatorum, et ipsa omnibus erit communis, sicut manebit communiter omnium vita æterna Sanctorum. — Ecce ita asserit hic, pœnas reproborum non esse finiendas, quod non improbat si dicatur eorum supplicio aliquod levamen adhiberi. Unde non incongrue dici potest, Deum etsi juste id possit, non omnino tantum punire malos in futuro quantum meruerunt, sed eis aliquid, quantumcumque mali sint, de pœna relaxare.

B. *Determinat præmissas auctoritates.*

Quod ergo dictum est, judicium sine misericordia fieri illi qui non fecit misericordiam, ita intelligi potest, quod judicium damnationis fiet illi qui non fecit misericordiam, pro eo quod fuit sine misericordia; vel fiet judicium ei sine misericordia liberante et salvante, qui tamen in aliqua pœnæ alleviatione misericordiam

Dei sentiet. Ita quum dicitur, Misericordia hic, judicium in futuro; non negatur quin in futuro sit misericordiæ effectus, et in electis, qui per misericordiam ab omni miseria liberabuntur, et in reprobis, qui minus quam meruerint, cruciabuntur. Sed hic non sine causa dicitur fieri Dei misericordia, et judicium in futuro : quia et hic multis modis miseretur Deus quibus non miserebitur tunc. Vocat enim Deus nunc peccatores et justificat, quod tunc non faciet; et tunc reddens singulis secundum merita sua, manifeste judicabit qui nunc occulte judicat. Cujus occultum judicium, ut ait Augustinus, intelligitur pœna qua quisque vel exercetur ad purgationem, vel movetur ad conversionem, vel si contemnit, excæcatur ad damnationem. Occultum ergo judicium Dei, pœna dicitur : qua judicat purgando, convertendo, vel excæcando. Judicia quoque Dei interdum appellantur dispensationes* ejus de omnibus rebus : unde, Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus; et, Judicia ejus abyssus multa. Judicium autem quo in futuro judicabit, intelligitur sententia Judicis qua ventilabitur area, id est, dividentur localiter boni a malis ministerio angelorum; et isti in vitam ducentur, illi in supplicium mittentur, qui nunc simul mixti sunt.

Cf. p. 341, in littera. — Aug. in ps. 9, n. 1. — * dispositiones — *Rom.* XI, 33. — *Ps.* XXXV, 7. — Cf. *Matth.* III, 12.

C. *De justitia et misericordia Dei.*

Sed quomodo justitiam Dei et pietatem, id est misericordiam, supra Cassiodorus duas esse res dixit quæ semper adjunctæ sunt judicio Dei? Justitia enim Dei et misericordia non duæ res sunt, sed una res, id est una divina essentia est, sicut supra pluribus auctoritatibus ostensum est : quia non est Deo aliud esse misericordem quam misericordiam, nec justum quam justitiam, sed idem prorsus. Nec aliud est esse misericordem quam justum, vel misericordiam quam justitiam, sed omnino idem : quia non denominative, sed essentialiter hæc de Deo dicuntur. Cur ergo dicit Scriptura de operibus Dei, quædam esse misericordiæ, quædam justitiæ? Si enim justitia Dei misericordia est, quæcumque sunt opera misericordiæ, esse videntur justitiæ, et econverso. — His responderi potest sic : Illis locutionibus quibus hujusmodi operum fiunt distinctiones, ut alia misericordiæ, alia justitiæ, alia bonitati attribuantur, non diversitas subjacentis, id est rei his vocabulis significatæ, exprimitur, sed varietas sensuum et effectuum in creaturis monstratur. Quum enim dicitur Deus justus vel justitia, essentia divina prædicatur, et etiam quod ipse sit distributor et judex meritorum, intelligi datur. Ita et quum dicitur misericors, essentia divina prædicatur, et insuper quod ipse sit miserorum liberator, intelligi datur. Similiter quum dicitur bonus, essentia divina prædicatur, et insuper auctor omnium bonorum ostenditur. Ita et quum dicitur Deus, essentia divina prædicatur, et ipse timendus ostenditur. Inde ergo quædam opera misericordiæ, quædam justitiæ dicuntur : non quin divina essentia hæc et illa operetur, et quin hæc et illa sint opera divinæ essentiæ, quæ dicitur misericordia et justitia; sed quia quædam sunt quibus ostenditur judex et æquus distributor, quædam quibus ostenditur miserator : misericors enim dicitur in natura, miserator in exhibitione. Et in quibusdam operibus dicitur

Cf. p. 342. — I Sent. dist. VIII, XIX, XXII.

effectus esse misericordiæ, in quibusdam effectus justitiæ : non quod aliud efficiat justitia, aliud misericordia Dei, si ad essentiam referas; sed quia ex quibusdam effectibus intelligitur judex, ex quibusdam miserator, vel ut quibusdam placet, justus et misericors. — Sed secundum hoc occurrit quæstio, quomodo ex aliis ostendatur justus, et ex aliis misericors, quum sit idem ei esse justum et esse misericordem. Si enim secundum eamdem rationem dicitur justus et misericors, ex eo opere quo intelligitur justus, intelligitur misericors, et econverso. Sed dixi supra, quia quum dicitur Deus justus et misericors, ita eadem divina essentia significatur, et secundum eam idem prædicatur, ut etiam quædam diversa intelligantur. Intelligimus enim per hoc eum esse miseratorem, et justum judicem. Quod evidenter Origenes ostendit, dicens : Omnia quæ Dei sunt, Christus est; ipse sapientia ejus, ipse fortitudo, justitia, sanctitas, ipse prudentia, ipse veritas. Sed quum unum sit in subjacenti, pro varietate sensuum diversis nuncupatur vocabulis. Aliud enim significat sapientia, aliud justitia. Quando enim sapientia dicitur, disciplinis te divinarum humanarumque rerum instruere intelligitur; quando justitia, distributor vel judex meritorum insinuatur. Ita et prudentia quum dicitur, doctor et demonstrator bonarum vel malarum rerum vel neutrarum intelligitur.

Origen. in Jer. hom. 8, n. 2.

D. *Auctoritatibus probat, quædam justitiæ, alia misericordiæ, alia bonitati attribui.*

Quod autem quædam opera misericordiæ, quædam justitiæ, quædam bonitati attribuantur, in Scripturis facile est reperire. Et de misericordia quidem et justitia manifestum est, de bonitate vero et misericordia amplius latet. Sed Augustinus docet, illa opera proprie ad misericordiam pertinere, quibus aliqui a miseria liberantur; ad bonitatem vero non solum illa, sed facturam et gubernationem naturalium, ita dicens : Ad misericordiam pertinet, quod a peccatis mundat et de miseria liberat; ad bonitatem vero, quod cœlum et terram et omnia valde bona creavit ut essent. Idem : Cœli non indigent misericordia, ubi nulla est miseria; in terra hominis abundat miseria, et superabundat Dei misericordia. Miseria ergo hominis et misericordia Dei plena est terra, non cœli, qui non indigent misericordia, indigent tamen regente Domino. Omnia enim indigent Domino, et misera et felicia : quia sine illo miser non sublevatur, felix non regitur. Item alibi : Misericordia est erga miseros, bonitas erga quoslibet. Interdum tamen misericordia large accipitur ut bonitas.

Aug. in ps. 135, n. 4.

Id. in ps. 32 sermo 2, n. 4.

Id. ap. Lyran. in ps. XXIV, 14.

E. *Quomodo universæ viæ Domini dicantur misericordia et veritas.*

Ps. XXIV, 10.

Aug. in ps. 24, n. 10.

Post hæc considerari oportet, ex quo sensu universæ viæ Domini dicantur misericordia et veritas. Hoc multiplicem recipit expositionem. Universæ enim viæ Domini, in quibus ad nos venit, ut ait Augustinus super Psalmum, intelliguntur

duo adventus : primus, in quo manifestam et multiplicem misericordiam exhibuit nobis; et secundus, in quo requirendo merita justitiam exhibebit. Universæ etiam viæ Domini, id est, quibus ad Dominum ascendimus, sunt justitia qua a malo declinamus, et misericordia qua bonum facimus. In his enim duobus omne bonum meritum includitur. — Sed quum superius Cassiodorus dixerit, in his duobus omnia *Cf* p. 342.
opera Dei includi, merito quæri potest, an in omni opere Domini hæc duo mutuo sibi jungantur. Quibusdam placuit, non in omni opere Domini hæc duo concurrere (secundum effectum dico : nam secundum essentiam non dividitur misericordia a justitia, sed unum est); verum secundum effectum, non in omni opere Domini dicunt esse misericordiam et justitiam, sed in quibusdam fatentur tantum misericordiam, in aliis justitiam, atque in aliis misericordiam et justitiam. Fatentur tamen, Dominum omnia quæ fecit, misericorditer agere et juste, referentes rationem dicti ad Dei voluntatem, quæ justitia est et misericordia, non ad effectus misericordiæ et justitiæ qui sunt in rebus. Aliis autem videtur, quod sicut dicitur Deus omnia opera sua juste facere et misericorditer, ita concedendum sit in omni opere Dei justitiam esse et misericordiam, id est clementiam, secundum effectum vel signum : quia nullum opus Dei est in quo non sit effectus vel signum æquitatis et clementiæ, sive occulte sive aperte. Aliquando enim manifesta est clementia sive benignitas, et occulta æquitas, aliquando econverso.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ SEXTÆ

POSTQUAM tractavit Magister de receptaculis et tormentis gaudiisque nonnullis impiorum ac electorum, nunc tractat de justitia et misericordia Creatoris, ex quibus diversitas illa retributionum procedit. Et quia in præhabita distinctione tetigit opiniones quorumdam, opinantium pœnas inferni per suffragia Ecclesiæ aliquantulum mitigari; idcirco primo hic investigat, an in pravissimis quoque hominibus habeat locum Dei misericordia in inferno. Quocirca inquirit, quomodo in omni opere atque judicio Dei simul inveniantur, commisceantur et contemperentur misericordia et justitia Omnipotentis, etiam in damnatis. Et de hoc ad utramque arguit partem, varias auctoritates tangendo quæ sibi invicem contrariari videntur, quarum concordantiam introdu-
A cit. Deinde subjungit brevissime de quodam occulto Dei judicio, quod in præsenti vita exercet dispensatione secreta, qua reprobis frequenter largitur prospera et jucunda, ex quibus ad graviora ruunt facinora, excæcantur et indurantur; electis vero concedit adversa, dura ac tristia, per quæ illi purgantur ac redeunt ad cor, pœnitent et sanantur. Consequenter loquitur de attributis istis, hoc est de justitia et misericordia Conditoris, et qualiter inter se distinguantur ac variis modis accipiantur,
B atque quo sensu dixit Psalmista, Universæ *Ps.* xxiv, 10.
viæ Domini misericordia et veritas.

QUÆSTIO PRIMA

HIc quæritur, **An Deo conveniat justitia in se ipso et in operibus suis, et utrum in omnibus agat juste.**

Videtur quod non, quia Deo proprium

est in omnibus liberrime operari, et quidquid voluerit facere, nulla lege arctari, sicut et ipse in Exodo per Moysen dixit : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Hæc autem non justitiæ sed tyrannidi magis convenire videntur. — Rursus, justitia virtus est qua unicuique quod suum est redditur, et respicit debitum. Deus vero nulli est debitor, imo ex mera liberalitate et bonitate sua dat omnia. — Amplius, justitia est virtus moralis ; virtutes autem morales Deo et separatis substantiis non conveniunt. Unde decimo Ethicorum testatur Philosophus, ridiculum esse deos per virtutes morales laudare, et eas illis adscribere.

Exod. XXXIII, 19.

In oppositum est Scripturæ auctoritas, et quod etiam juxta Philosophum, justitia est præclarissima virtus : ergo Deo (qui solus est absolute ac infinite perfectus) non deest, potissime quum ipse sit omnium summus judex. Ad judicem autem potissime spectat justitia : imo secundum Philosophum, ad judicem tanquam ad animatam justitiam confugiunt homines.

Ad hæc Guillelmus in diversis respondet tractatibus, hoc est, in libro de Fide et legibus, in volumine de Universo, in codice de Vitiis et virtutibus : Quemadmodum quidam hæretici justitiam Dei multipliciter impugnaverunt, saltem eo modo quo fides catholica eam Deo attribuit; ita visum est multis illorum, Deum non habere providentiam actuum humanorum, aut justum non esse, quum tot ac tantæ inordinationes contingant in genere humano, quas Deus vel ignorare, vel nimis dissimulare videtur : sicut et impii prosperantur, justosque opprimunt. Unde et sancti Prophetæ super hoc ingenti admiratione suspensi, variis modis sunt locuti. Dixit quippe Jeremias propheta : Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum; verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt ? Habacuc quoque : Mundi sunt oculi tui, et respicere ad iniquitatem non potes; quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio justiorem se ? — Verum ad ista et consimilia responsum est copiose in tractatu de Fato et providentia. Imo Deus gloriosus atque omnipotens, justitiam suam in regimine universi, in remuneratione actuum humanorum, in diversis impietatum ultionibus, apertissime, frequentissime ac terribiliter demonstravit, videlicet, in generali diluvio, in plagationibus Ægyptiorum, in variis visitationibus Hebræorum in solitudine, in exstirpatione Chananæorum, aliisque diversis justitiæ suæ effectibus, ut in divinis recitatur copiose Scripturis : quæ omnia quasi præambula quædam fuerunt et figuræ ac signa ultionum, retributionum, judiciorum ac operum quæ in fine sæculi efficiet ac monstrabit, prout in præallegatis libris præfatus doctor sapienter et clare prosequitur. De quibus hoc loco sufficiat ista in generali breviter tetigisse, præsertim quum in scriptis super primum et secundum plenius sint inducta.

Jer. XII, 1.

Habac. I, 13.

Cf. t. V, p. 45 et s.

Cf. t. XX, p. 497 et s. ; XXI, p. 97 D', etc.

Insuper de his S. Thomas loco hoc compendiose disseruit : Justitia (inquiens) proprie dicta æqualitatem constituit in acceptionibus et dationibus, ut quinto Ethicorum ait Philosophus. Quod contingit dupliciter. Primo inter dantem et accipientem, quatenus accipiens tantum a dante accipiat quantum accipere debet; et in hoc consistit justitia commutativa, quæ medium ponit ac servat in emptionibus et venditionibus, et omnibus retributionibus. Secundo, prout constituitur æqualitas inter duos recipientes, utroque æqualiter recipiente pro meritis; et in hoc consistit justitia distributiva. In commutativa ergo justitia requiritur æqualitas quantitatis, ut scilicet tantum unusquisque accipiat quantum dedit secundum valorem : ideo inter illos inter quos non potest esse quantitatis æqualitas, non potest proprie esse commutativa justitia, utpote quorum unus non potest alteri recompensare æquivalens in beneficiis acceptis ab alio. Atta-

men aliquis modus justitiæ potest esse A inter personas hujusmodi : ut dum filius pro posse suo gratus est et benefacit parentibus, ita quod quamvis non sit ibi æqualitas quantitatis, est tamen ibi æqualitas proportionis. Justitia autem distributiva non requirit æqualitatem quantitatis, sed proportionis : non enim oportet ut distribuens distribuat cunctis æqualiter, sed unicuique prout promeruit. Hæc ergo justitia convenit Deo. Justitia vero commutativa non est proprie inter Deum et creaturam, sed per quamdam assimilatio- B nem : dum sicut Deus confert creaturæ secundum liberalitatem et opulentiam suam, sic creatura ei rependit vicem juxta suæ parvitatis possibilitatem. Sicque assignantur duo modi divinæ justitiæ. Unus, in quantum reddit juxta merita recipientium : quod ad distributivam spectat justitiam. Alius, secundum quod facit quod decet excellentiam, bonitatem atque justitiam suam : sicque dicitur etiam justus in hoc quod parcit, indulget et benefacit indignis ; quia tam infinite bonus, pius et C liberalis consistit, ut hoc ipsum deceat eum : quod pertinet ad modum quemdam commutativæ justitiæ. — Porro Philosophus excludit a Deo virtutes morales, prout versantur circa civiles materias et animæ passiones.

Præterea quæritur, utrum opus Dei dicatur justum ex hoc solo, quod ei sic placet. Et respondendum, quod justitia et voluntas in Deo sunt idem secundum rem; secundum rationem vero justitia voluntati aliquid superaddit, videlicet ordinem di- D vinis effectibus convenientem, secundum quod unum alteri proportionaliter adæquatur. Est enim in rebus creatis duplex ordo : unus, quo creatura ordinatur ad Deum; alius, secundum quod una creatura dependet ab alia. Nomine igitur voluntatis non exprimitur nisi ordo creaturæ ad Deum; justitia vero includit simul cum hoc ordinem creaturæ ad creaturam. Quemadmodum enim igni in tali natura constituto debetur esse sursum, ordine rerum considerato ad invicem; sic culpæ debetur puniri secundum ordinem eumdem. Unde patet quod non ex hoc tantum aliquid dicitur esse justum, quoniam placet Deo, sed quia est debitum rei creatæ, secundum ordinem creaturæ ad creaturam. Nihil autem potest alicui rei debitum esse, nisi ratione suæ naturæ vel conditionis ; causa vero naturæ et proprietatum ejus est divina voluntas : ideo totus ordo justitiæ originaliter ad divinam voluntatem reducitur. Nihilo minus quidquid vult Deus, justum est, nec proprie ejus voluntas restringitur ipsa justitia. Quod enim in voluntate includitur, non eam restringit ; ex hoc ipso autem quod Deus vult naturam aliquam facere, vult ei conferre convenientia illi naturæ : ideo voluntas Dei non restringitur ejus justitia, nec justitia voluntati ejus potest resistere.

Quæritur quoque, an Deus possit prætermittere aliquid horum quæ concurrunt ad justitiam operis sui. Dicendum, quod opus justitiæ potest dupliciter prætermitti : primo, ut fiat contra justitiam ; secundo, ut fiat præter justitiam. Quum enim justitia dicatur per comparationem ad alterum, tunc contra ordinem ejus fit, quando ei subtrahitur quod ei debetur, aut quod requirit ejus conditio. Si vero aliquid plus ei impendatur, non est contra justitiam, sed præter eam : ut si quis alicui liberaliter bona sua communicet. Hinc sicut sine præjudicio justitiæ potest unus alteri plus dare quam debet, sic potest etiam ei minus infligere de malo pro peccato quod in se commisit. Sed sicut non potest sine injuria plus de bonis alterius conferre alicui quam ei debetur, ita non potest minus irrogare de pœna pro peccato commisso in alterum. Hinc judex non potest sine præjudicio justitiæ dimittere pœnas debitas peccatis commissis in Deum, vel in rempublicam, nisi forsan in quantum hoc viderit reipublicæ expedire. Quumque Deus sit bonorum omnium dominus ac dator, et in ipsum peccet omnis qui peccat ; ipse potest plus conferre de

bonis quam sit alicui debitum, et minus A inferre de malis seu pœnis, seu etiam totum relaxare; nec in hoc contra sed præter justitiam faceret. Si autem alicui minus conferret quam ei debetur, aut plus puniret quam peccavit, hoc esset contra justitiæ ordinem; nec Deus hoc posset, loquendo de potentia ordinata, sicut non posset facere quin opus ejus, quod esse participat, eum imitaretur. Ex hoc ipso enim aliquid alicui rei est debitum secundum exigentiam suæ conditionis, quod sine illo exemplar divinæ mentis secundum B propriam suam rationem imitari non potest. — Ex his patet, quod damnare Petrum, cui ex dono gratiæ meritis virtutum salus debetur, esset contrarium justitiæ. Sed Judam salvare, non esset contra justitiam, sed præter eam; esset tamen contrarium præscientiæ ac dispositioni æternæ, qua æternam ei pœnam paravit. Hinc ordo justitiæ non impedit quin possit salvare Judam, sed impedit hoc ordo præscientiæ ac dispositionis æternæ.

Præterea quæri potest, utrum Deus ne- C minem puniat nisi pro culpa. Dicendum, quod pœna ex propria ratione semper importat aliquod nocumentum; ex hoc quoque est aliquid nocivum, quia per ipsum subtrahitur aliquod bonum. Inter bona vero hominis quædam sunt ei per se bona, sicut quæ ei conveniunt in quantum est homo; quædam vero secundum ordinem ad illa principalia bona, ut temporalia, quæ in tantum sunt homini bona, in quantum ad spiritualia ei proficiunt. Ideo septimo Ethicorum dicit Philosophus, quod D bona fortunæ sunt judicanda secundum comparationem ad virtutem. Hinc pati detrimentum in spiritualibus bonis gratiæ ac virtutum, semper est malum. Pati autem detrimentum in temporalibus, quandoque est malum, ut dum impedit ab operatione virtutum; interdum vero est bonum, quando expedit ad spiritualem profectum. Quumque pœna dicatur, quoniam nocet: ideo detrimentum in spiritualibus est semper pœna; detrimentum vero in temporalibus tunc solum est pœna, quando a spiritualibus impedit. Verumtamen quod natura nostra ita infecta sit, ut sine temporalibus detrimentis corporalibusque incommodis et adversis, ad spiritualem perfectionem nequeat pervenire, ex culpa peccati venit quo tota natura vitiata est: idcirco dicendum, quod pœna proprie loquendo, non infligitur nisi pro culpa; non tamen semper pro propria culpa patientis præcedente in sua persona, quamvis non sine culpa præcedente in natura. Porro post vitam hanc, cessante spirituali profectu, nemo hujusmodi malum sine culpa propria patietur. In spiritualibus autem bonis nemo directe sustinet detrimentum, nec in vita hac neque in futura, sine propria culpa.

Cf. t. XXII, p. 490 B.

Amplius potest quis sciscitari, utrum Deus justius agat cum uno quam cum alio. Respondendum: Actio quum sit media inter agentem et effectum, potest ex utraque parte modificari. Hinc dum quæritur, an Deus justius agat cum uno quam cum alio; si hoc referatur ad actionem prout egreditur ab agente, Deus non agit justius cum uno quam cum alio, quia justitia Dei una invariabilisque consistit; si autem referatur ad actionem prout terminatur ad effectum, sic quoque dici non potest, quod cum uno justius agat quam cum alio, eo quod opus aliquod dicitur ex hoc justum, quod est proportionaliter adæquatum. Æqualitas vero sive quantitatis sive proportionis, ejusdem est rationis in minimis et in magnis: sicut eadem proportio est inter duo et unum, et inter viginti et decem; eadem quoque æqualitas quæ est inter unum et unum, est inter centum et centum. Idcirco non potest unum opus esse justius altero, dummodo utrumque sit justum. Eadem namque servatur justitia, dum mala redduntur pro malis, et bona pro bonis, sive sint magna, sive parva. Verumtamen, quia in nobis non requiritur ad virtutem, semper attingere medium, sed sufficit quandoque juxta medium esse, propter difficultatem inventionis me-

dii : hinc apud nos unus dicitur alio ju- A stius agere, secundum quod magis vel minus accedit ad medium. Deus autem, cui semper sunt notæ omnium rerum mensuræ, in sua operatione ad medium indivisibile semper pertingit : ideo nullo modo justius cum uno quam cum alio agit.

Sed contra hoc objici potest, quia misericordius agit cum uno quam cum alio. Item puniri peccata est actus justitiæ; sed magis punit unum quam alium, et magis relinquit unum quam alium. — Et respondendum ad primum, quod misericordia B respicit absolute divinum effectum, non concernendo aliquam proportionem vel æqualitatem in ipso. Unde secundum majorem vel minorem misericordiæ effectum, dicitur misericordius cum uno quam cum alio agere, si hoc referatur ad actionem secundum quod terminatur ad effectum; non autem, si referatur ad eam secundum quod ab agente egreditur, quoniam ipse una et invariabili misericordia cum omnibus misericorditer agit. Nec tamen sequitur, quod aliquo modo cum uno C justius agat quam cum alio : effectus enim misericordiæ non est contra justitiam, sed præter eam. Ad secundum, quod punitio non est effectus justitiæ, secundum quod hujusmodi, sed in quantum proportionata est culpæ. — Hæc Thomas.

QUÆSTIO II

NUnc specialiter inquirendum, **An pro** D **temporali culpa infligat justitia Dei æterna supplicia.**

Videtur quod non, quoniam pœna debet culpæ esse proportionata (juxta illud Deuteronomii : Secundum mensuram delicti erit plagarum modus); nec unum debet improportionabiliter excedere aliud. Æternum autem est infinitum; temporale, finitum : ergo pœna æterna nequaquam proportionata est nec debetur temporali peccato.

Deut. xxv, 2.

Hæc sunt Thomæ.

Dicendum, quod pœna duplicem habet quantitatem : unam penes intensionem acerbitatis, aliam secundum durationem temporis. Quantitas pœnæ correspondet quantitati culpæ, secundum intensionem acerbitatis; ut secundum quod gravius peccavit, secundum hoc ei pœna gravior infligatur, juxta illud Apocalypsis : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum. Sed duratio pœnæ non correspondet durationi culpæ, ut patet de homicidio et ejus punitione; sed duratio pœnæ respicit dispositionem agentis. Unde interdum pro dissensione excitata in civitate, celeriter aliquis perpetuo damnatur exsilio. Interdum vero non meretur totaliter a societate communitatis excludi : hinc ut fiat conveniens membrum civitatis, pœna ei prolongatur aut breviatur, prout expedit ejus correctioni. Conformiter, per omne peccatum mortale, quod caritati contrariatur, meretur homo a civitate Dei in æternum excludi (cujus civitatis cives caritatis vinculo uniuntur), ac inde exclusus, perpetuo tradi exsilio ac tormento. Nam sicut in libro de Civitate Dei asserit Augustinus, quod est de civitate ista mortali hominem morte prima seu temporali auferri, hoc est hominem de civitate illa superna supplicio mortis secundæ tolli. Quod autem pœna quam civitas mundana infligit, non est perpetua, contingit per accidens, vel quoniam homo non manet perpetuo in hac vita, aut ipsa civitas deficit. Nam si homo perpetuo viveret, pœna exsilii, servitutis, mutilationis, quæ per legem inferuntur humanam, in eo perpetuo permaneret. — Sunt et aliæ rationes a Sanctis assignatæ, cur temporale et breve peccatum juste a Deo æternaliter puniatur. Una est, quoniam peccaverunt contra bonum æternum, contemnendo vitam æternam. Unde asserit Augustinus : Factus est homo dignus malo æterno, quia hic peremit bonum quod potuit esse æternum. Alia est, quia homo peccavit in suo æterno, et vellet sine fine peccare, si posset in vita hac sine fine manere. Tertia,

Apoc. xviii, 7.

quoniam sicut Deus est dignitatis et sanctitatis penitus infinitæ, sic peccatum est enormitatis suo modo immensæ : quo etenim major et dignior est is in quem peccatur, eo gravius est peccatum. — Et si quæratur, ad quid utilis erit æterna illa miserorum punitio; dicendum, quod ad duo. Primo, quia in ea relucebit divina justitia. Secundo, quia electi ex ejus inspectione ampliores gratias agent Altissimo, cujus pietate et gratia evaserunt tot mala. Hæc Thomas in Scripto.

Consonat Petrus, dempto eo quod Thomas ait, Deum nullo modo justius agere cum uno quam cum alio. Quocirca Petrus affirmat : Dum quæritur, an Deus justius agat cum uno quam alio, potest comparatio dupliciter fieri. Primo, effectus ad effectum : et sic justius facit cum uno quam alio, id est, majorem effectum justitiæ ostendit. Secundo, modi ad modum : et sic non, quia in omnibus perfecte tenet medium. Hæc Petrus.

Cf. p. 348 C'.

Richardus vero in isto sequitur Thomæ responsionem, et insuper scribit : In Deo est justitia, quæ vocatur rectitudo voluntatis qua vult unicuique dare quod promeretur, seu quod suam condecet bonitatem, pietatem seu majestatem. Denique opera justitiæ, secundum quod justitia respicit exigentiam demeritorum absolute, Deus prætermittere potest, et prætermittit quotidie etiam in punitione perpetua damnatorum, quoniam punit eos citra condignum, non quantum ad pœnæ durationem, sed quantum ad intensionem seu acerbitatem. Opera vero justitiæ, secundum quod justitia respicit exigentiam meritorum vel demeritorum in comparatione ad condecentiam bonitatis sui ipsius retribuentis, prætermittere nequit, sicut nec illud negare quod suam condecet bonitatem. Hæc Richardus.

At vero Bonaventura respondendo ad istud, utrum Deus agat justius cum uno quam cum alio : Justitia (inquit) in opere, uno modo dicit severitatem, alio modo ordinem. Itaque secundum primam acceptionem, Deus justius agit cum uno quam cum alio. Magis enim punit unum quam alium, quemadmodum melius facit unum quam aliud. Juxta secundam acceptionem, videlicet prout justitia dicit ordinem et respectum præmii ad meritum, justissime retribuit omnibus. Nam sicut ea quæ producit optime ordinat, sic in remunerando ordinat optime atque æquissime præmia ad merita.

Si vero quæratur, an Deus misericordius agat cum uno quam alio; dicendum, quod magis misereri, tripliciter potest intelligi : primo, majori habitu ; secundo, majori actu; tertio, majori effectu. Primo modo et secundo dico quod non; sed tertio modo, scilicet quantum ad effectum, qui est relevatio a miseria, verum est tam in præsenti quam in futuro. Verumtamen aliter nunc et aliter tunc. Nunc enim effectus misericordiæ sunt principales, effectus vero justitiæ sunt annexi; tunc vero effectus justitiæ erunt principales, et effectus misericordiæ erunt annexi : quia tunc reddet Deus unicuique secundum opera sua, nunc autem secundum suam benignitatem. Ideo simpliciter magis miseretur in præsenti ejus cujus vult magis misereri, in futuro autem magis ejus qui magis eget. Unde magis misero plus condonabit secundum quantitatem absolutam, non secundum quantitatem relatam. — Hæc Bonaventura. Cujus hoc ultimum verbum intricatum videtur, nisi forsitan referatur ad exsistentes in purgatorio, qui per suffragia diversimode adjuvantur, vel ad damnatos, quantum ad hoc quod citra condignum torquentur.

Matth. XVI, 27.

QUÆSTIO III

MOdo quærendum, An in Deo sit misericordia, et de ejus effectibus; specialiter vero, an in omni opere Dei misericordia et veritas seu justitia Dei resplendeant.

Videtur quod misericordia non conve-

niat invariabili superbeatissimo Deo. Misericors enim dicitur quasi miserum cor habens; miseria autem longissime est a Deo. — Rursus, misereri est condolere et compati, quod est quædam afflictio.

In contrarium est Scriptura.

Circa hæc scribit Thomas (qui in distinctionibus istis satis multiplicat quæstiones; unde multas sub uno comprehendo articulo): Ex hoc (inquiens) homo vocatur misericors, quod alterius miseriam facit suam; et hoc quantum ad duo. Primo, quod ex miseria aliena afficitur, in quantum compatitur patienti. Secundo, quod alterius miseriam reputat quasi suam, et inde movetur ad repellendum illius miseriam, impendendo beneficium sive auxilium. Quantum ad primum horum duorum non convenit misericordia Deo, in quo nulla potest recens affectio neque compassio esse; sed quantum ad secundum convenit Deo misericordia, quia per pietatem et gratiam suam subvenit aliis, et eos a suis miseriis relevat. Et sicut homo alium a suis calamitatibus relevans, non suam sed illius intendit ac quærit utilitatem; ita, imo et multo plus Deus, qui ex pura propria bonitate aliis auxiliatur et parcit. Hinc communiter dicitur, quod in Deo non est misericordia secundum compassionis affectum, sed secundum pietatis effectum.

Circa hoc quæritur, an secundum eamdem rationem dicantur in Deo misericordia et bonitas. Dicendum, quod realiter idem sunt, sed differunt ratione tripliciter. Primo, quoniam misericordia potissime respicit terminum *a quo;* bonitas autem, terminum *ad quem :* is namque cui Deus beneficia elargitur, fit de deficiente perfectus. Bonitas ergo respicit communicationem perfectionis, quoniam bonum diffusivum est sui; misericordia autem, remotionem defectus. Secundo, quia misericordia proprie pertinet ad providentiam Dei qua bona sua communicat solum rationalibus creaturis : concernit quippe miseriam, quæ quum sit felicitati contraria, A locum non habet proprie nisi in rationali creatura, quemadmodum nec felicitas. Bonitas vero respicit providentiam respectu quarumlibet creaturarum. Tertio, quod misericordia designat quamdam assimilationem providentis ad eum cui providet, in quantum providens alterius miseriam reputat quasi suam : ideo misericordia esse non valet nisi in natura intellectuali, quæ habet existimationem alienæ miseriæ. Bonitas autem ordinem habet ad communicationem simpliciter : unde cuilibet creaturæ perfectionem communicabilem habenti, potest bonitas convenire.

B

Porro si quæras, ad quod attributum divinæ naturæ opus misericordiæ reducatur; dicendum, quod omne opus Dei procedit a bonitate, sapientia atque potentia ejus. Nihilo minus quædam opera appropriantur sapientiæ, quædam potentiæ, etc., secundum quod in ipso mirabilius aut evidentius refulget aliquid attributorum illorum. Quumque potentia importet absolutam rationem principii aliquid producentis, et sapientiæ sit ordinare : hinc

C

ad sapientiam pertinet modus producendi rem, quo aliquid ordinate producitur. Bonitas vero, quæ habet rationem finis, respicit motivum ad producendum. Ideo in opere creationis, in quo admirabile redditur hoc præsertim, quod res ex nihilo in esse productæ sunt, maxime manifestatur divina potentia; in opere gubernationis, quo res ordinate disponuntur, redditur ordo rerum admirabilis : idcirco adscribitur sapientiæ. Opus demum recreationis mirabile redditur ex ipso recreationis motivo

D

quod movit Deum ad tantam gratiam circa nos : quia non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed ex sua benignitate salvos nos fecit : propter quod præcipue attribuitur bonitati. Quumque ex hoc aliquid dicatur misericorditer factum, quod non ex debito sed ex bonitate largientis confertur; ideo opus misericordiæ, in quantum hujusmodi, bonitati appropriatur. *Tit.* III, 5.

Præterea quæritur, an Deus ex misericordia sua semper puniat citra condi-

gnum. Et respondendum, quod agens et patiens semper debent sibi mutuo proportionaliter correspondere : ita quod sicut se habet agens ad actionem, sic patiens ad passionem. Inæqualia autem non habent similem proportionem nisi ad inæqualia. Nam sicut senarius major est quaternario; ita ternarius, cujus duplum est senarius, est major binario, cujus duplum est quaternarius. Hinc quandocumque agens excedit patiens, oportet quod actio excedat passionem, ut patet in omnibus agentibus æquivocis, quoniam patiens non recipit totum actionis effectum. Dans autem, se habet per modum agentis; et recipiens, per modum patientis. Ideo quando dans superexcedit recipientem, conveniens est ut datio excedat illam receptionem quæ est recipienti proportionata. Quumque Deus sit excellentissimus dator propter suæ superabundantiam bonitatis, oportet quod datio ejus semper excedat receptionem recipienti proportionatam. Pro eodem autem computatur minus malum et majus bonum, ut quinto dicitur Ethicorum : hinc Deus semper ultra condignum dat de bonis, et de malis pœnæ irrogat citra condignum.

Sed his objici potest illud Apocalypsis : Quantum glorificavit se, etc. — Et denuo : Duplicate ei duplicia juxta opera manuum suarum. *Apoc. xviii, 7. Ibid. 6.*

Et respondendum, quod *quantum* et *tantum* non important æqualitatem quantitatis, sed proportionis, in auctoritate illa Apocalypsis. Proportio autem pœnæ ad culpam potest attendi dupliciter, puta : in generali et speciali. In generali, ut qui peccavit, puniatur; et qui multum peccavit, multum puniatur. In speciali quoque dupliciter : vel accipiendo proportionem pœnæ ad culpam secundum debitum culpæ absolute; vel præsupposita mitigatione divinæ misericordiæ aliquid de pœna remittentis. Itaque primo ac tertio modis Deus nunquam punit citra condignum : quoniam semper multum punit multum peccantes, nec aliquid de pœna remittitur

A quæ post mitigationem divinæ misericordiæ remanet. Quantum vero ad secundum modum, semper punit citra condignum : quia non tantum punitur quis quantum per culpam promeruit. Vel dicendum, et melius, quod æqualitas ista proportionalitatis est, non quantitatis, et attendenda non secundum comparationem pœnæ ad culpam, sed secundum proportionem duorum peccantium ad duas pœnas : ut scilicet qui plus peccavit, plus puniatur; et secundum quod exceditur in peccato, ex-
B cedatur in pœna. Sicque intelligendæ sunt omnes auctoritates quæ videntur insinuare æqualitatem pœnæ et culpæ. — Ad aliam auctoritatem dicendum, quod duplicitas illa pœnæ non intelligitur secundum excessum pœnæ ad culpam in duplo, sed quod homo in duobus punietur, puta in anima et corpore. — Porro quod dicitur, quod plus exigitur in pœnis quam commissum est in culpis, intelligitur quantum ad temporis durationem, quia pro delectatione momentanea infligitur pœna æterna. —
C Denique quod Jacobus ait apostolus, Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam, intelligitur de misericordia liberante a pœnis totaliter. *Jacob. ii, 13.*

Præterea quæritur, utrum etiam in peccato originali damnati, aliquid misericordiæ consequuntur. Dicendum, quod in peccato originali secundum rigorem justitiæ non solum pro pœna debetur divinæ visionis carentia, sed etiam ipsius naturæ annihilatio. Idcirco in hoc quod pueris illis naturalia conservantur, citra condignum
D puniuntur.

Amplius quæritur, an in omni opere Dei misericordia et justitia conjungantur, et quod horum duorum sit principalius in operibus Dei. Dicendum ad primum, quod operatio Dei est quasi medium inter Deum operantem et ejus effectum. Medium autem aliquo modo participat cum utroque extremorum. Ideo in operatione Dei oportet aliquid inveniri ex parte Dei operantis, et aliquid ex parte effectus. Et ex parte Dei requiritur quod sit superabundantia

in collatione bonorum et in diminutione A pœnarum : atque in hoc consistit misericordia Dei. Ex parte vero effectus requiritur receptio, quæ fit secundum proportionem recipientis : et in hoc ratio consistit justitiæ. Nec misericordiæ repugnat justitia : quia misericordia non est laudabilis nisi secundum rectam sit rationem, quæ est justitiæ regula, aut secundum ordinem sapientiæ in divinis. Nec misericordia repugnat justitiæ : quoniam elargiri aliquid ultra debitum de bonis, vel citra debitum de malis, non est contra sed præter ju- B stitiam.

Quod si quæratur, quomodo duo hæc sint in opere creationis ; dicendum, quod justitia dupliciter sumitur. Primo, ut consistit in retributione meritorum. Secundo, ut consistit in condecentia bonitatis, et ita nil præsupponit ex parte recipientis, sed solum ex parte Dei : sicque in opere creationis est justitia. Justum est enim ut unaquæque res recipiat et habeat esse eo modo quo in sapientia Dei præordinatum consistit. Misericordia quoque dupliciter C sumitur. Primo, pro virtute repellente præcedentem miseriam non ex debito : et ita non est in opere creationis. Secundo communiter, pro gratiositate tollente sine merito quemcumque defectum : et ita est in creatione per hoc, quod Deus *non esse* amovet, conferendo *esse*. Juxta hunc modum fuit justitia in conversione gentilium, quoniam decuit immensitatem pietatis divinæ succurrere illis. — Denique, quomodo non sit contra justitiam, quod interdum unus temporaliter ac corporali- D ter punitur pro peccato alterius, alibi dictum est. Nam hoc ipsum Deus ordinat taliter patienti in bonum, et aliunde ipsi hoc recompensat. In spiritualibus vero et æternalibus pœnis unus non affligitur nec punitur pro peccatis alterius, nisi in quantum participavit in peccatis illius : et in hoc pro suo punitur peccato.

Cf. lib. II, dist. 36, q. 1 et 3.

Ad aliud respondendum, quod id quod formale est in unoquoque, excellentius est in eo. In qualibet vero actione, id quod est ex parte agentis, est quasi formale; quod autem est ex parte patientis ac recipientis, est quasi materiale. Quumque jam dictum sit, quod in omni opere Dei misericordia resultat ex parte Dei agentis, et justitia communiter sumpta ex parte recipientis : hinc in omni opere Dei supereminet misericordia justitiæ sicut formale materiali, juxta illud in Psalmo, Miserationes ejus super omnia opera ejus. Unde et Jacobus dixit apostolus : Superexaltat misericordia judicium. — Hæc Thomas.

Ps. CXLIV, 9. *Jacob.* II, 13.

Qui adhuc aliqua circa hæc sciscitatur, ad quæ tamen ex introductis patet solutio, saltem in generali. Primo etenim quærit, an per infinitam misericordiam Dei aliquando terminabitur omnis pœna, tam hominum impiorum quam dæmonum. Secundo, an saltem omnium hominum impiorum pœna tandem sit terminanda. Tertio, an pœna Christianorum damnatorum finietur. Quarto, an saltem pœna eorum qui opera misericordiæ libenter exercuerunt, et tamen in peccato obierunt mortali. Has quippe quæstiones movet B. Augustinus libro de Civitate Dei. Quumque præhabitum sit, quod justo Dei judicio etiam pro quocumque uno peccato mortali æternum infligatur supplicium, patet quod nullorum istorum finietur damnatio, quum in inferno nulla exsistat redemptio. Verumtamen responsa Thomæ breviter tangam.

quæst. 2.

Qui ad primum horum respondens : Quemadmodum, inquit, Augustinus vicesimo primo de Civitate Dei refert, error fuit Origenis, quod dæmones quandoque per misericordiam Dei sint liberandi a pœnis. Quod est ab Ecclesia reprobatum. Primo, quoniam apertissime repugnat auctoritati Scripturæ, quæ in Apocalypsi protestatur : Diabolus missus est in stagnum ignis et sulfuris, ubi bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum : per quod in Scripturis consuevit æternitas designari. Secundo, quia ex una parte misericordiam Dei nimis extendit, atque ex alia parte eam nimis arctat. Ejusdem etenim rationis videtur, sanctos an-

Apoc. XX, 9, 10.

gelos in beatitudine sine fine manere, et dæmones in æternum puniri. Unde sicut ponebat dæmones animasque pravorum tandem liberandos a pœnis, ita ponebat angelos sanctos ac animas Beatorum a cœlesti beatitudine ad hujus vitæ miserias devolvendos.

Ad secundum respondet : Sicut Augustinus vicesimo primo de Civitate Dei enarrat, quidam in hoc ab Origenis recesserunt errore, quod concesserunt dæmones nunquam liberandos, sed homines universos, etiam infideles, a suppliciis eruendos. Quod prorsus irrationabile est. Nam sicut dæmones, ita et homines condemnati, sunt in malitia obstinati, et extra viam ac statum merendi : quod enim angelis est ruina, hoc hominibus mors, ut asserit Damascenus. Nec verbum illud Christi, Ite, maledicti, in ignem æternum, est comminatio tantum, vel ad comminatoriam tantum pertinet prophetiam. Prophetia enim comminatoria quandoque impletur, imo semper impletur secundum aliquem sensum, tuncque solummodo immutatur, dum hominum merita variantur.

Matth. xxv, 41.

Ad tertium respondet : Quidam dixerunt, omnes illos tandem salvandos qui sacramenta fidei receperunt. Quod constat esse falsum : quoniam multi ipsa sacramenta receperunt, qui fidem catholicam non habuerunt, sicut hæretici baptizati. Ideo alii addiderunt, omnes tales salvandos qui et ipsam catholicam fidem sortiti sunt. Quod reprobatur, quum multi tales a fide corruerunt. Et si addatur, dummodo perseverent in fide, nihilo minus falsum est : quoniam fides sine operibus mortua est. Imo multi tales infidelibus sunt pejores, quum dicat Salvator apud Lucam : Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, plagis vapulabit multis ; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Princeps quoque Apostolorum : Melius (inquit) illis erat viam veritatis non cognovisse, etc.

Jacob. II, 26. *Luc.* XII, 47, 48. II *Petr.* II. 21.

Ad quartum respondet : Quidam dixerunt, illos dumtaxat fideles esse salvandos

A ex inferis, qui opera misericordiæ libenter exercent. Quod etiam falsum est, quum multi talium sint raptores, injusta non restituentes ; et sine caritate nemo potest salvari. Quod autem Ambrosius dicit, non periturum eum qui misericordiæ opera facit, quamvis lubricum carnis patiatur, quantum ad hoc verificatur, quod talis per opera hujusmodi quasi de congruo se disponit ad impetrandum gratiam in præsenti, ne pereat. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordant Petrus et Richardus. Sed et

B Richardus circa hæc sciscitatur, utrum secundum rationem intelligendi, prius sit in Deo misericordia quam justitia. Respondet : Quamvis in Deo nihil sit prius, nihil posterius duratione, dignitate, nec natura, ut patuit supra primum ; tamen secundum nostram rationem intelligendi, unum attributum dicitur altero prius, in quantum unum est ratio alterius, ut simplicitas immutabilitatis. Sicque justitia uno modo accepta, prior est misericordia ; et alio modo sumpta, posterior. Justitia nam-

dist. II, q. 2.

C que est rectitudo voluntatis volentis unicuique dare quod sibi est debitum. Divinæ vero voluntati est debitum, ut omnia fiant quæ condecent eam, nihilque fiat quod dedeceat eam facere aut permittere fieri : hinc ipsa est principium omnium voluntariarum emanationum. Merito quoque rationalis creaturæ debitum est præmium, et demerito ejus supplicium. Et juxta hoc debitum duplex, justitia in Deo dupliciter dicitur : primo, rectitudo divinæ voluntatis in volendo facere omnia quæ Dei con-

D decent bonitatem, atque in non volendo facere ea quæ eam non decent ; secundo, ipsa rectitudo voluntatis divinæ ad reddendum rationali creaturæ juxta merita aut demerita ejus. Et sicut illud quod debetur bonitati divinæ, est ratio ejus quod debetur merito aut demerito rationalis creaturæ ; sic justitia primo modo sumpta, est ratio justitiæ secundo modo acceptæ. Hinc justitia secundo modo sumpta, non retribuit creaturæ secundum merita aut demerita nisi in comparatione ad conde-

centiam bonitatis divinæ. Itaque justitia A secundum primam acceptionem prior est secundum rationem quam misericordia, et misericordia prior est quam justitia secundo modo accepta. Et ita intelligendum est quod ait Anselmus, Ex justitia Dei nascitur misericordia ejus. Nam ideo miseris parcit, quia hoc suam condecet bonitatem. Porro quod misericordia prior sit justitia secundo modo accepta, ostenditur : quia dum Deus parcit nobis, non provenit ex merito nostro, sed pure ex condecentia bonitatis ipsius ; quod vero nos puniat, ex B nostris demeritis et suæ bonitatis condecentia. Hinc per prius ac principalius, secundum rationem intelligendi, velle misereri respicit condecentiam bonitatis divinæ, quam velle punire. — Misericordia quoque et justitia proprie sumptæ non inveniuntur in omni opere Dei; imo nec in omni opere Dei circa rationalem creaturam, sed solum in operibus retributionis. Hæc Richardus.

Circa hæc primo quærit Bonaventura, utrum in eodem opere Dei sit misericor- C dia et veritas. Respondet : Misericordia Dei tripliciter dicitur. Primo largissime, ipsa affluentia bonitatis divinæ. Secundo communiter, benignitas in supererogatione bonorum. Tertio stricte, pietas in sublevatione et ablatione malorum : nam sic concernit miseriam. Sic et justitia Dei tripliciter sumitur. Primo et communissime, prout est condecentia bonitatis divinæ. Secundo et communiter, rectitudo in retributione bonorum. Tertio stricte, severitas in punitione malorum. Itaque, juxta D hos tres modos ad invicem comparatos, misericordia et justitia in eodem opere Dei concurrunt : quia secundum primum modum sunt in omni opere Dei, ut planum est. Conformiter, secundo modo misericordia quæ est bonitas in supererogatione bonorum, et justitia quæ est rectitudo seu liberalitas in retributione præmiorum, simul currunt : quia dum Deus retribuit bona remunerando, non retribuit nisi merenti, et supra quam meruit. Similiter, tertio modo simul currunt : quoniam nunquam tam severe punit, quin aliquid debitæ pœnæ relaxet; nec sic culpam dimittit, quin aliquo modo hanc puniat. Sic ergo misericordia et justitia communissime sumptæ, sunt in eodem opere Dei, quia etiam sunt in omni opere ejus; communiter vero sumptæ, sunt in opere retributionis bonorum; proprie vero et stricte, sunt in retributione pœnarum.

Secundo interrogat, an misericordia et veritas in aliquo opere Dei ab invicem separentur, secundum quod proprie capiuntur. Respondet : In opere justificationis est misericordia et veritas, non tamen secundum idem. Nam impius peccando Deum offendit, et dignus efficitur pœna æterna : et in hoc quod Deus dimittit ei culpam, est misericordia; in hoc autem quod obligat eum ad pœnam temporalem, relucet justitia.

Tertio quærit, an hæc possint ab invicem separari. Respondet quod non, quoniam sicut in nobis sunt quædam virtutes quarum perfectio in operibus attenditur per accessum ad extremum, utpote caritas, quædam per accessum ad medium, ut justitia et misericordia; ita in Deo. Unde non dicitur summe justus per severitatis excessum, nec summe misericors propter omnimodam culpæ remissionem, sed quia utrumque facit secundum quod decet et convenit. Justitia quippe et misericordia ita acceptæ, dicuntur potissime respectu actuum et meritorum nostrorum. Nec potest potentia ordinata remittere totam pœ- *Cf.* t. XXII, p. 491 D, 492 B.
nam, quia secundum Augustinum primo Confessionum, impossibile est dedecus culpæ manere sine decore justitiæ. — Circa hoc quæritur, utrum Deus possit peccatori tantam pœnam infligere quantam culpa ejus mortalis meretur. Dico quod non, loquendo de potentia ordinata, quia misericordiæ Dei repugnat, quam nec potest relinquere nec negare; nec peccator capax est tantæ pœnæ, quum enormitas cul- *Cf.* t. XXIII, p. 330 B'.
pæ sit etiam intensive quodammodo infinita. — Hæc Bonaventura, quorum aliqua

recitative magis quam assertive induco. A In præhabitis continentur scripta Alberti de his.

Præterea, circa hæc tangi possunt aliquæ quæstiones quas Henricus movet in Quodlibetis. (Quodl. xi, q. 2.) Prima est, an Deus possit aliquid facere quod non decet facere eum. Quocirca multa inducit, quæ longum est recitare. Itaque inter cetera scribit : Tria sunt de quibus est omnis quæstio in agibilibus et factibilibus, quæ sunt, bonum et honestum ac utile, quæ sunt eadem cum illis, licens, decens, expediens. Omne qui- B dem licens, ex sua natura est bonum. Quumque Deus nil agat propter utile commodum, imo omnia secundum rectam rationem sint in opere Dei, in illo idem sunt bonum expediens et honestum : ergo nec facere potest aliquid quod non sit decens seu decorum aut honestum. Sed factum aliquod dicitur honestum seu decens, ex duplici ordine : primo, ex ordine quem habet ad facientem ; secundo, ex ordine quem habet ad aliud factum. Et secundum ordinem primum, bonus et sapiens secun- C dum quod talis, nunquam facit nisi quod statum ipsius decet, et honestum sit facere ipsum. Quumque Deus sapiens optimusque consistat, nec facit nec aliquid facere potest quod non deceat eum facere. Verumtamen aliquid dicitur decens et honestum, vel indecens et inhonestum, dupliciter. Primo, secundum ordinem particularem, per respectum ad causam particularem : sicut indecens est hominem esse cæcum aut monstruosum. Alio modo, secundum ordinem universalem, ad causam universalem : et sic decuit cæcum illum natum, esse cæcum, quem Christus illuminavit, (Joann. ix, 1 et seq.) quatenus in ejus illuminatione supernaturali Deus glorificaretur. Id ergo quod est indecens primo modo, Deus facere potest, non in quantum est indecens, sed in quantum est decens secundo modo. Absolute autem loquendo, Deus nullo modo facere potest quod non sit decens aliquo modo : imo quidquid facit, decet eum facere ; et quidquid facere potest, si faceret, deceret eum id facere, et non nisi secundum ordinem decentem faceret illud. Idcirco si potest Petrum damnare et (Cf. p. 348 B.) Judam salvare de potentia absoluta, hoc non est nisi quia deceret eum hoc facere secundum aliquem justitiæ ordinem, si faceret ; nec aliter posset hoc facere. Propterea, nihil potest Deus facere de potentia absoluta, quin possit etiam illud facere de potentia ordinata ; tamen secundum alium ordinem quam sit ordo secundum quem omittit id facere : ita tamen quod semper facit quod melius et rationabilius est, adspiciendo ad ordinem universi. — Hæc Henricus, qui consequenter quærit, utrum (Cf. p. 315 B'.) verus dolor sit ex immutatione per apprehensionem, vel ex aliqua mutatione reali ; et rursus, utrum formalis ratio doloris sit in apprehensiva, vel appetitiva. Quocirca inquirit, quomodo ignis infernalis agit et (Cf. p. 309 B et s.) aget in damnatos. Et de his adhuc infra magis dicetur.

DISTINCTIO XLVII

A. *De sententia judicii.*

SOLET etiam quæri, qualiter dabitur judicii sententia. Sed non est perspicuum id explicare. Non enim Scriptura aperte definit, an voce illa proferantur, Venite, benedicti ; et, Ite, maledicti ; (*Matth.* xxv, 34, 41.) an virtute Judicis ita fiet conscientiis singulorum attestantibus, ut modo dicitur futurum, ut Judicis potentiæ effectus

ipsius dictione significetur. Illa etiam, Esurivi, et non dedistis mihi manducare, et *Matth.* xxv,
hujusmodi, magis conscientiis exprimenda plurimi putant quam verbis, quia Apo- 42.
stolus in momento et in ictu oculi mysterium consummandum tradit. Sed illud ad I *Cor.* xv,
resurrectionis statum tantum referunt, non ad judicium, qui judicii sententiam et 52.
malorum increpationes et bonorum præmia* verbis exprimenda asserunt. *præconia

B. *Quod judicabunt Sancti, et quomodo.*

Non autem solus Christus judicabit, sed et Sancti cum eo judicabunt nationes. *Sap.* III, 8.
Ipse enim Apostolis ait : Sedebitis et vos super duodecim sedes, judicantes duo- *Matth.* XIX,
decim tribus Israel. Nec est putandum, quod duodecim Apostolis tantum hoc pro- 28.
miserit Christus. Ubi enim sedebit Paulus, qui plus omnibus laboravit, si non ibi I *Cor.* xv,
sedebunt nisi duodecim? Per duodecim ergo sedes perfectio tribunalis, id est uni- 10. Beda, Hom.
versitas judicantium, intelligitur, scilicet omnes perfecti, qui relictis omnibus secuti lib. II, hom. 17.
sunt Christum; per duodecim tribus, universitas judicandorum. Judicabunt ergo *Matth.* XIX, 27.
omnes Sancti, non modo cooperatione, sed etiam auctoritate et potestate : unde
gladii ancipites in manibus eorum, id est, sententia de bonis et malis in potestate *Ps.* CXLIX, 6.
eorum. — Si vero quæritur, quæ erit eorum potestas vel auctoritas in judicando,
puto non ante sciri posse quam videatur, nisi divina revelatione quis didicerit.

C. *De ordinibus eorum qui judicandi erunt.*

Erunt autem quatuor ordines in judicio. Duæ quippe sunt partes, electorum Gregor. Mo-
scilicet et reproborum, ut Gregorius in Moralibus ait. Sed bini ordines eisdem ral. lib. XXVI, n. 50.
singulis partibus continentur. Alii enim judicantur et pereunt, alii non judicantur
et pereunt; alii judicantur et regnant, alii non judicantur et regnant. Judicantur
et pereunt, quibus dominica inclamatione dicetur : Esurivi, et non dedistis mihi *Matth.* xxv,
manducare. Non judicantur et pereunt, quibus Dominus ait : Qui non credit, jam 42. *Joann.* III,
judicatus est. Eorum enim damnatio toti Ecclesiæ nota est et certa; et ideo dicuntur 18.
tunc non judicari, quia ad conspectum districti Judicis cum aperta damnatione suæ
infidelitatis accedent. Qui vero professionem fidei sine operibus habent, judicabuntur
et peribunt, id est, redarguentur ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenu-
erunt, increpationem Judicis in se fieri non audient : quia infidelitatis suæ tenebris
præjudicati, ejus quem despexerant invectione redargui non merentur. Illi autem
verba Judicis audient, qui ejus fidem saltem verbo tenuerunt; illi in damnatione sua
æterni Judicis nec verba percipient, qui ejus reverentiam nec verbo tenus servare
voluerunt : et ideo illi judicandi, sed isti non judicandi dicuntur. Ex electorum vero Gregor. op.
parte alii judicantur et regnant, scilicet qui vitæ maculas lacrimis tergunt, et elee- cit. n. 51.
mosynarum superinductione operiunt : quibus Judex veniens in dextra consistentibus
dicet, Esurivi, et dedistis mihi manducare. Alii autem non judicantur et regnant, qui *Matth.* xxv,
etiam præcepta legis perfectione virtutum transcendunt : quia non hoc solum quod 35.

lex præcipit, implere contenti sunt, sed et quod ad perfectionem consulitur, implere
Is. III, 14. student. De quibus Propheta ait : Dominus ad judicium veniet cum senatoribus
Prov. XXXI, 23. populi sui. Et Salomon de Ecclesiæ sponso loquens, ait : Nobilis in portis vir ejus,
Job XXXVI, 6. quando sederit cum senatoribus terræ. Et Job ait : Non salvat impios, et pauperibus judicium tribuit. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, sed judices veniunt : quia et præcepta generalia vivendo vicerunt, et omnibus relictis, Christum secuti sunt. Recte pauperibus judicium tribuit, qui quanto huic mundo magna
Gregor. Moral. lib. XXVI, n. 53. humilitate despecti sunt, tanto tunc majori culmine potestatis excrescent. De talibus dicitur : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et
Apoc. III, 21. sedi cum Patre meo in throno ejus. Vincens Dominus cum Patre in throno ejus sedet, quia post passionis certamen et resurrectionis palmam, quod Patri esset æqualis, omnibus claruit. Nobis vero in throno Filii sedere, est ex ejusdem Filii potestate judicare : quia enim judicandi principatum ex ejus virtute percipimus, quasi in throno ejus residemus. — Ex his apparet, quod etiam perfectiores Sancti cum Christo judicabunt potestate; et quare quidam dicuntur judicandi, alii non judicandi.

D. *De ordine judicii et ministerio angelorum.*

Matth. XIII, 41, 42. Quum autem in Evangelio legatur, quod Dominus mittet angelos suós, qui colligent de regno ejus omnia scandala, et mittent iniquos in caminum ignis; et
Ibid. 49, 50. item, Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in
Ibid. XXIV, 31. caminum ignis; et item, Mittet angelos suos cum tuba, et congregabunt electos a
Ps. XLIX, 5. quatuor ventis; et Propheta dicit, Congregate illi sanctos ejus : ministerio angelorum illa impleri dubitandum non est. Domino enim veniente ad judicium, præcedet ante eum ignis, quo comburetur facies mundi hujus, et peribit cœlum et terra, non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ immutabitur : cœlum quidem aerium, non ætherium. Tantum enim ascendet ignis in judicio, quantum ascenderunt aquæ in diluvio. Ille autem ignis malis qui reperti fuerint vivi, erit consumptio,
Aug. de Civit. Dei, lib. XX, c. 18. bonis vero non. Ut enim ait Augustinus, hoc erit incendium mundi sanctis quod fuit caminus tribus pueris. In quibus si aliquid purgandum fuerit, per illum ignem purgabitur; aliis vero nullam ingeret molestiam. Purgato vero per ignem mundo, et ad judicium veniente Domino, emittetur vox illa magna qua resurgent omnes mortui; et tunc ministerio angelorum ventilabitur area, quia boni congregabuntur ibi de quatuor partibus mundi angelico ministerio : quo et rapientur obviam Christo in aera, reprobis in terra quam dilexerunt, remanentibus. Et tunc præconia illa bonorum, Esurivi, et dedistis mihi manducare; et increpationes illæ malorum, Esurivi, et non dedistis mihi manducare, etc., proferentur vel sono vocali, vel alio modo. Denique proferetur illa sententia super utrosque : Venite, benedicti, etc.; et, Ite, maledicti, etc. Et ministerio angelorum, virtute Dei cooperante, mittentur mali in caminum ignis, hoc est, in infernum.

E. *Si post judicium dæmones præerunt hominibus ad puniendum.*

Et solet quæri, utrum in inferno malis ad puniendum præsint dæmones post judicium, quos carnifices tortoresque animarum Scriptura appellat. Apostolus dicit, quod Christus tunc evacuabit omnem principatum et potestatem et virtutem. Dum enim durat mundus, angeli angelis, dæmones dæmonibus, homines hominibus præsunt; sed omnibus collectis, jam omnis prælatio cessabit. Hinc quidam putant, post judicium dæmones non habere potestatem cruciandi homines sicut modo, sed ut dæmones virtute Dei cruciari sine creaturæ ministerio asserunt, sic reprobos homines ibi non per operationem dæmonum, sed virtute divina tantum æternis subjici cruciatibus. Præmissa tamen auctoritas non id cogit sentire, quæ etsi asserat, tunc nec dæmones dæmonibus, nec homines hominibus præesse, non definit tamen, an dæmones præsint hominibus ad torquendum. Unde quibusdam videtur, eos sic constare hominibus tortores in pœna, sicut exstiterunt incentores in culpa.

Matth. XVIII, 34. I *Cor.* XV, 24.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ SEPTIMÆ

PRÆCEDENTI distinctione tractatum est de retributionibus præcedentibus aut inchoatis ante generale judicium, præsertim de pœnis pravorum, qui interim cruciantur in anima. Nunc determinatur de ipso judicio generali extremo, et ei annexis seu concernentibus ipsum. Et primo inquirit, an sententia Judicis erit vocalis vel solum mentalis, hoc est, an Christus ore tenus proferet verba illa, Venite, benedicti Patris mei; et, Ite, maledicti, in ignem æternum, an solum per allocutionem interiorem; et de hoc ponit duplicem opinionem. Deinde tangit, quomodo quidam præelecti et sancti judicabunt cum Christo tanquam Judicis assessores. Consequenter exprimit quatuor ordines eorum qui in judicio apparebunt, id est quatuor genera hominum qui apparebunt ibidem. Nam aliqui judicabunt cum Christo, et non judicabuntur, etc., sicut habetur in littera. Deinde subdit de modo et ordine quo fiet judicium, et de ministeriis angelorum sanctorum in illo. Post hæc scrutatur, utrum dæmones facto judicio punient in inferno reprobos homines, an potius omnes generaliter igne et ceteris inferni suppliciis affligentur.

QUÆSTIO PRIMA

CIrca hæc quæritur primo, **An finale ac generale judicium in fine sæculi sit futurum, et an erit per notabilem moram durans, ac per vocalem disceptationem ac sententiæ realem prolationem.**

Videtur quod non erit generale judicium, quum unusquisque mox ut a corpore exierit, judicetur a Christo; atque ut ait Nahum propheta, Non judicabit Dominus bis in id ipsum. Ergo sufficit particulare judicium. — Rursus, judicium fit ut judicatus recipiat quod meruit, utpote præmium meriti sui : quod præmium est beatifica visio Dei quantum ad justos, et damnatio infernalis quantum ad reprobos. Quum ergo retributio hæc quotidie interim fiat, superfluum videtur judicium secundum. Si dixeris, quod fiet propter corporum glorificationem, objicitur : quoniam

Nahum I, 9, juxta LXX.

certum est quod quorum animæ interim A glorificantur, tunc corpora glorificabuntur; et quod quorum animæ interim condemnantur, tunc corpora damnabuntur.

Circa hæc scribit Antisiodorensis in Summa, libro quarto : Quemadmodum dies particularis judicii quod fit in morte cujuslibet, indeterminata est et incerta, ita et dies generalis judicii quod erit in resurrectione futura, juxta illud in Actibus :
Act. I, 7. Non est vestrum nosse tempora vel mo-
Marc. XIII, 32. menta, etc. ; atque in Evangelio : De die B illa nemo scit. Porro locus judicii deter-
Joel III, 12. minatus est in Joele quo legitur : Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu. — Sed quæritur, quare locus determinatus est, et non tempus. Arguitur etiam contra hoc quod in Evan-
Marc. XIII, 32. gelio legitur, quod nec angeli nec Filius hominis sciunt de die illa. Angeli namque habent cognitionem non solum vespertinam, sed etiam matutinam omnium rerum, etiam futurorum, in Verbo, tanquam C in speculo æternitatis clarissimo. Denique Filius, qui est Sapientia Patris, non ignorat quæ Pater scit, quum in Evangelio pro-
Joann. V, 20. testetur : Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit. — Si dicatur, quod Filius dicitur diem illam nescire, quia non facit nos scire, objicitur, quia et Pater et Spiritus Sanctus sic dicerentur diem illam nescire, quia non faciunt alios eam scire. — Rursus, de loco objicitur, quoniam vallis Josaphat nequaquam est capax omnium hominum qui in judi- D cio comparebunt. — Amplius, quum resurrectio sit futura in momento, in ictu oculi, qualiter impii, qui habebunt corpora ponderosa, poterunt a remotissimis locis illuc adduci ? — Objicitur item de hoc quod Sancti dicuntur judicaturi cum Christo, quia nec auctoritative, nec ut dantes consilium, nec ut proferentes sententiam judicabunt.

Respondemus, quod dies utriusque judicii nobis incerta est, quatenus jugiter stemus in Dei timore, et per timorem declinemus ab omni transgressione. Ignorantia autem loci non confert ad istam custodiam ac timorem. — Ad aliud dicimus, quod angeli nihil sciunt de die illa, nisi eis divinitus reveletur : quia cognitio ista omnino transcendit naturalem notitiam. Quumque dies illa non aderit nisi completo numero electorum, et ipsi ignorent quando hoc erit ; idcirco et diem illam ignorant. — Filius autem dicitur ignorare eamdem secundum naturam assumptam, quia non facit nos scire : quoniam ipse datus est nobis magister et legislator, inter homines conversando, atque de aliis instruendo, et non de isto. Unde dicitur nescire, quia per modum nescientis se habuit. Taliter autem non convenit Patri neque Spiritui Sancto esse magistrum hominum. — At vero in vallem Josaphat Christus corporaliter non descendet, ut multi pueriliter credunt (ut dicit Hieronymus), sed erit in aere supra vallem. Unde in Actibus : Sic veniet, quem- *Act.* I, 11.
admodum vidistis eum euntem in cœlum. Hinc sicut ascendit a monte illo, sic descendet super eumdem, ita quod residebit in aere, eruntque homines non solum in terra, sed et in aere, potissimum boni, dicente Apostolo : Simul rapiemur in nu- *I Thess.* IV, 17.
bibus obviam Christo in aera. Angelorum demum ministerio adducentur celerrime, quemadmodum angelus portavit prophetam Habacuc in impetu spiritus sui de Ju- *Dan.* XIV, 35.
dæa in Babylonem. Maligni vero spiritus ibi ministerium non habebunt, imo fugere mallent. Viri autem apostolicæ perfectionis judicabunt per assessoriam dignitatem, et omnes Sancti per sententiæ Judicis approbationem. — Hæc Antisiodorensis : de quibus in consequentibus plenius est dicendum.

Itaque Thomas : Quemadmodum (inquit) operatio pertinet ad rerum principium quo res producuntur in esse, ita judicium pertinet ad terminum quo res ad suum finem perducuntur. Distinguitur autem duplex operatio Dei : una, qua ipsas

res primitus in esse produxit; alia, qua producta gubernat. Sic quoque est duplex judicium ejus, ordine tamen converso. Unum, quod correspondet operi gubernationis (quæ sine judicio esse nequit), quo unusquisque singulariter pro suis actibus judicatur, non solum secundum quod competit sibi, sed etiam secundum quod gubernationi competit universi : unde differtur præmiatio unius pro aliorum utilitate, *Hebr.* xi, 39, 40. ut patet ad Hebræos; et pœnæ unius cedunt ad utilitatem alterius. Hinc oportet esse judicium aliquod universale, correspondens primæ rerum productioni, ut sicut tunc processerunt immediate a Deo, ita in fine simul detur ultima mundi completio, unoquoque finaliter accipiente quod ei debetur secundum se ipsum. Unde in illo judicio apparebit manifeste divina justitia quantum ad omnia quæ nunc ex hoc occultantur, quod scilicet interdum de uno disponitur ad utilitatem aliorum aliter quam manifesta ejus opera videntur exigere. Etiam tunc erit universalis separatio bonorum a malis, quia de cetero non erit locus ut boni per malos aut mali per bonos proficiant : propter quod interim, Deo sic disponente, commixti sunt.

Ex his patet ad primum objectum solutio. Quum enim quilibet homo sit singularis persona, et etiam pars totius generis humani, duplex ei debetur judicium : unum particulare in morte, in quo recipit quantum ad animam sicut promeruit ; aliud in fine sæculi, in quantum est pars generis humani, sicut et aliquis dicitur judicari secundum humanam justitiam, quando communitas cujus ipse est pars judicatur. Nec tamen bis judicat Deus in id ipsum : quia non duas pœnas completas pro uno peccato infligit, sed pœna ante judicium non plene inflicta, tunc complete inferetur, dum corpus et anima pariter cruciabuntur. In judicio quoque finali *Cf.* p. 261 D. omnibus omnia patebunt peccata, patebitque universis ac singulis quam justum sit judicium Dei de omnibus.

Præterea quid respondendum sit de dis- A ceptatione, protractione et prolatione sententiæ in generali judicio, pro certo definiri non valet. Probabilius tamen putatur, quod totum mentaliter perficietur. Si enim vocaliter singulorum peccata recitarentur, inæstimabilis temporis longitudo ad hoc exigeretur, quemadmodum etiam vicesimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Si liber ex cujus scriptura omnes judicabuntur, ut in Apocalypsi dicitur, materialiter cogitetur, quis ejus magnitudinem *Apoc.* xx, 12. aut longitudinem valeat æstimare ? Aut B quanto tempore poterit legi liber in quo scriptæ sunt vitæ universorum ? Nec minus tempus requiritur ad narrandum opera ac vitia singulorum quam ad legendum, si materiali in libro essent conscripta. Idcirco videtur quod illa quæ apud Matthæum scribuntur tunc proferenda, mentaliter sint *Matth.* xxv, 34-45. perficienda, quod omnipotente Dei virtute subito poterit fieri : sicque verba Christi auditu interiori ab omnibus audientur.

Insuper dum quæritur, an tempus judicii sit ignotum; dicendum, quod Deus per *Cf.* t. XX, p. 477 B. C scientiam suam est causa rerum. Utrumque autem, videlicet causalitatem et cognitionem, creaturis communicat. Nihilo minus de utroque aliquid sibi reservat. Nam aliqua operatur in quibus nulla creatura est sibi cooperans, et quædam cognoscit quæ nulli revelat. Et hæc potissime esse debent et sunt quæ soli divinæ subjacent potestati, inter quæ est finis mundi, in quo erit dies judicii. Hanc rationem Christus tetigisse videtur dicendo, Non est *Act.* i, 7. vestrum nosse tempora vel momenta quæ D Pater posuit in sua potestate; quasi dicat, quæ soli ejus potestati sunt reservata. — Verum his objici potest, quod in Evangelio Christus tangit multa signa futuri judicii quæ illud præcedent : ergo ex illis poterit præcognosci. Dicendum, quod sicut in epistola ad Hesychium de fine mundi asserit Augustinus, signa illa non omnia pertinent ad secundum Christi adventum, sed partim pertinent ad tempus destructionis Jerusalem factæ per Titum; plura vero illorum spectant ad adventum quo

Christus Ecclesiam quotidie spiritualiter visitat. Reliqua autem quæ ad secundum spectant adventum, non valent ad præsciendum determinate tempus adventus secundi : quoniam illa pericula et adversa fuerunt a principio Ecclesiæ, nunc intensius nuncque remissius; nec scitur quanto magis tunc abundabunt quam ante. Nec obest quod S. Joannes apostolus ait : Carissimi, novissima hora est; et beatus apostolus Paulus : Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt. Talia quippe sunt dicta non ad insinuandum aliquam brevem temporis moram, sed novissimum mundi statum, qui est quasi novissima sæculi ætas, quæ quamdiu durabit ignotum est : sicut nec hominis senectuti præfixus est terminus homini cognitus, imo interdum diutius durat quam omnes præcedentes ætates, aut tamdiu.

I Joann. II, 18.

I Cor. X, 11.

Denique ad quæstionem hanc, utrum aliqui judicabunt cum Christo, dicendum quod judicare multipliciter dicitur. Primo, quasi causaliter, ut is judicare dicatur, unde apparet quis judicandus. Et sic quidam judicabunt comparative, sicut apud Matthæum ait Salvator : Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et judicabunt eam, etc. Sicque boni et mali tunc judicabunt. Secundo, quasi interpretative. Interpretamur enim aliquem facere, qui facienti consentit : hinc qui consentient Judici, ejus sententiam approbando, judicare dicuntur. Sicque judicare est omnium electorum. Tertio, quasi per similitudinem, quoniam scilicet similitudinem habet judicis in se, in quantum sedet in loco eminenti ut judex : et sic assessores judicis judicare feruntur. Et ita (ut aliqui dicunt) viri perfecti, quibus judiciaria potestas promittitur apud Matthæum, judicabunt, quoniam superiores aliis apparebunt, occurrentes obviam Christo in aera. Sed istud non videtur sufficere ad promissionem Christi complendam. Nam dixit, Sedebitis judicantes : unde videtur judicium consessioni superaddere. Idcirco est quartus modus judicandi, qui convenit viris

Matth. XII, 41.

Ibid. XIX, 28.

Ibidem.

A perfectis in quantum in eis continentur decreta divinæ justitiæ, ex quibus homines judicabuntur : ut si liber in quo lex descripta est, judicare dicatur. Unde in Apocalypsi dicitur : Judicium sedit et libri aperti sunt. Sicque Richardus de S. Victore istam judicationem exponit, dicendo : Qui divinæ contemplationi adsistunt, et in libro sapientiæ quotidie legunt, velut in cordium voluminibus scribunt quidquid jam perspicua veritatis intelligentia comprehendunt; et rursus : Quid sunt ju-

Apoc. XX, 12; *Dan.* VII, 10.

B dicantium corda divinitus in omnem veritatem edocta, nisi quædam canonum decreta ? Sed quoniam judicare importat actionem in alium transeuntem, proprie judicare dicitur qui sententiam in alterum profert loquendo. Quod dupliciter fit. Uno modo propria auctoritate : quod solius est Dei. Secundo, sententiam alterius auctoritate prolatam, in aliorum notitiam ducendo, quod est sententiam latam pronuntiare : sicque judicabunt viri perfecti, quoniam alios ducent in cognitionem divinæ justi-

C tiæ, ut sciant quid ipsis juste pro ipsorum meritis debeatur : ut ipsa revelatio justitiæ judicium appelletur. Unde Richardus : Judices coram judicandis decretorum suorum libros aperire, est ad cordium suorum inspectionem, inferiorum quorumlibet visum admittere, sensumque suum in his quæ ad judicium pertinent, revelare.

Quæritur quoque, an judiciaria potestas correspondeat voluntariæ paupertati. Dicendum quod imo; et hoc triplici ratione.

D Primo, ratione congruitatis, quoniam voluntaria paupertas est eorum qui omnibus quæ sunt mundi contemptis, soli Christo inhærent : ideo non est quidquam in eis quod eorum judicium a justitia deflectat; per quod ad judicandum redduntur idonei, tanquam justitiæ veritatem præ omnibus diligentes. Secundo, per modum meriti, quoniam humiliationi exaltatio correspondet pro merito : paupertas autem præcipue facit hominem in hoc mundo despectum. Tertio, quia paupertas primo

incipit hominem ad præfatam illuminationem sapientiamque disponere, per quam cum Christo judicare Sancti dicuntur, sicut jam patuit. Itaque per duodecim sedes super quas Sancti sedebunt ad judicandum, universitas soliorum eorum qui taliter judicabunt, exprimitur.

Matth. XIX, 28.

At vero si quæratur, an etiam sancti angeli judicabunt cum Christo; dicendum, quod assessores judicis debent judici esse proportionales seu in natura conformes. Christus autem in judicio omnibus apparebit in natura humana, in qua sibi conveniet judicare per sententiæ prolationem. Hinc angelis, qui per humanitatem Christo conformes non sunt, non competit judicare cum ipso tanquam assessoribus ejus.

Amplius quæritur, an post diem judicii dæmones exsequentur sententiam Judicis in damnatis. Dicendum, quod circa hoc tangitur in littera a Magistro duplex opinio; et utraque justitiæ Dei videtur competere. Ex hoc enim quod homo peccat, dæmoniis juste subjicitur, sed dæmon ei præest injuste. Opinio ergo quæ ponit dæmones non præesse hominibus in tormentis post diem judicii, respicit ordinem divinæ justitiæ ex parte dæmonum punientium; contraria vero opinio respicit ordinem divinæ justitiæ ex parte hominum punitorum. Quæ autem harum opinionum sit verior, certum nobis esse non potest nisi ex revelatione. Verius tamen puto, quod sicut servatur ordo in salvatis, quo quidam Beati a quibusdam illuminabuntur et perficientur, eo quod cœlestis hierarchiæ ordines erunt perpetui; ita servabitur ordo in pœnis, ita quod homines per dæmones punientur, ne ordo divinus quo Deus constituit angelos inter naturam divinam atque humanam, totaliter annulletur. Ideo sicut hominibus per angelos bonos illuminationes divinæ deferuntur, ita et dæmones sunt divinæ justitiæ executores in malos. Nec in hoc aliquid minuetur de dæmonum pœna, quia in hoc quod alios torquent, etiam ipsi torquebuntur. Ibi enim miserorum societas miseriam non minuet, sed augebit. — Verumtamen his objici potest, quia secundum Apostolum, in futuro evacuabitur omnis prælatio: Christus (inquit) evacuabit omnem principatum et potestatem et dominationem. Quocirca loquitur Glossa : Nunc angeli præsunt angelis, dæmones dæmonibus, homines hominibus, sed in futuro cessabit omnis prælatio ista. Et respondendum, quod totum hoc intelligendum est de cessatione prælationis secundum modum quo est nunc. Prælatio enim qua nunc angeli præsunt angelis atque hominibus, homines quoque hominibus, ordinatur ad perductionem hominum in ultimum finem ; prælatio vero dæmonum, quantum ad suum usum vel potius abusum, ad abductionem hominum ab ultimo fine.

Cf. t. XXI, p. 512C'.

I Cor. XV, 24.

Quæritur item, an universi homines in judicio comparebunt, etiam parvuli in solo originali defuncti. Dicendum, quod potestas judiciaria Christo homini est collata in præmium obedientiæ et humiliationis quas in sua exhibuit passione, in qua sanguinem suum fudit, quantum ad sufficientiam, pro universis et singulis, quamvis in omnibus non sit sortita effectum, ex defectu eorum. Hinc congruum est ut universi in judicio compareant ad videndum ejus exaltationem in natura humana, in qua tanta pro ipsis fecit ac pertulit, et in qua constitutus est judex vivorum ac mortuorum. Hinc pueri ante usum rationis decedentes, in judicio comparebunt, non ut judicentur, sed ut videant Judicis gloriam. — Hæc Thomas.

Qui etiam sciscitatur, an aliqui boni in judicio judicabuntur; item, an aliqui mali judicabuntur ibidem; itemque, an angeli. Ad quæ tria perfacilis exsistit responsio.

Nempe ad primum respondet : Judicium duo importat, quæ sunt, discussio meritorum, et retributio præmiorum. Quantum ad secundum, omnes judicabuntur. Omnibus enim electis illis dicetur : Venite, benedicti Patris mei, etc. Et sic ex judicio Christi, dignam pro meritis remunerationem suscipient. Discussio autem merito-

Matth. XXV, 34.

rum non fit nisi ubi est aliqua meritorum cum malis commixtio. Illi itaque qui super fundamentum fidei ædificant aurum, argentum et lapides pretiosos, divinis servitiis totaliter insistentes, quoniam nullam mali admixtionem habent notabilem, non habet in eis meritorum discussio locum; et quantum ad hoc, non judicabuntur. Qui autem super fundamentum fidei ædificant lignum, fœnum, stipulam, adhuc amantes terrena, negotiisque sæcularibus implicati, sic tamen quod Christo nil præferunt, sed student eleemosynis ac aliis virtutum operibus expiare peccata, habent commixtionem bonorum meritorum cum malis: ideo discussio meritorum in ipsis locum sortitur, et quantum ad utrumque judicabuntur.

I Cor. III, 12.

Ad secundum respondet: Judicium quod est demeritorum pœnalis retributio, omnibus malis fiet et convenit; judicium autem quod est discussio meritorum, solis fiet fidelibus, quia in infidelibus non est fidei fundamentum, sine quo nihil est meritorium: unde non fit de eis discussio. Sed in pravis fidelibus, in quibus est fidei fundamentum, est ad minus aliquis fidei actus laudabilis, quamvis forsan non meritorius: nam quantum de se est, ordinatur ad meritum. Hinc credentes, qui saltem fide et numero sunt cives civitatis Dei, judicabuntur discussionis judicio, quia in cives sine discussione meritorum non fertur sententia mortis; infideles autem damnabuntur ut hostes, qui consueverunt apud homines absque meritorum audientia exstirpari.

Insuper respondens ad tertium: Judicium (ait) discussionis neque in bonis angelis neque in malis habet locum, quum nec in angelis bonis sit demeritum, neque in pravis meritum. Sed loquendo de judicio retributionis est distinguendum. Nam una est retributio correspondens propriis meritis: et hæc a principio fuit facta utrisque, dum quidam effecti sunt beati, alii condemnati. Alia est retributio correspondens bonis aut malis per angelos aut dæmones procuratis: quæ retributio in futuro fiet judicio, quia et boni angeli gaudium majus habebunt de salvatione eorum quos ad salutaria induxerunt; mali quoque amplius torquebuntur multiplicata eorum ruina qui per eos ad mala sunt incitati. Hinc directe loquendo, judicium nec ex parte judicantium, nec ex parte judicandorum, erit angelorum, sed hominum. Idcirco quod ad Corinthios scribit Apostolus, Nescitis quoniam angelos judicabimus? intelligendum est de judicio comparationis, quoniam quidam homines quibusdam angelis superiores ac meliores invenientur. — Hæc omnia Thomas in Scripto.

I Cor. VI, 3.

Præterea Petrus ad istud, an disceptatio illa erit vocalis, parum aliter respondens: Una (inquit) opinio est, quod totum illud judicium erit mentale, quia si singuli vocaliter judicarentur, valde diu duraret. Alii dicunt, quod erit et mentale interius, et etiam vocale exterius, quoniam Christus judicabit non tantum ut Deus, sed etiam ut homo: ideo ejus judicium fiet non solum modo divino, sed etiam humano. Atque ex hoc majus gaudium erit bonorum, et major dolor sensibilis reproborum: ideo sicut corporalis apparitio Christi non erit frustra, ita nec sensibilis illa prolatio.

Si demum quæratur, an disceptatio illa erit solum de operibus misericordiæ, dicendum: Duplici causa reprobi damnabuntur. Primo, quoniam peccaverunt transgrediendo præcepta justitiæ; secundo, quia peccata sua non redemerunt per opera misericordiæ. Sancti autem in primo cum illis conveniunt, quoniam omnes vel fere omnes peccaverunt; in secundo differunt, quia per opera misericordiæ sua peccata redemerunt. Hinc in judicio duplex fiet discussio meritorum. Prima mentalis, et hæc omnibus erit communis bonis et malis, de justitiæ actibus, ut pateat eos peccasse. Secunda erit vocalis, de operibus misericordiæ, ut pateat non omnes misericordia dignos esse. — Denique Christus in quantum Deus, judicabit jurisdictione ordinaria, sicut et Pater ac Spiritus San-

ctus; sed ut homo, judicabit jurisdictione A delegata. — Probabilius quoque videtur, quod post diem judicii cessabit tam officium angelorum sanctorum in procuranda gloria salvandorum, quam dæmonum in procurandis suppliciis damnatorum. — Hæc Petrus.

Quibus in omnibus Richardus concordat. Et addit, quod in judicio disceptatio mentalis erit de omnibus operibus, non solum in speciali, imo etiam in singulari : quia (secundum Augustinum vicesimo de Civitate Dei) virtute divina fiet ut unicui- B que opera sua tam bona quam mala in memoriam revocentur, ac mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset aut excuset scientia conscientiam, atque ita simul omnes et singuli judicentur. — Utrum autem de aliis quam de misericordiæ operibus aliqua disceptatio vocalis sit ibi futura, certum nobis non est. Certum tamen est, quod disceptatio illa fiet aut de solis misericordiæ operibus, aut præcipue de illis, ut omnibus appareat manifeste, quod qui peccata sua per misericordiæ opera C non redemerunt, misericordia sunt indigni,
Ps. CVIII, 15, 16. juxta illud in Psalmo : Dispereat de terra memoria ejus, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. — Citatio quoque ad judicium, erit mentalis et vocalis, quia mentaliter ad judicium vocabuntur, et per ministerium angelorum vocaliter,
Matth. XXIV, 31. juxta illud Matthæi : Mittet angelos suos cum tuba, etc. Similiter mentalis atque
Rom. II, 15. vocalis erit reproborum accusatio. Accusabunt enim eos conscientiæ suæ (ut dicitur ad Romanos) et eorum iniquitas, quæ erit D omnibus manifesta. In libro quoque Sa-
Sap. IV, 20. pientiæ : Traducet illos ex adverso iniquitas ipsorum. Christus quoque eos vocaliter accusabit, prout apud Matthæum testatur :
Matth. XXV, 42. Esurivi, et non dedistis mihi manducare. Nec hoc erit contra formam recti judicii, quod idem erit accusator et testis : quia ipse procedet ex officio suo. Insuper testificatio erit mentalis et vocalis, quoniam quilibet videbit conscientiam alterius, ita quod propria conscientia testabitur cuilibet, verum esse illud de quo conscientia cujuslibet reprobi accusabit eum. Sed et angeli qui fuerunt ipsorum custodes, specialiter testificabuntur contra eos, quod et philosophi quidam senserunt, ut patet in libro Apuleii de Deo Socratis. Homines item electi contra eos vocaliter testabuntur. Sententia etiam definitiva Judicis non solum mentaliter sed et vocaliter proferetur, ut sonare videtur scriptura apud Matthæum. Et ista positio magis concordare videtur cum textu Scripturæ. Quod autem scriptum est in libro Sapientiæ, Dis- *Sap.* IV, 19.
rumpet illos inflatos sine voce, exponitur de voce excusationis : quia inexcusabiles erunt, nec se poterunt excusare; et sic Glossa exponit.

Iterum quæritur, utrum judicium illud diu durabit. Dicendum, quod ut vicesimo de Civitate Dei loquitur Augustinus, per quot dies extendatur judicium, est incertum. Unde quum divini judicii diem ultimum pronuntiamus, more sacræ Scripturæ, quæ diem pro tempore ponit, novissimum tempus significamus. Probabile vero est, quod non extendetur per moram multum prolixam. Quod vicesimo de Civitate Dei videtur Augustinus sentire, dicendo : Judex convincet conscientias reproborum sine ulla sermonis prolixitate. Hinc vocalis disceptatio illa non erit cum quolibet in singulari nominatim, nec de quolibet opere singulari, sed ut prædicit Salvator in Evangelio, ita erit, quod scilicet loquetur in generali tam exsistentibus ad dexteram, quam eis qui stabunt ad lævam. — Porro angeli boni pro ministerio quod nobis nunc exhibent, quoddam gaudium accidentale recipient ; dæmones quoque pro malis quæ nobis procurant, recipient grave supplicium. — Hæc Richardus.

Amplius Bonaventura : Ad hoc (inquit) quod judicium firmum sit, duo concurrunt, puta auctoritas et potestas : auctoritas in sententiando, et potestas in retribuendo seu exsequendo. Si alterum horum desit, non est firmum judicium. Quæ duo fontaliter ac principaliter sunt in Deo. Quæ duo

Deus Trinitas communicavit homini Christo; propter quod apud Matthæum ait : *Matth. xxviii, 18.* Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. De quo et in Actibus dicitur : *Act. x, 42.* Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Itaque duo hæc conveniunt Christo secundum deitatis naturam, principaliter; et secundum assumptam naturam, per commissionem. — Apparebit demum Christus in forma humana ; nec ejus deitatem cognoscent reprobi nisi per evidentia signa manifestissimosque effectus tunc ad oculum apparentes. Apparebit etiam in humanitate glorificata tam bonis quam reprobis ; nec erit differentia ex parte apparentis, sed ex parte recipientium. Etenim boni respicient eam cum gaudio et gloria, mali cum confusione et pœna, nec vultum ejus poterunt sustinere præ remorsu conscientiæ et formidolosa exspectatione ferendæ sententiæ contra eos. — Denique horam universalis judicii quidam dicunt cognitam esse angelis et animabus bonis; alii dicunt quod non. Sed certe quid sit inde tenendum, magis docebit tempore opportuno experientia quam modo scientia. Utrumque namque possibile est. Nam quum soli Christo homini data sit omniscientia, non video cur angeli ignorare non possint. Rursus, quum Deo sint valde familiares et nihil in hujus rei scientia perdere valeant, non est facile definire quare non congruit eis hoc revelari. Quumque aliquæ auctoritates Sanctorum videantur sonare quod angeli nesciant horam judicii, aliæ autem quod sciant; potest sine præjudicio probabiliter dici, quod aliquibus angelis sanctis et animabus beatis datum sit hoc, aliquibus non, sicut de præcognitione mysterii Incarnationis aliqui dicunt. Hæc Bonaventura.

Insuper scripta Alberti in præhabitis continentur pro maxima parte. Et addit : Triplex est judicium, scilicet, uniforme, multiforme et omniforme. Judicium uniforme est modo Ecclesiæ militantis cogitantis de futuro judicio, cui non innotescit de ipso judicio nisi qualitas causæ A ac retributionis in genere, utpote, quod bona bonis et mala malis reddentur. Multiforme est particulare judicium, in obitu singulorum, quod est secundum qualitatem et quantitatem, quoniam tantum recipiet quisque quantum meruit, et talia qualia meruit ante. Omniforme judicium erit in fine mundi, quia tunc correspondebunt talia talibus, et tanta tantis, et hoc omnibus in corpore et in anima. Hæc Albertus.

Qui etiam videtur sentire, quod parvuli in solo originali defuncti, in judicio non B comparebunt, dicendo : Quatuor ordines hominum in judicio apparebunt, nec quintum ordinem facere queunt in solo originali decedentes, quoniam nulla propria merita habent propter quæ veniant ad tribunal ; nec venient ad tribunal nisi habentes propria, vel gaudentes beneficio Judicis de salute, ut pueri post Baptismum defuncti. Hæc idem.

Præterea etiam Scotus hic scribit : Judicium sumitur generaliter pro quacumque certa notitia ; sicque sensus dicitur de suo C judicare objecto. Secundo, judicium appellatur quæcumque certa apprehensio intellectualis ; et sic cognitio definitiva de aliquo potest dici judicium. Tertio et magis proprie, dicitur de vero aliquo complexo, quia secundum Augustinum tertio de Libero arbitrio, nullus judicat de regulis æternis, sed secundum eas de aliis : ergo judicium est apprehensio certa de aliquo per aliud ; omne autem verum complexum, apprehenditur esse verum per aliud. Quarto, adhuc magis proprie dicitur de veD ro complexo quod est conclusio, quia de conclusione judicatur non solum per terminos, sed etiam per principia. Et adhuc magis proprie dicitur de conclusione practica quam speculativa : quia judicium est dictamen intellectus practici consonum justitiæ ; justitia autem non respicit speculativa, sed operabilia. Adhuc magis proprie nuncupatur judicium certa determinatio de præmiis aut tormentis reddendis pro meritis, quia lex non solum determinat agenda et fugienda, verum etiam præ-

mia impendenda pro actibus virtuosis, atque supplicia pro peccatis. Et sic adhuc magis proprie judicium sumitur, prout est actus habentis auctoritatem proferendi judicialem sententiam : et ita nunc sumitur, et in judicium particulare ac generale dividitur.

Judicium quoque generale demonstrari non potest, quum sit minus notum quam *Cf.* p. 258 C et s. est resurrectio, ad quam (sicut præhabitum est) demonstratio nequit adduci. Sed ad istud judicium comprobandum congruentiæ adducuntur. Prima est, quoniam congruum est separari finaliter omnes bonos ab omnibus malis. Mali namque non communicant cum bonis, nisi vel ad hoc ut malus corrigatur, vel ut bonus per eum In ps. LIV, n. 4. exerceatur, secundum Augustinum super Psalmum. Secunda congruentia est, quoniam in secretis particularibusque judiciis quæ fiunt circa particulares personas, quamvis sit justitia, non tamen est omnibus manifesta. Rationabile ergo est ut Deus exerceat unum generale judicium, in quo manifestetur sententia ac justitia quam exercuit in particularibus suis judiciis. Tertia congruentia est, quia sicut res fluunt a primo efficiente, ita reducuntur in ipsum sicut in finem; sed præter speciales exitus rerum a Deo per operationem *Joann.* V, 17. (de qua ait Salvator, Pater meus usque modo operatur, et ego operor), fuit unus exitus universalis a Deo in prima rerum creatione : ergo a simili præter particulares reductiones, convenit esse unam finalem ac generalem reductionem omnium electorum in ultimum finem, et per consequens ad hoc unam finalem sententiam discretivam, quoniam mali non reducuntur. Quarta et major congruentia est. Nam præter hoc quod unusquisque adscribatur regno aut carceri, tota multitudo prævisa ad regnum debet aliquando determinari ad possidendum illud, totaque reliqua multitudo relinquenda est carceri, ut sic fiat finalis duarum familiarum sequestratio justa et plena.

De isto finali judicio dubium primum

A est, an fiet in tempore aut in instanti; et si in tempore, an in brevi vel non brevi. Primo itaque erit innotescentia meritorum et demeritorum. Est quidem possibile quod merita singulorum singulis innotescant, et hoc per miraculum ex parte ostensionis; tamen si unusquisque intellectus intelligeret ea suo modo intelligendi naturali, ad hoc peragendum requireretur tempus permaximum, ad intelligendum videlicet illa omnia successive. Secundo possibile est quod unicuique propria merita seu deme-
B rita in speciali, merita vero et demerita aliorum in generali monstrentur : et hoc dupliciter. Primo, quod singulas personas consideret, tamen hanc ut justam, illam ut injustam; secundo, non singulas personas considerando in speciali, et merita earum in generali, sed tam personas quam merita in generali, videlicet, omnes in terra relictos considerando reprobos esse ac condemnandos, omnes autem raptos obviam Christo in aera, esse electos atque salvandos. Et primum horum requireret
C magnam successionem. Tertio modo possibile esset per Dei potentiam non tantum manifestantem, sed creantem actus cognoscendi et intellectiones distinctas omnium meritorum omnium personarum simul in quocumque intellectu : quia quæcumque non repugnant formaliter, et possunt successive recipi in aliquo, absoluta potentia divina possunt simul recipi in eodem. Et si ultimum hoc ponatur, tunc illud præambulum non oportet esse nisi in instanti. Sequens vero sententia si proferatur voca-
D liter, erit in tempore; si tantum mentaliter, poterit esse in instanti, non solum quantum ad Christum proferentem, sed etiam quoad illos pro quibus proferetur, et contra quos proferetur : quia Deus posset facere quod in instanti talem aut talem sententiam conciperent. — De loco autem judicii dicunt aliqui, quod erit in valle Josaphat. Verum Apostolus plane dicit, quod boni rapientur obviam Christo in aera. Mali ergo relinquentur in terra, et erunt in valle illa et in circuitu ejus, in I *Thess.* IV, 17.

tanto loco quantus poterit capere eos. Hæc A Scotus.

Denique de his scribit Parisiensis libro de Universo. Et de parvulis in originali defunctis testatur, quod nunquam habebunt sensibilem pœnam, sicut nec actualiter peccaverunt, et quod vere resurgent cum aliis, non in illa corporis infirmitate, teneritudine, parvitate, nec in illa animæ imperfectione in qua obierunt, sed sicut dist. XLIV, q. 2. de aliis dictum est, in illa corporis dispositione quam habuissent in ætate perfecta, si vixissent tamdiu; in perfectione quoque B naturali quantum ad animam, ut in naturali scientia, prudentia et virtute. — De Cf. p. 360 B. loco demum judicii scribit sicut jam dictum est, et quod disceptatio atque sententiæ prolatio erunt vocales, et quod resuscitati maximum terræ spatium occupabunt. Nihilo minus per omnipotentiam Dei, Judex ab omnibus quantumcumque distantibus conspicietur ac audietur. — Hæc Guillelmus, qui non scribit de hoc, an parvuli illi in judicio comparebunt.

Postremo in tertia parte, quæstione quin- C art. 5. quagesima nona, scribit Thomas, cur post particulare judicium restat judicium generale: Perfectum (inquiens) judicium ferri non potest de aliquo ante ejus consummationem, quando amplius non est timendum de periculis quæ ante finem vitæ possunt accidere; idcirco statim post mortem fit uniuscujusque particulare judicium. Sed sciendum, quod homo manet post mortem secundum aliquid, pluribus modis. Primo, prout permanet in memoriis hominum, in quibus contra veritatem D interdum est bonæ aut pravæ reputationis ac famæ. Secundo, in filiis, qui sunt quasi aliquid parentum, et tamen multorum bonorum parentum sunt filii vitiosi, et econtrario. Tertio, quantum ad operum suorum effectum: quemadmodum enim ex deceptione hæresiarcharum pullulat error usque ad finem mundi, ita usque tunc proficit fides et crescit Ecclesia ex prædicatione, doctrina et exemplaritate Catholicorum. Quarto, quantum ad corpus, quod quandoque honorifice sepelitur, interdum inhumatum relinquitur. Quinto, quantum ad ea quæ homo dilexit, videlicet temporalia bona. Omnia autem hæc subduntur providentiæ atque judicio Dei. Unde de omnibus hominibus, quantum ad omnia ista, non potest perfectum ac manifestum exerceri ac haberi judicium quamdiu durat status sæculi hujus. Hinc oportet in fine sæculi esse unum finale ac generale judicium, in quo omnia quæ qualitercumque ad hominem pertinent, plenissime judicentur. Non tamen judicat Dominus bis in id ipsum, id est secundum idem, sed bene secundum diversa. *Nahum* I, 9, juxta LXX.

Præterea judiciaria Christi potestas etiam ad angelos bonos ac malos se extendit, etiam ex parte naturæ assumptæ, propter unionem ejus cum Verbo, propter quam, in quantum homo, summos angelorum illuminat, ut divinus Dionysius docet. Et item, propter meritum humiliationis passionisque suæ: propter quod meruit ut in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Et rursus, quoniam ipse est caput hominum, ad quorum ministeria mittuntur angeli sancti: propter quod de ministerio angelorum habet decernere, et de accidentali præmio quod inde consequuntur, atque de accidentali pœna quam dæmones nos vexando ac tentando merentur. — Hæc in Summa. art. 6. De Cœlest. hier. c. VII. *Philipp.* II, 10.

QUÆSTIO II

MOdo quærendum, **An regio elementaris purgabitur igne conflagrationis, et quousque ille ignis pertinget.**

Videtur quod non præcedet adventum Christi ad judicandum purgatio aliqua. Deus enim essentialiter sanctus, nullam immunditiam detestatur nisi peccati, quæ immunditia esse non valet nisi in rationali et intellectuali creatura: elementa ergo non sunt igne purganda. — Denique aer

et aqua non sunt potius inquinata quam A ignis : ergo non magis indigent purgatione quam ipse ignis.

De effectu quoque ignis illius quærendum est, an consumet omnia mixta, et bruta ac homines quos invenerit vivos ; et cujus speciei exsistat.

Circa hæc scribit Bonaventura, primo respondendo ad istud, utrum virtus illius ignis sit naturalis : Quidam dixerunt, quod conflagratio ignis fiet naturali virtute, et quod tali virtute etiam fuit diluvium. Po- B tuerunt enim (ut dicunt) cœlestia corpora habentia influentiam et effectum super humidum, sic in unum concurrere signum, ut tanta vaporum elevatio fieret, multiplicatioque humorum, quod causaret diluvium. Sic dicunt, quod sidera habentia inflammandi virtutem, et corpora recipientia inflammationem, naturaliter ita concurrere poterunt, quod tantus aggregabitur ac generabitur ignis, qui totum inferius consumet, purgabit, subtiliabit, atque in meliorem dispositionem restituet. Ve- C rum positio ista est temeraria, scilicet, id quod sola Dei voluntate determinatum est, et a divina potestate causandum, et quod numerum respicit electorum ac merita personarum, ponere in cursibus siderum, atque adscribere influentiis eorumdem. — Hinc secunda est opinio, quod virtus illius ignis sit omnino supernaturalis, et quod in eo non sit quærenda ratio naturalis, quemadmodum nec in aliis Dei miraculis. Sed ista opinio stolida comprobatur. Cur enim per ignem magis fiet illa purgatio D quam per aliud corpus, si in igne non sit virtus quæ operationi congruat illi ?

Hinc media via est eligenda, dicendo quod de ignium conflagratione possumus loqui quantum ad ejus inchoationem, progressum et consummationem. Et quantum ad suam inchoationem, est a virtute supernaturali. Quod enim ex omnibus ignibus conflagretur sic unus ignis, et quod ibi sic agat novo et insolito modo, et se taliter multiplicando, non esset, nisi supernaturalis ei adsisteret virtus ; et quæ sit illa, Dominus novit. Quantum vero ad progressum, qui est purgare, urere, subtiliare, est a naturali virtute. Sed quantum ad consummationem, ut scilicet purgata sint incorruptibilia, et qualitates eorum mutatæ, est supra naturam. Quocirca sciendum, quod subtiliatio fit dupliciter. Primo, per dilatationem et rarefactionem ; et corpus ita subtiliatum occupat locum majorem. Secundo, per depurationem et separationem puri ab impuro ; et hanc subtiliationem facit ignis, quando res purganda includitur in vase forti : quemadmodum agunt artifices alchimiæ, qui dicunt, quod totum corpus potest ibi depurari ac subtiliari, ut veniat ad naturam corporis quinti ; tuncque fæx tendit ad fundum, et supernatat subtile. Et sic in proposito erit, quoniam cœlum erit vas contentivum elementorum : ideo depurabuntur, et fæx elementorum transiet in infernum.

Secundo hic quæritur, an ignis ille sit elementum. Respondet : Quidam dixerunt, quod ignis ille erit elementum ignis. Nec mirum, quoniam modicus ignis appositus combustibili, augetur in infinitum se multiplicando : sicque faceret ignis ille, nisi impediretur ; et si vigoretur vis ejus, prout in judicio erit, totum poterit consumere et purgare, nec oportet novum ignem causari. Sed quia Sancti videntur dicere, quod ignis ille adveniet sicut Dominus pluit super Sodomam, imo magis descen- *Gen.* xix, 24.
det quam ascendet ; ideo alii dicunt, quod erit alius ignis non creatus, sed virtute cœlestium corporum in inferioribus generatus : sicut ex confractione et multiplicatione radiorum quæ fit ex repercussione ad speculum concavum, gignitur ignis propter subtiliationem aeris circumstantis ; similiter ad urinale aqua plenum. Et quamvis ad hoc quod ignis taliter generetur, oportet congregationem fieri radiorum, non tamen oportebit mundum repleri concavis speculis ; sed alio modo ad concavas nubes, prout divina providentia disponere novit, poterit ignis in omnibus

istis inferioribus generari. Nec dico hoc A non esse possibile. Stultum vero est hic aliquid fingere, imo Sanctorum auctoritatibus oportet inniti : qui quamvis non aperte determinent quis sit ille ignis, attamen Augustinus doctor excellens ait, quod fiet mundanorum ignium conflagratione, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Huic ergo auctoritati innitendo, dico, quod sicut in diluvio non sunt novæ aquæ creatæ, sed eædem multiplicatæ operante influxu cœlestium corporum, per quæ elevatio facta est humo- B rum ; ita credendum est, quod non solum ignis qui est in sphæra sua, ibi sit accessurus, sed et omnes ignes qui sunt in terra, et qui supra terram, et qui sub terra, concurrent ad illam conflagrationem, ut Augustinus velle videtur. Et concedo, quod virtus cœlestium corporum ad illius ignis conflagrationem, multiplicationem et actionem concurret.

Præterea si quæratur, cur purgatio illa fiet per ignem; dicendum, quod ratio est ex parte purgationis hominum a peccato, C et ex parte purgationis mundi. Ex parte purgationis hominum, quoniam sicut in principio mundi concupiscentiæ ardor regnavit, ita in senectute ejus regnabit avaritiæ frigus : refrigescet namque caritas multorum. (*Matth.* XXIV, 12.) Quumque purgatio per contrarium fieri debeat, hinc sicut purgatio ardoris concupiscentiæ facta est per aquam, sic purgatio frigoris malitiæ et avaritiæ fiet per ignem. Alia ratio est ex parte mundi purgandi, et ejus ad quod est purgatio. Nam prima illa purgatio fuit ad D delendum hominem vetustum, et novos homines procreandos; hæc autem erit ad totum universum meliorandum. Quumque ignis urat atque subtiliet, aqua non; ideo in igne erit ultima ista purgatio.

Quæritur quoque, quousque extendet se. Dicendum, quod ignis ille tantum ascendet quantum corpora consumptibilia et passibilia durant, videlicet quantum durat spatium continens elementa : sicque plus ascendet quam ascendit aqua diluvii. Et si objiciatur quod Beda et etiam Glossa super secundam ad Thessalonicenses epistolam affirmant, quod tantum ascendet (II *Thess.* I, 8.) quantum aqua diluvii; respondendum, quod duplex est purgatio : una, a fœditate peccati; alia, a vetustate corruptionis. De prima intelliguntur illæ et similes auctoritates, quia tam alte ascendit fumus sacrificiorum idolorum, et fœditas quædam ex peccatis hominum ac dæmonum relicta in aere caliginoso. De secunda intelliguntur jam dicta. Unde sic erit in omnibus elementis, quæ ex tunc incorruptibilia erunt, sicque ascendet usque ad ultimum sphæræ ignis. Duplex quoque est innovatio : una, per abjectionem vetustatis; alia, per additionem novitatis et meliorationis. Prima erit in corporibus elementaribus, a quibus auferentur corruptibiles qualitates; secunda, in corporibus cœlestibus, in quibus augebitur claritas. Prima innovatio est per ignem, non secunda. Porro quod princeps ait Apostolorum, Cœli ardentes solventur, (II *Petr.* III, 12.) de cœlis aerio et igneo exponitur, a quibus et stellæ casuræ dicuntur, id est azub similes stellis.

Amplius si quæratur, an ignis ille præcedet judicium; respondendum, quod quidam dixerunt, esse judicium definitionis, et illud præcedere ignem, ita quod ante dabitur sententia contra iniquos, quam veniet ignis; aliud dixerunt esse judicium exsecutionis, quod (ut dicunt) sequetur ignem, quia in illo igne reprobi involventur et in infernum projicientur. Verum ista responsio stare non valet, quia secundum Augustinum, impiis judicatis et in ignem æternum projectis, figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione peribit. — Alii dicunt, quod duplex erit ignis istius effectus, puta, purgare et innovare : quantum ad primum effectum, præcedet; quantum ad secundum, sequetur. Quod etiam non videtur posse salvari, quoniam ignis ille purgando innovabit, ita quod isti effectus erunt conjuncti et indivisi. — Ideo dici potest, sicut dicit Glossa super illud Malachiæ, Purgabit filios Levi : Duos (*Malach.* III, 3.)

legimus ignes futuros : unum, qui purgabit electos et præcedet judicium; alterum, qui reprobos cruciabit. Et ideo secundum hanc Glossam, sive dicantur duo ignes secundum substantiam, sive duo ratione duorum effectuum, futurus est ignis ad ele-
Ps. xcvi, 3. ctorum purgationem, juxta illud : Ignis ante ipsum præcedet, qui purgando amicos, inflammabit in circuitu inimicos. Est etiam ignis futurus ad mundi purgationem ac innovationem, qui (secundum Augustinum) sequetur judicium et faciem mundi exuret, purgabit, ac deinde reprobos cruciabit. — Probabilior item est opinio, quod post judicium dæmones non erunt hominum tortores in pœna, imo et ipsi erunt totaliter absorpti a pœnis. Quumque objicitur, quod erunt tortores; dicendum, quod verum est quoad statum ante judicium. — Hæc Bonaventura.

Concordat idem in Breviloquio, et addit : Quum nihil intensius, velocius, horribilius in agendo commoveat alia elementa, quam ignis hinc inde ex omni parte concurrens; idcirco Judicis faciem ignis præcedet, non tantum ex una sed ex omni parte mundi, ut sit ibi concursus ignis elementaris et terrestris, ignis purgatorii et infernalis : ut per infernalem reprobi adurantur, per purgatorium justi purgentur, per terrestrem terræ nascentia ac irrationalia consumantur, atque per elementarem elementa subtilientur et ad innovationem disponantur. Hæc ibi.

Præterea de his scribens Thomas : Mundus, inquit, aliquo modo propter hominem factus est; oportet ergo quod quando homo glorificabitur, etiam alia principalia mundi corpora ad meliorem statum mutentur, ut sit et convenientior locus, delectabiliorque adspectus. Ad hoc autem quod homo gloriam corporis consequatur, oportet prius removeri ea quæ gloriæ opponuntur : quæ sunt duo, videlicet, corruptio naturæ et infectio culpæ. Sic et elementa a contrariis dispositionibus oportet purgari, antequam in novitatem gloriæ adducantur. Quamvis autem res corporalis non intellectualis, subjectum culpæ proprie esse non possit, tamen ex culpa incongruitas quædam in corporalibus rebus relinquitur ad hoc quod spiritualibus dedicentur. Unde videmus quod loca in quibus crimina sunt commissa, non reputantur idonea ut in ea aliqua spiritualia exerceantur, nisi purgatione quadam præmissa. Juxta hæc, ex peccatis hominum quamdam inidoneitatem ad gloriæ immissionem recipit pars mundi inferior quæ cedit in hominum usum : ideo eget purgatione. Consimiliter, circa medium locum propter elementorum contactum multæ sunt corruptiones et generationes et alterationes elementorum, quæ eorum derogant puritati. Idcirco ab his oportet elementa purgari, ad hoc quod decenter recipiant cujusdam gloriæ novitatem.

Amplius, purgatio illa convenientissime fiet per ignem, quia ad hoc fiet purgatio illa, ut a mundo removeat infectionem ex culpa relictam, atque commixtionis impuritatem, et erit dispositio ad gloriæ perfectionem : ideo quantum ad hæc tria, convenientissime fiet per ignem. Primo, quoniam ignis quum sit nobilissimum elementorum, habet proprietates proprietatibus gloriæ similiores, ut maxime patet de luce. Secundo, quoniam non sic recipit admixtionem extranei, propter activitatem suæ virtutis, ut alia elementa. Tertio, quoniam sphæra ignis est a nostra habitatione remota, nec ita communis est nobis usus ignis elementaris sicut terræ et aquæ ac aeris : idcirco nec ita inficitur. Hinc maximam efficaciam habet ad purgandum et dividendum subtiliando. Denique ignis in usum nostrum non venit prout est in materia propria, imo sic est remotus a nobis, sed solum ut est in materia aliena : et quoad hoc, poterit purgatio fieri per ignem in sua puritate exsistentem. Hoc etiam advertendum, quod prima illa generalis purgatio per diluvium facta, non fuit nisi ad infectionem culpæ tollendam ; futura vero purgatio erit ultra hoc ad auferendum commixtionis impuritatem : ideo aptius fit

per ignem, qui magis est penetrativus ac divisivus.

Quæritur quoque, an ignis ille ejusdem sit speciei cum igne elementari. Dicendum, quod de hoc tres exsistunt opinio- *Cf.* p. 369 A. nes, etc., sicut supra in Bonaventura. Fiet ergo conflagratione ignium mundanorum, ut vicesimo de Civitate Dei asserit Augustinus. Quæ conflagratio non aliud est quam congregatio omnium superiorum et inferiorum causarum quæ ex sua natura habent vim igniendi, ex quarum concursu generabitur ignis qui faciem mundi exuret. Quod si istæ opiniones considerentur, inveniuntur diversificari quantum ad causam generationis ignis illius, non quantum ad speciem ejus. Nam ignis generatus a sole, vel a calefaciente inferiori, est ejusdem speciei cum igne qui est in propria sua natura, nisi in quantum admiscetur ei de aliena materia : quod tunc oportebit, quoniam ignis non potest aliquid purgare nisi secundum hoc, quod aliquid efficitur ejus materia aliquo modo. Ideo simpliciter concedendum, quod ignis ille erit ejusdem speciei cum isto. — Sed objici potest, quia (secundum Glossam) ignis ille absumet ignem apud nos exsistentem : ergo differt ab eo specifice. Imo differt ab igne isto virtute, motu et operatione : ergo et specie. Et respondendum, quod ignis ille differt numero ab igne isto; ideo sicut videmus quod duorum ignium major consumit minorem, consumendo ac destruendo materiam ejus, sic ignis ille istum consumere poterit. Rursus ignis ille virtute divina vim purgandi habebit; et feretur deorsum, non ex sua natura, sed ut divinæ potestatis instrumentum, ac sequendo combustibilem materiam quam incendet : quemadmodum videmus hoc modo ignem moveri deorsum atque in gyro.

Insuper quæritur, an ignis ille superiores cœlos purgabit, et utrum consumet alia elementa. Dicendum ad primum, quod purgatio illa fiet per ignem ad removendum a corporibus dispositiones contrarias perfectioni gloriæ : quæ dispositiones ali- A quibus insunt ex aliquo stabiliter inhærente, sicut in corporibus inferioribus, quæ per mutuam mixtionem a propria decidunt puritate. In corporibus vero superioribus, puta cœlestibus, tale nil est nisi motus localis, qui non mutat intrinseca. Idcirco ab illis non oportet removeri nisi motum hujusmodi; quod fieri potest per hoc solum quod motores cœlestium corporum desistent a motionibus eorumdem : ideo non purgabuntur per ignem.

Ad secundum, quod de hoc sunt diver- B sæ opiniones. Una, quod omnia elementa manebunt quantum ad materiam, et omnia mutabuntur quantum ad imperfectionis suæ remotionem, atque quod duo eorum retinebunt proprias formas substantiales, terra scilicet et aer; ignis vero et aqua mutabuntur ad formam cœli. Sicque tria elementa, aqua, aer et ignis, cœlum dicentur, quamvis aer suam retineat formam substantialem : nam et modo dicitur cœlum. Unde in Apocalypsi non fit mentio nisi de cœlo et terra. Vidi (inquit) *Apoc.* XXI, 1. C cœlum novum et terram novam. Verum ista opinio repugnat philosophiæ ac theologiæ. Sic enim periret perfectio universi, non remanentibus principalibus partibus ejus in sua integritate. Nec materia elementorum est in potentia ad substantiales formas cœlorum. Idcirco in verbis illis per cœlum intelliguntur omnia cœlestia corpora, et per terram omnia corpora inferiora, videlicet quatuor elementa. — Hinc alii dicunt, quod omnia elementa manebunt quantum ad substantiam, qualitates D vero activæ ac passivæ removebuntur ab eis : quemadmodum etiam dicunt, quod in *Cf.* t. XXII, corpore mixto manent elementa quantum p. 117 B'. ad formas substantiales, sine hoc quod proprias habeant qualitates, quum ad medium sint reductæ. Et consonare videtur quod vicesimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Illa conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates quæ nostris congruebant corporibus, ardendo penitus interibunt, et substantia eas qualitates habebit quæ immortalibus cor-

poribus mirabili mutatione convenient. A Verum nec istud videtur probabile, quum qualitates hujusmodi sint naturales effectus ac sequelæ substantialium formarum elementorum : ideo sunt de secundaria perfectione elementorum tanquam propriæ passiones seu proprietates eorum. Nec apparet probabile, quod in illa finali consummatione aliquid naturalis perfectionis ab elementis tollatur.

Hinc dicendum, quod quatuor elementa manebunt secundum substantiales formas *Cf.* p. 371 D. et naturales suas qualitates, et modo præ- B tacto purgabuntur ab infectione et impuritate quam ex mutua actione et passione contraxerunt : quia cessante motu mobilis primi, mutua actio et passio in elementis esse non potest. Et hoc Augustinus appellat qualitates corruptibilium elementorum, id est innaturales dispositiones per quas corruptioni propinquant. Itaque, ignis confla- Beda, in II Petr. III, 10. grationis duo elementa absumet (ut aiunt), non corrumpendo eorum substantiam, sed dispositionem mutando atque purgando; et alia duo omnino consumet, non destruen- C do eorum naturam et speciem, sed in quantum magis removebuntur a pristina dispositione, alteratione et proprietate quam habent nunc : quæ duo elementa sunt ignis et aqua, secundum quosdam, quorum unum magis excedit in caliditate, aliud in frigiditate, quæ sunt maxime corruptionis principia in corporibus aliis. Alii dicunt, quod erunt aer et aqua, in quibus nunc magis abundant variæ motiones, impressiones, fluxus, refluxus, quæ omnia tunc cessabunt. Et juxta hunc modum ex- D *Apoc.* XXI, 1. ponitur illud Apocalypsis, Mare jam non est. Quumque ignis conflagrationis acturus non sit nisi ut instrumentum divinæ providentiæ ac virtutis, non aget in alia elementa ad eorum consumptionem, sed purgationem. Nec oportet, id quod fit materia ignis omnino corrumpi ac recedere a propria forma, ut patet in ferro ignito, quod a loco ignitionis amotum, redit virtute propriæ speciei ad pristinum statum : sicque erit de elementis purgatis.

Quæritur quoque, utrum per ignem illum omnia elementa purgabuntur, ita quod pertinget usque ad sphæram continentem quatuor elementa. Ad quod aliqui dicunt quod imo. Sed hoc repugnat auctoritati Scripturæ, quum in Canonica sua Petrus testetur, quod illi cœli repositi sunt igni, II *Petr.* III, 7. qui fuerunt per aquam purgati. Et Augustinus vicesimo de Civitate Dei : Ille (ait) mundus qui diluvio periit, igni reservatur. Aqua autem diluvii non nisi quin- *Gen.* VII, 20. decim cubitis altior fuit montibus terræ. Nec vapores nec fumi pertransire possunt sphæram ignis usque ad summitatem ipsius. Sed ignis ille pertinget usque ad medium interstitium aeris, quia tam alte (ut creditur) aqua ascendit diluvii, ut ex altitudine montium quos operuit, probabiliter æstimatur. Et sicut aquæ diluvii non pervenerunt usque ad paradisum terrestrem, secundum Bedam, ita nec ignis conflagrationis paradisum purgabit. — Et si objiciatur, quod primi parentes peccaverunt in eo; dicendum, quod etiam in cœlo empyreo dæmones plurimi peccaverunt, sed nec paradisus nec cœlum illud sunt locus peccantium : quia qui peccaverunt ibidem, mox inde expulsi sunt; idcirco purgatione non indigent.

Ad quæstionem demum qua quæritur, an ignis ille præcedet judicium, dicendum quod conflagratio illa quantum ad sui initium, præcessura est judicium ipsum, quum secundum Apostolum, etiam illi qui dormierunt, rapientur in nubibus obviam Chri- I *Thess.* IV, 17. sto in aera ad judicium venienti. Simul autem erit resurrectio communis et corporum Sanctorum glorificatio. Sancti namque resurgentes, corpora gloriosa resument, quum dicat Apostolus : Seminatur I *Cor.* XV, 43. in ignobilitate, surget in gloria. Simul quoque corpora Sanctorum glorificabuntur, et tota creatura suo modo renovabitur, juxta illud ad Romanos : Ipsa crea- *Rom.* VIII, 21. tura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quumque conflagratio illa sit dispositio ad renovationem præfatam, ut patuit, constat *Cf.* p. 371 D.

quod ipsa præcedet judicium quantum ad A actum purgandi, non tamen quantum ad actum involvendi reprobos. — Si autem objiciatur, quod Christus ad judicium veniens, quosdam inveniet vivos, dicente Apostolo, Deinde nos qui vivimus, etc. : *I Thess.* IV, 17. dicendum, quod omnes morientur ac resurgent; *Cf.* p. 251 C'. attamen illi dicuntur vivi reperiendi, qui usque ad tempus conflagrationis corpore vivent.

Præterea si quæratur, an ignis conflagrationis habebit eosdem effectus in omnibus hominibus : respondendum, quod B ignis ille quantum ad hoc quod præcedet judicium, aget ut instrumentum divinæ justitiæ; et etiam propria ac naturali aget virtute, in quantum ignis. Et quantum ad hoc secundum, aget similiter in bonos et malos qui vivi invenientur, utrorumque corpora in cinerem redigendo. In quantum vero instrumentum divinæ justitiæ, aget diversimode in diversos, quantum ad sensum pœnæ : quoniam mali igne illo cruciabuntur; boni vero in quibus nihil purgandum invenietur, nullum dolorem C ex igne sentient, quemadmodum nec tres *Dan.* III, 50. pueri in camino (quamvis eorum corpora non serventur integra, sicut corpora illorum puerorum fuerunt servata), sicque divina virtute sine cruciatu sensibili suorum resolutionem corporum patientur; boni vero in quibus aliquid reperietur purgandum, sentient ignis cruciatum magis et minus secundum suorum exigentiam peccatorum. Quantum autem ad actum involvendi, facto judicio, non aget nisi in reprobos. Porro qui vivi reperientur, su- D bito poterunt illo igne purgari. Primo, quoniam pauca in se purganda habebunt, quia persecutionibus atque terroribus præcedentibus erunt purgati. Secundo, quoniam pœnam illam voluntarie sustinebunt : pœna autem in hac vita sponte suscepta ac tolerata, multo plus purgat quam pœna post mortem inflicta. Quod si quid purgandum in eis invenitur, falce tollitur passionis, ut asserit Augustinus. Tertio, quoniam calor ille recuperabit in intensione, quantum amittet in temporis brevitate.

Postremo quæritur, an ignis conflagrationis involvet damnatos, descendendo cum ipsis in tartarum. Dicendum, quod tota purgatio et innovatio mundi ad purgationem innovationemque hominis ordinabitur : hinc oportet ut mundi purgatio ac innovatio correspondeat purgationi et innovationi generis humani. Cujus una purgatio erit, quod impii segregabuntur a justis, juxta illud Lucæ : Cujus ventilabrum *Luc.* III, 17. in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum, id est electos, in horreum suum; paleas autem comburet igne inexstinguibili. Conformiter erit de purgatione mundi, quoniam quidquid fuerit turpe ac fœdum, retrudetur cum reprobis in infernum; quidquid vero fuerit pulchrum ac nobile, in superioribus reservabitur ad gloriam electorum. Sic etiam erit de igne conflagrationis, ut ait Basilius super illud, Vox Domini intercidentis flam- *Ps.* XXVIII, 7. mam ignis. Nam quantum ad calidum ustivum, et quantum ad id quod in igne grossum invenietur, descendet ad inferos ad supplicium damnatorum; quod autem in eo fuerit subtile ac lucidum, manebit superius ad gloriam electorum. — Denique ignis qui purgabit electos ante judicium, erit idem numero cum igne conflagrationis, quamvis quidam aliter dicant : convenit namque ut quum homo sit pars mundi, eodem igne purgetur quo mundus. Dicuntur tamen duo ignes, quantum ad officium, et aliquo modo quantum ad substantiam, quia non tota substantia ignis purgantis in infernum trudetur. Sicque intelligendum est quod super illud Malachiæ, Purgabit filios Levi, asserit Glos- *Malach.* III, 3. sa : Duos legimus ignes futuros : unum, quo Deus purgabit electos, et præcedet judicium; alterum, qui reprobos cruciabit. Ex prædictis etiam patet, quod ignis inferni ab initio præparatus, in fine mundi augebitur, addito sibi igne conflagrationis. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Petrus in omnibus, et addit :

Primus adventus Antichristi erit in benignitate et miraculorum operatione, et tunc a Judæis suscipietur. Ad quorum conversionem veniet Elias, tuncque Antichristus in persecutionem apertam vertetur, et in ipsos fideles desæviet. Et secundum regulam Tichonii, a quibusdam Antichristus suscipietur, alii per Eliam convertentur. Hæc Petrus.

Consonat his Richardus, paucis exceptis. Siquidem ait : Dicunt aliqui, quod ignis conflagrationis occidet electos tunc nondum defunctos, sine ullo eorum dolore, quoniam aget in eos ut instrumentum divinæ justitiæ, non secundum propriam potestatem. Mihi autem videtur, quod ignis Cf. p. 252 A. ille eos non occidet, sed morientur propter cessationem motus cœli. Nempe ut asserit Rabbi Moyses, sicut si cor ad momentum a motu suo quiesceret, homo quasi in ictu oculi moreretur, et destruerentur motus ejus atque virtutes; ita si motus cœli per punctum horæ periret, mundus in inferioribus istis deficeret. Aliqui etiam dicunt, quod modico tempore ante ignem conflagrationis omnes morientur. Item quod aliqui dicunt, quod illud subtile, purum et splendidum quod remanebit de igne, manebit superius, non intelligo : quia sic alia tria elementa remanerent minorata, quia de parte materiæ cujuslibet illorum ignis ille supernaturaliter producetur. Ideo probabilius mihi videtur, quod ignis ille completo purgationis officio, in præjacentem materiam resolvetur, et transmutabitur pars in puram terram, pars in puram aquam, pars in aerem purum; fietque supernaturali virtute resolutio ista. — Hæc Richardus, qui etiam dicit, quod in conflagratione, ignis infernalis non exibit infernum, et quod in loco judicii impii punientur igne conflagrationis, et forsitan non igne tartareo. — Scripta demum Alberti de his, continentur in dictis ex Thoma, et concordant omnino.

At vero Scotus : Multis (inquit) modis poterit ignis conflagrationis produci, sed convenientius videtur dicendum, quod sicut ignis potest extra suam sphæram esse in aliena materia, ut in corpore ignito, sic vapores exsistentes in aere, per juxtapositionem possunt igniri, et ita ignitio successiva nunc istorum, tunc illorum vaporum, saltem in toto superposito regioni habitabili hominum, potest dici conflagratio illa; et per hoc densatur aer, quoniam corpora illa ignita mox convertentur in illum verum purumque aerem in sua regione. — Hæc Scotus. Verum modus iste ceteris modis prætactis videtur ineptior. Nec enim ex inflammatione vaporum illorum posset tantæ magnitudinis tamque intensissimæ activitatis ignis produci, qui omnia (sicut præhabitum est) per gyrum undique adimpleret, incenderet et purgaret celerrime et quasi repente.

DISTINCTIO XLVIII

A. *De forma Judicis.*

SOLET etiam quæri, in qua forma Christus judicabit. In forma utique servi judicabit, quæ omnibus in judicio apparebit, ut videant mali in quem pupugerunt. Divinitatem vero ejus mali non videbunt. Unde Isaias : Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Humanitatem videbunt, ut timeant; divinitatem vero non, ne gaudeant. Divinitas enim sine gaudio videri non potest.

Apoc. I, 7. *Is.* XXVI, 10, juxta LXX. Isid. Sent. lib. I, c. 27, n. 8.

B. *Quod apparebit tunc in forma servi.*

Hugo, de Sacram. lib. II, p. XVII, c. 7. Sed quum in forma humana constet eum appariturum, quæritur, an in forma illa gloriosa appareat sicut vere est, an in forma qualis in passione exstitit. Quidam putant a malis talem videri qualem crucifixerunt, id est infirmam : quia dicit Scri- *Apoc.* I, 7. ptura, Ut videant in quem pupugerunt. Sed aperte Augustinus dicit, formam servi Aug. in ps. 100, n. 21. glorificatam a bonis et a malis tunc videri, sic : Quum in forma servi glorificata judicantem viderint boni et mali, tolletur impius, ut non videat claritatem Dei, quæ * * qua *Matth.* V, 8. Deus est, quam soli mundo corde videbunt : quod erit eis vita æterna. Forma ergo Aug. de Trinitate, lib. I, n. 28, 30. humana in Christo glorificata videbitur a cunctis : unde et Christus dicitur judicaturus, quia Filius hominis est. Ita enim legitur in evangelio Joannis : Potestatem *Joann.* V. 27. dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Non quod ipse ex virtute hominis sit judicaturus, vel quod ipse solus sine Patre et Spiritu Sancto judicium sit facturus; sed quia ipse solus in forma servi judicans, a bonis et a malis videbitur. Quum ergo *Ibid.* 22. dicitur, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio; non ita est intelligendum, quasi Filius solus judicet et non Pater, sed quia forma Filii humana cunctis in judicio apparebit, non infirma, sed gloriosa. Judicabit autem ex virtute divinitatis, non sine Patre et Spiritu Sancto, et apparebit terribilis impiis, et mitis justis. Erit enim terror malis, et lumen justis.

C. *Quare secundum formam servi dicitur Christus suscitaturus corpora.*

Et sicut dicitur Christus secundum formam servi judicaturus, propter causam præmissam, ita etiam dicitur suscitaturus corpora mortuorum secundum humanitatem, quum tamen virtute divinitatis sit suscitaturus, non humanitatis. Sed hac ratione illud dicitur, quia in humanitate suscepit illud quod est causa nostræ resurrectionis, id est passionem et resurrectionem. Ideo ei adscribitur secundum hominem Aug. in Joann. tract. 19, n. 15. suscitatio mortuorum. Unde Augustinus : Per Verbum, Filium Dei, fit animarum resurrectio; per Verbum factum in carne Filium hominis, fit corporum resurrectio. Ap. Lyran. in Joann. V, 21. Item, Judicat et suscitat corpora, non Pater, sed Filius secundum dispensationem humanitatis, in qua minor Patre est Christus. In eo quod est Filius Dei, est vita quæ vivificat animas; in eo quod est Filius hominis, judex. — Ecce secundum formam humanitatis dicitur suscitaturus corpora et judicaturus. Judicaturus autem, quia illa forma cunctis in judicio apparebit; et suscitaturus, quia in eadem forma meritum et causam resurrectionis nostræ suscepit, et quia secundum eamdem formam vocem dabit qua mortui de monumentis resurgent et procedent. Secundum quod Deus est, vivificat animas, non Pater tantum : quia non tantum Pater vita est, sed et Filius cum eo et Spiritus Sanctus eadem vita est, quæ pertinet ad animam, non ad corpus. Corpus enim non sentit vitam sapientiæ, sed anima quæ illuminatur a lumine æterno. Licet ergo Christus potentia divinitatis vivificet animas, et suscitet corpora et

judicet; non otiose tamen et præter rationem ei secundum formam Dei tribuitur vivificatio animarum, et secundum formam servi judicium et resuscitatio corporum.

D. *De loco judicii.*

Putant quidam Dominum descensurum in vallem Josaphat in judicio, eo quod ipse per Joelem prophetam sic loquitur : Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo ibi cum eis. In cujus capituli expositione ita reperi : Hoc quidam pueriliter intelligunt, quod in valle Josaphat quæ est in latere montis Oliveti, descensurus sit Dominus ad judicium; quod frivolum est, quia non in terra, sed in spatio hujus aeris sedebit contra locum montis Oliveti ex quo ascendit. Et sicut Joannes Chrysostomus dicit, angeli deferent ante eum signum crucis. Unde in Evangelio Veritas dicit : Et tunc apparebit signum Filii hominis, etc. Josaphat autem interpretatur judicium Domini. In vallem ergo Josaphat, id est judicii Domini, congregabuntur omnes impii. Justi vero non descendent in vallem judicii, id est damnationis, sed in nubibus elevabuntur obviam Christo.

Joel III, 2.
Glossa, in Joel III, 2.
Chrysost. de Cruce et latrone, hom. I, n. 4.
Matth. XXIV, 30.

E. *De qualitate luminarium et temporis post judicium.*

Veniente autem ad judicium Domino in fortitudine et potestate magna, sol et luna dicuntur obscurari, non sui luminis privatione, sed superveniente majoris luminis claritate. Virtutes quoque cœlorum, id est angeli, dicuntur moveri, non metu damnationis vel aliqua perturbatione pavoris, sed quadam admiratione eorum quæ viderint. Unde Job : Columnæ cœli pavent adventum ejus. Ante diem vero judicii sol et luna eclipsim patientur, sicut Joel testatur, dicens : Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Magnus vero dicitur propter magna quæ ibi fient. Quum autem factum fuerit cœlum novum et terra nova, tunc erit lux lunæ sicut lux solis, testante Isaia; et erit lux solis septempliciter, id est sicut lux septem dierum : quia quantum luxit sol in prima conditione septem dierum ante peccatum primi hominis, tantum lucebit post judicium. Minorata enim fuit lux solis et lunæ aliorumque siderum per peccata primi hominis; sed tunc recipiet sol mercedem sui laboris, quia septempliciter lucebit; et tunc non erit vicissitudo diei et noctis, sed tantum dies. Unde Zacharias : Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox, et in tempore vesperi erit lux. Quia tunc non erit varietas diei et noctis, quæ modo est, sed continua dies et lux. Isaias tamen videtur dicere, quod tunc non luceat sol vel luna, loquens congregationi Sanctorum : Non erit tibi (inquit) amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Sed his verbis non negat solem et lunam tunc lucere, sed significat, his qui tunc erunt in æterna beatitudine, nullum lucis usum præstare : quia ut ait Hieronymus super eumdem locum, cœli terræque, solis atque lunæ nobis cessabit officium,

Luc. XXI, 27.
Matth. XXIV, 29.
Job XXVI, 11.
Joel II, 31.
Apoc. XXI, 1.
Is. XXX, 26.
Zach. XIV, 7.
Is. LX, 19.
Hier. in Is. LX, 19.

et erit ipse Dominus lumen suis in perpetuum. Potest etiam intelligi illud Isaiæ ea ratione dictum, quia sol et luna tunc non habebunt ortum et occasum, sicut nunc. Isid. de Ord. creatur. c. v, n. 7, 6. Unde Isidorus illud Isaiæ quasi exponens, ait : Post judicium sol laboris sui mercedem suscipiet; unde Propheta : Lucebit septempliciter. Et non veniet ad occasum nec sol nec luna, sed in ordine in quo creati sunt, stabunt, ne impii in tormentis sub *Habac.* III, 11. terra positi, fruantur luce eorum ; unde Habacuc : Sol et luna steterunt in ordine suo. — Ecce aperte dicit solem et lunam tunc lucere, sed stabiliter permanere; ubi etiam significat infernum esse sub terra. Si vero quæritur, quis sit usus lucis solis et lunæ tunc, fateor me ignorare, quia in Scripturis non memini me legisse.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ OCTAVÆ

SUPRA tractavit Magister de modo ac ordine generalis judicii; hic testatur, quod Christus in assumpta humanitate glorificata in judicio apparebit et judicabit, et declarat quomodo Christus secundum formam assumptam suscitabit corpora mortuorum (quæ plane suscitatio, opus erit et effectus omnipotentiæ Dei). Post hæc exponit qualiter vallis Josaphat dicatur et erit locus futuri judicii. Et subdit qualis erit dispositio luminarium cœli atque cœlestium corporum, judicio consummato. Postremo subjungit de diversitate ac differentia mansionum in cœlo empyreo ac inferno.

QUÆSTIO PRIMA

HIC quæritur, **An Christus in judicio apparebit in forma gloriosa.**

Cf. p. 366 A. Et quia de isto jam habitum est, quod in forma humana gloriosa videbitur, quæri potest, an in eadem dispositione apparebit bonis ac malis, et an reprobi possent ejus deitatem clare conspicere sine amore et gaudio : de qua nihilo minus quæstione dist. I, q. 6. dictum est super primum.

Sed argui potest, quod in forma deitatis A judicabit et apparebit. Judicare enim est superioris et auctoritatem habentis, omnia cognoscentis, adeoque potentis ut ejus potestati nemo queat resistere. Et certum est, quod omnia ista conveniunt Christo incomparabiliter eminentius secundum divinam naturam potius quam humanam. Ergo secundum divinam naturam judicabit et apparebit.

Circa hæc scribit Albertus : Duo circa judicem attenduntur, quæ sunt, virtus ju- B diciariæ potestatis, et forma exterior judicis in quantum est judex proprius hominum judicandorum. Primum competit Christo secundum deitatem, secundum habet ex humanitate. Decet namque judicem videri a judicandis : quum igitur Christus judicaturus sit homines resuscitatos, ipse in forma et natura humana visibili apparebit eisdem. — Atque ut Magister ait, deitas sine gaudio nequit videri, loquendo de visione per speciem gloriæ, secundum quod est Beatorum objectum : hanc quippe C speciem nulla creatura percipere potest, nisi quæ glorificatione perfecta est. Sed objici potest. Ponatur enim quod aliquis deitatem conspiciat ut justam et judicantem ac vindicaturam, constat quod contremiscet, præsertim si reprobus sit : quam deitatem ita intueri non implicat, sicque deitas videretur sine dilectione et gaudio, cum formidine et tremore. Dicendum, quod talis visio est in umbra, quia in ea intellectus non habet speciem glorificationis : propter quod etiam a B. Dionysio intelle- De Divin. nom. c. IV.

ctus dæmonum vocatur phantasia proterva. Attamen concedendum, quod tam boni quam mali videbunt formam gloriosam humanitatis Christi : nam et corpus gloriosum potestatem habet videri [a non glorioso]. — Hæc Albertus, qui de his tribus distinctionibus ultimis pauca scribit.

Thomas vero super his plenius scribens : Ad judicandum, inquit, requiritur quoddam dominium. Christus autem est Dominus noster, non solum ratione naturæ divinæ, qua creavit nos, sed etiam humanæ, qua redemit nos; propter quod ad
Rom. XIV, 9. Romanos dicitur : In hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum dominetur et mortuorum. Ad obtinendum enim vitam æternam nequaquam sufficiunt nobis bona creationis et dona naturæ, sed necessaria etiam sunt charismata gratiæ et beneficium redemptionis. Quumque judicium illud finale ordinetur ad hoc, quod electi et justi admittantur ad regnum felicitatis, et impii inde excludantur; conveniens est Christum exercere illud judicium secundum naturam humanam, in qua et per quam nos redemit, imo et omnia reparavit, secundum quod homine reparato tota creatura melioratur et aliquod complementum sortitur : secundum quod ad Co-
Coloss. I, 20. lossenses habetur, Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in cœlis sive quæ in terris sunt. Hinc non solum super homines, sed et super universam creaturam Christus dominium per suam passionem promeruit. Et sicut ex deitate competit ei dominium primum ac principale, non participatum, ex jure creationis; sic ex natura assumpta competit ei dominium participatum, secundarium, jure redemptionis. — Nec his obstat, quod frequenter in Scripturis judicium istud adscribitur Patri æterno seu Deo, sicut et Daniel ait :
Dan. VII, 9. Adspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit. Antiquitas autem attribuitur Deo ratione æternitatis, et throni judiciariam potestatem designant, quia ut tactum est, judicare competit Christo diversimode secundum utramque naturam.

A Dicendum, quod in visione Danielis manifeste exprimitur totus ordo judiciariæ potestatis : quæ sicut in prima origine est in Deo, specialiterque in Patre, qui est totius fons deitatis, ideo primo ibi præmittitur, quod Antiquus dierum sedit. Sed a Patre potestas illa in Filium est traducta, non solum æternaliter secundum naturam divinam, sed et temporaliter secundum humanam. Hinc subditur ibi : In nubibus Dan. VII, 13, 14.
cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et de-
B dit ei potestatem et honorem et regnum.

Insuper, ad id quod quæritur, an Christus in judicio apparebit in forma humana glorificata, dicendum quod Christus dicitur Dei et hominum mediator, in quantum pro hominibus satisfecit et interpellat Patrem pro eis, ac ea quæ Patris sunt communicat nobis, juxta illud Joannis : Cla- Joann. XVII, 22.
ritatem quam dedisti mihi, dedi eis. Et secundum utrumque convenit ei quod cum utroque communicat extremorum. In quantum enim cum hominibus communicat,
C vices hominum gerit apud Patrem ; in quantum vero cum Patre communicat, dona Patris transmittit ad homines. Quumque in primo adventu advenerit ad satisfaciendum Patri pro nobis, idcirco apparuit tunc in forma nostræ infirmitatis, puta, passibilis et mortalis; quia vero secundo venturus est ut exsequatur justitiam Patris in homines, ideo tunc in forma humanitatis glorificata apparebit, ut demonstret gloriam quam habet in communione cum Patre. Nihilo minus signum ejus in
D judicio apparebit, juxta illud Matthæi : Tunc apparebit signum Filii hominis. Et Matth. XXIV, 30.
ut ait Chrysostomus, veniet in judicio Christus, non solum vulnerum cicatrices sed etiam mortem exprobratissimam ostendens, impiis et ingratis improperans eam. Itaque signum hoc tunc apparebit non ad indicium infirmitatis quæ tunc erit in Christo, sed quæ fuit in ipso, ut eorum damnatio appareat justa, qui tantam misericordiam neglexerunt. — Corpus demum gloriosum habet in potestate os- Cf. p. 299 D'.

tendere se oculis non gloriosis. Eadem quoque dispositio et gloria faciei, quæ amico est delectabilis, hostibus est molesta. Sicque Christus in judicio in una et eadem vultus dispositione exsistens quantum ad se, diversis diversimode apparebit, videlicet, electis dulcis, amabilis, gratiosus; reprobis metuendus, severus, indignabundus : sicut et judex terrenus reo incutit horrorem, innocenti consolationem.

At vero ad id, an deitas sine gaudio queat videri, dicendum quod in quolibet appetibili et delectabili duo possunt considerari : ipsa scilicet res appetibilis et delectabilis, et ratio appetendi. Quemadmodum autem (secundum Boetium libro de Hebdomadibus) id quod est, potest habere aliquid præter id quod ipsum est; ipsum vero esse, nil aliud præter id quod ipsum est habet admixtum : ita id quod est appetibile vel delectabile, potest habere aliud quid admixtum ratione cujus non sit delectabile aut appetibile; id autem quod est ratio appetibilitatis et delectabilitatis, nil habet neque habere potest admixtum propter quod delectabile aut appetibile non sit. Hinc res quæ appetibiles delectabilesque consistunt per participationem bonitatis, quæ est ratio appetibilitatis et delectabilitatis, possunt apprehensæ non delectare nec appeti. Deus vero qui per essentiam suam est bonitas, atque totius bonitatis, appetibilitatis delectabilitatisque ratio, non potest non delectare et appeti, dum ejus essentia clare conspicitur sicuti est in se ipsa, pura, per speciem; apprehensus vero per suos effectus, atque per speculum in ænigmate, in quantum est justus et prohibens mala ac puniens, potest non delectare nec appeti. — Ita quum tristitia dicat passionem pœnæ, quæ a causa contraria fortiori superveniente aufertur, tristitia damnatorum tolleretur, si per essentiam Deum viderent. Et si objiciatur, quod damnati et impii ob suam indispositionem non delectarentur in Deo, sicut et visui indisposito ac infirmo non est delectabile lumen vi-

A dere; dicendum, quod per indispositionem organi tollitur naturalis proportio organi ad objectum delectabile : ideo in eo non delectatur; indispositio autem damnatorum non tollit naturalem proportionem eorum ad increatum objectum, cujus imago in ipsis indelebiliter perseverat. — Hæc Thomas in Scripto, ex cujus scriptis aliis plura sunt introducta supra primum, ubi hæc quæstio diffuse est pertractata. dist. I, q. 6.

Concordat Petrus in omnibus his, et addit : Deus est ultimus finis intellectus

B creati, ideo sine delectatione visionem sequente, clare per speciem nequit videri, præsertim quum sit non solum appetibile, sed et ratio appetendi : quemadmodum lux oculis opposita seu objecta, non videri non potest, quoniam est ratio videndi colores; color autem qui est tantum visibile aliquid, potest non videri, ut patet in nocte. Rursus, quum Deus infinite excedat omne creatum, non est mens creata capax visionis ipsius sine gratia disponente, et sine lumine gloriæ naturam creatam su-

C per se elevante, quæ duo nullam culpam secum compatiuntur : ideo deitas a malis clare non valet videri. Hæc Petrus. — Idem Bonaventura et Richardus, qui tamen hanc quæstionem, an deitas sine gaudio possit videri, non hic, sed super primum tractant juxta sensum præhabitum. Et addit Bonaventura : Reprobi in judicio nec Patris nec Christi deitatem conspicient clare in se ipsa, sed solum per effectus quosdam et signa. Nam ut dicunt Augustinus atque Isidorus, si haberent oculum aptum ad dei-

D tatis intuitum, haberent maximam delectationem. Apparebitque Christus in forma humanitatis glorificata, bonis et impiis. Nec erit differentia ex parte apparentis, sed recipientium : mali namque non poterunt sustinere Judicis vultum, ex conscientiæ suæ remorsu et formidine sententiæ contra eos ferendæ. Hæc Bonaventura.

Consonat præinductis Argentinensis, addens quod planum et certum sit, quod Christus in die judicii secundum utramque suam naturam clare videbitur a Bea-

tis : quod intelligendum est de Beatis qui ante sententiæ prolationem beati fuerunt per beatificam visionem.

Postremo Scotus his contradicit, positionem S. Thomæ cum suis declarationibus recitans. Verum ea quæ objicit ac asserit contra scripta sancti Doctoris, inania sunt, nec apparentiam sortiuntur, si verba B. Thomæ diligenter pensentur, et pro parte non sunt contra mentem ipsius. Ea quoque quæ dicit de hoc, quod possit deitas clare per speciem conspici sine amore
dist. I, q. 6. et gaudio, super primum satis sunt reprobata, sicut ibidem ostensum est, et partim paulo ante jam patuit ex his quæ Thomas de his scribit materiis.

QUÆSTIO II

Amplius quæritur, **Utrum secundum Christi adventum præcedent aliqua signa.**

dist. XLVII, q. 1. Et de hoc jam dictum est paulo ante. Et quoniam inter signa connumeratur obscuratio solis et lunæ, restat elucidandum qualiter obscurabuntur, et utrum virtutes cœlorum tunc movebuntur.

Itaque de primo horum Thomas testatur: Ad reverentiam ac dignitatem judiciariæ pertinet potestatis, habere proportionata indicia quæ ad subjectionem ac venerationem judicis incitent alios ; hinc hujusmodi signa præcedent adventum Christi ad judicandum. Quæ autem sint signa illa, non potest facile sciri, quia ut in epistola ad Hesychium loquitur Augustinus, ea quæ in Evangelio prædicuntur, non pertinent solum ad secundum illum adventum, sed etiam ad tempus destructionis Jerusalem, et ad adventum quo Christus continue Ec-
Cf. p. 361 D'. clesiam visitat, etc., ut supra dictum est. Porro signa quæ Hieronymus scribit, non asserit, sed in annalibus Judæorum ea se recitat invenisse, quæ et parum verisimilitudinis habent. Verum ut asserit Augustinus in libro ad Hesychium, circa finem mundi erit universalis persecutio bonorum ab impiis ; ideo boni tunc timebunt, et mali male securi erunt, juxta illud Apostoli : Quum dixerint, Pax et securitas, repentinus eis superveniet interitus. (I Thess. v, 3.) Ad bonos vero pertinet illud Lucæ : Arescentibus hominibus præ timore. (Luc. XXI, 26.) Impii namque signa imminentis judicii parvi pendent. Potest etiam dici, quod signa illa præcipua quæ circa judicium erunt, infra tempus judicii computantur.

Porro signa quæ refert Hieronymus, sunt hæc : Primo die maria omnia exaltabuntur quindecim cubitis super montes. Secundo die omnia æquora prosternentur in profundum, ita ut vix possint videri. Tertio redigentur in pristinum statum antiquum. Quarto belluæ omnes et animalia quæ moventur in aquis, congregabuntur, ac super pelagus levabuntur, more contentionis invicem mugientes. Quinto omnia volatilia cœli congregabuntur in campis, miserabiliter mutuo flentia et nihil gustantia. Sexto ignea flumina surgent a solis occasu contra faciem firmamenti usque ad ortum corruentia. Septimo cuncta sidera errantia atque fixa spargent ex se igneas comas sicut cometæ. Octavo erit tam magnus terræ motus, quod omnia animalia prosternentur. Nono universi lapides magni et parvi dividentur, singuli in quatuor partes, unaquaque aliam collidente. Decimo omnes plantæ sanguineum fluent rorem. Undecimo omnes montes et colles ac ædificia in pulverem redigentur. Duodecimo omnia animalia venient ad campos ex desertis et montibus, nihil gustantia ac mugientia. Tertiodecimo omnia sepulcra a solis ortu usque occasum, aperientur mortuis corporibus ad resurgendum. Quartodecimo omnes homines de habitaculis suis recedent, non intelligentes neque loquentes, sed discurrentes. Quintodecimo omnes morientur, ac resurgent cum mortuis longe ante defunctis.

Præterea de obscuratione luminarium cœli sciendum, quod loquendo de sole et

luna quantum ad momentum adventus Christi, non est credibile quod obscurabuntur luminis sui privatione, quoniam totus mundus innovabitur Christo venien- *Cf. p. 373 D'.* te ac resurgentibus Sanctis, ut dictum est. Si autem loquamur de eis quantum ad tempus propinquum ante adventum, sic esse poterit ut sol et luna ac alia cœli luminaria privatione sui luminis obscurentur, vel simul aut diversis temporibus, omnipotentia Dei id faciente ad hominum terrorem. Sicque intelligendum est quod Rabanus ait : Nil prohibet intelligere solem et lunam cum sideribus ceteris tunc lumine suo privari, quemadmodum factum constat de sole in dominica passione.

Insuper, secundum divinum Dionysium undecimo capitulo de Cœlesti hierarchia, per Virtutes uno modo intelligitur specialis chorus seu ordo, quem dicit medium esse in hierarchia secunda ; secundo accipitur pro universis angelicis spiritibus. Et utroque modo hic sumitur. In littera enim *Matth. xxiv, 29.* exponitur verbum illud, Virtutes cœlorum movebuntur, de omnibus angelis, qui tunc movebuntur motu admirationis propter novitatem horribilium. Si autem Virtutes cœlorum dicantur angeli ordinis specialis, sic illi præ ceteris movebuntur, quia secundum Gregorium, ad ipsos pertinet miracula facere, quæ tunc abundantius *Cf. t. XXI, p. 487 C'.* fient ; vel ut super secundum expositum est, ad ordinis illius angelos spectat cœlestia corpora movere, a quo officio tunc non sine admirationis motione cessabunt. Verumtamen hoc invariabili stabilitati felicitatis eorum non derogabit, quoniam admiratio ista refertur ad effectus de quorum eventu et nova consideratione tunc præ solito mirabuntur, quia nec omnia illa tam distincte præcognoscere potuerunt per species concreatas. Nam quantum ad talia, est vicissitudo cogitationum in Beatis, ut infra dicetur ; et quantum ad hoc asserit Augustinus, quod spiritualem creaturam Deus movet per tempus. Nec ex hoc adscribitur eis ignorantia quan-

A tum ad ea quæ scire ad eorum pertinet statum, sed quod omnipotentiam Dei non comprehendunt plenarie : idcirco ex tam inconsuetis mirabilibus eam admirabuntur. — Hæc Thomas in Scripto.

Consonat Petrus, qui de loco judicii addit : Oppositorum motuum oppositi sunt termini. Motus autem ascensionis Christi de terra in cœlum, oppositus fuit motui descensionis de cœlo in terram ad judicandum : quia ascendit ut sit advocatus noster in curia cœli, et descendet ut sit B judex : hinc ad locum unde ascendit, descendet ad judicandum. Idoneitas quippe loci ad judicandum, ex triplici parte accipitur, utpote, tam ex parte partium quam ex parte negotii, et ex parte judicantis personæ. Ex parte partium locus debet esse communis et publicus ; Jerosolyma vero et adjacens terra videtur esse quasi in medio terræ habitabilis, et locus communis ac famosissimus propter humanæ redemptionis mysteria ibi peracta, juxta illud Psalmi : Operatus est salutem in me- *Ps. lxxiii, 12.* C dio terræ. Ex parte quoque negotii convenienter accipitur illa pars mundi, quia in aliis locis tractandæ sunt causæ criminales, in aliis spirituales. Causa vero illius judicii erit opus misericordiæ atque justitiæ, quoniam ad retribuendum pro meritis secundum misericordiam et justitiam veniet Judex ; mons autem Oliveti seu Olivarum, misericordiam designat ; Josaphat autem interpretatur judicium Domini. Et quoniam misericordia superexaltat judi- *Jacob. ii, 13.* cium, mons Oliveti supereminet valli illi. D Ex parte quoque personæ Judicis, sedes eminentior et gloriosior debet esse, ut Judex undique conspici queat. Hinc Judex in aere residebit, et in loco gloriosiori quam unquam in terra habuit, puta in loco ascensionis, in illo confinio ubi oculi Apostolorum adhuc mortalium defecerunt in intuitu gloriæ suæ, ut arbitror. Ergo circa vallem Josaphat ad judicium veniet ; judicandi autem diffundentur undique circa locum illum. Hæc Petrus.

Eadem Richardus, qui addit præhabitis :

In ipso adventu Judicis, sol, luna et sidera obscurabuntur, non lucis suæ privatione, sed majoris luminis superveniente claritate, videlicet Christi. Sol quoque et luna supernaturaliter patientur simul eclipsim : quoniam naturalis eclipsis solis causatur per interpositionem lunæ inter solem et nostrum adspectum ; naturalis vero eclipsis lunæ, per interpositionem terræ diametraliter inter solem et lunam. Vera ergo et grandis eclipsis præcedet judicium. Attamen aliter obscurabitur sol quam luna, quoniam luce remanente in sole (quæ lux est naturalis qualitas solis), sol non irradiabit, et hoc divina virtute, quemadmodum in Ægypto, per retractionem solarium radiorum. — Stellæ quoque tunc casuræ dicuntur, tropico modo loquendo, secundum Augustinum, et quia sic apparebit præ solito. Sed quia quotidie sic apparet in nocte, hinc alii dicunt, quod ante ignem conflagrationis generabitur virtute cœlestium corporum vehemens caliditas siccitasque in aere : quæ erunt congrua dispositio ad ignis illius productionem, ita quod desinent generari arcus in nubibus (qui generantur in nubis roratione), impressionesque aliæ, et generabuntur azub seu exhalationes siccæ ac calidæ, descendentes in tanta multitudine, quod adspicientibus apparebit quod sint stellæ de cœlo cadentes. Hæc Richardus.

QUÆSTIO III

Quæritur quoque, An in secundo Christi adventu innovabitur mundus, et an motus cœlestium corporum tunc cessabunt, ipsa quoque corpora superiora ac etiam elementa abundantiori venustate ac lumine ornabuntur, et an tunc penitus desinent esse bruta et plantæ ac cetera mixta.

In hac quæstione (ut palam est) multa tanguntur. Et arguitur, quia ut multipli- A citer probant philosophi, ordo rerum est optimum quid in eis : ergo sine fine manebit in ipsis. — Omnia quoque optime fecit Deus. Et ut asserit Plato in primo Timæi, incomparabili pulchritudine mundus subsistit. — Cœlestia etiam corpora alterabilia non sunt. — Quumque species animalium et plantarum ac mineralium sint de perfectione universi, videtur omnino imperitum asserere, quod ipsa penitus corrumpentur.

B Circa hæc scribit Guillelmus libro de Universo : Consequenter prosequar tibi de reliqua parte universi, videlicet inferiori seu elementari, an et ipsa meliorationem et renovationem sit receptura. Scito igitur quia sermones Prophetarum Hebræorum hoc videntur innuere, prophetiæ vero Christianorum hoc expresse testantur. Vidi (ait unus ex eis) cœlum novum et terram novam : primum enim cœlum et prima terra abiit. *Apoc. xxi, 1.* Quod si quis dicat, quia cœlum et terra incorruptibilia sunt ; re- C spondendum est, quia nihil habent hæc omnia nisi quod acceperunt ex solo beneficio Creatoris, nec stant nec permanent nisi eo conservante ac retinente, quemadmodum Plato testatur, dicens in persona Creatoris ad deos : Natura quidem dissolubiles estis, me autem sic volente, indissolubiles permanetis. Nulla ergo necessitate constricta nec prohibita est omnipotentis Creatoris voluntas a renovatione ac melioratione cœlestium corporum. Testati sunt quoque Prophetæ, quod D terris atque fluminibus, vegetabilibus ac animalibus interdum melius fuit et deterius, propter merita ac demerita hominum, sicut ad Eliæ instantiam non fuit ros nec pluvia annis tribus et mensibus sex. *III Reg. xvii, 1 ; Jacob. v, 17.* Denique sicut dixit Psalmista, terram fructiferam dedit Deus in salsuginem a malitia inhabitantium in ea. *Ps. cvi, 34.* Audisti et famosissimam subversionem Pentapolis ; notæ etiam tibi sunt plagæ antiquæ Ægypti. Si igitur propter paucos electos et dilectos suos ac brevem habitationem eorum super

terram, placuit pietati Creatoris sic meliorare ordinareque terram, et congrua sibi venustate vestire propter breve modicumque servitium; quanto magis propter incomparabiliter plures electos et dilectos suos, imo et incomparabiliter meliores quam sint viatores, placebit bonitati ipsius decorare cœlum et luminaria ejus, quæ ab initio mundi eis tam multipliciter servierunt? Et si tam multipliciter Deus ornavit elementa piscibus, et avibus, ac aliis variis ornamentis, propter temporalem et brevem habitationem electorum suorum in terra; quanto præclarius decorabitur cœlum propter perennem habitationem hominum electorum in illo? Insuper, quum juxta Prophetas atque Apostolos, cœtum electorum reputet Deus ut sponsam suam, et reges ac principes sæculi hujus exornent præ solito ac decorent domos et thalamos in quos introducturi sunt sponsas suas; quanto magis Creator altissimus sponsam suam ineffabiliter sibi magis dilectam introducturus in palatium illud cœleste, supernum inæstimabilis beatitudinis thalamum, prædecorabit et pulchrificabit illud miro modo præ solito? Denique quis regum in coronatione unius filii non perornat palatium suum novo magnificoque ornatu? Quanto magis Pater æternus in introductione innumerabilium filiorum adoptionis gratiæ suæ in supremum suum palatium, illud præclarissime decorabit, imo et alia corpora magna ei contigua, et in eo contenta, sicut et reges ornant atria ac alia tabernacula sua? — Hæc Guillelmus, qui istam disputationem pulchre ac prolixe prosequitur.

Atque subjungit : Post hæc prosequar de mundo sublunari, quem tunc habiturus sit statum. Et dico, quod ex tunc conflictus elementorum inter se desinet. Animalia quoque et vegetabilia ac metalla, quibus homines utuntur in hac vita, quum non sint necessaria nisi propter homines : ideo ipsis hominibus in perennes delicias translatis, cessabunt utilitates rerum illarum, nec ipsæ manebunt. Porro elementa quum sint magnæ partes mundi istius, qui domus est Dei, innovato decoratoque mundo, etiam ipsa innovabuntur et ornabuntur. Et de terra quidam ex sapientibus Christianorum dixerunt, quod graminibus semper virentibus, et immarcescibilibus floribus, atque perpetua vernantia et amœnitate instar paradisi terrestris sit decoranda. Nec dubium quin hoc Creatori exsistat possibile. De aliorum vero elementorum decore non est determinatum perspicue; imo quum terra deteriorata sit et maledicta propter primorum peccata parentum, constat terram ab hujusmodi maledictione liberandam, et in meliorem statum transferendam quam ab initio habuit, propter causam contrariam fortiorem. Si enim apud Creatoris justitiam peccatum illud hoc potuit, quanto magis gratia, virtutes, ac merita Sanctorum in fine poterunt hujusmodi innovationem ac meliorationem acquirere? Hæc Guillelmus.

Insuper de his, et primo de mundi innovatione, Thomas scribit : Omnia corporalia propter hominem facta creduntur, et ei esse subjecta dicuntur, et serviunt ei dupliciter. Primo, ad corporalis vitæ sustentationem; secundo, ad scientiæ divinæ profectum, in quantum homo per ea quæ *Rom.* I, 20.
facta sunt, invisibilia Dei cognoscit. Primo autem ministerio creaturarum homo glorificatus nullatenus indigebit; nec secundo, quantum ad intellectivam cognitionem, quoniam illa cognitione Sancti Deum videbunt immediate et clare per speciem. Ad quam visionem oculus carnis pertingere non valebit : idcirco ut et ipse congruum sibi solatium sortiatur, habebit clarificata objecta, in quibus Deitas tanquam in suis effectibus resplendebit, videlicet, Christi humanitatem, corpora Beatorum, corpora item cœlestia et elementa. Hinc et corpora ista cœlestia et elementaria majori tunc decore et claritate venustiori perfundentur, et hoc appellatur innovatio mundi : sicque simul glorificabitur homo, et innovabitur mundus.

Ad quæstionem quoque de cessatione

motuum cœlestium corporum respondet : A De hac quæstione est triplex opinio. Una philosophorum, quod motus cœli nunquam cessabit. Sed hoc fidei obviat, asserenti quod certus ac præfinitus a Deo sit numerus electorum, quo completo, generatio hominum cessabit, et per consequens inferiorum quæ ad hominem ordinantur. — Alii dicunt, quod naturaliter motus cœli cessabit. Quod etiam falsum est, quoniam omne corpus quod naturaliter quiescit naturaliterque movetur, habet locum in quo naturaliter quiescit, et ad quem naturaliter movetur, et a quo non recedit nisi per violentiam. Nullus autem locus potest cœlesti corpori assignari, quia non magis naturalis est accessus solis ad punctum orientis, quam recessus ab eo ; unde motus ejus aut non est naturalis totaliter, aut non terminatur naturaliter ad quietem. — Hinc dicendum, quod motus cœli cessabit non ex causa aliqua naturali, sed voluntate divina. Nam sicut jam patuit, corpora cœlestia ad duo deserviunt homini, videlicet, ad necessariam sustentationem, quod fit C per motum suum localem, quo agunt ad hominum multiplicationem, et ad generationem eorum quæ in hominis usum et sustentationem sunt ordinata, ut sunt plantæ, animalia et arbusta, etc. Hinc homine glorificato, motus cessabunt cœlestes.

Verum his objici potest quod per Jeremiam Dominus protestatur : Si legem cœlo et terræ non posui, etc. In quibus verbis insinuari videtur, quod vicissitudo dierum ac noctium nunquam cessabit. In Genesi quoque : Cunctis diebus frigus et æstus, D nox et dies non requiescent. — Dicendum, quod hæc et consimilia verba Scripturæ loquuntur de duratione, vicissitudine, cursu, secundum statum vitæ præsentis, in quo generatio habet cursum. Finis etiam principalis ac ultimatus cœlestium corporum non est continuatio generationum, sed potius deservire hominibus secundum ministerium jam prætactum, quo suo adspectu repræsentant excellentiam Creatoris, et ad ejus laudem honorificentiamque inducunt, et ad perfectionem pertinent universi. Nec motus est de perfectione cœlestium corporum, nisi in quantum per eum ad generationem et productionem mixtorum cooperantur.

Jer. XXXIII, 25. *Gen.* VIII, 22.

Porro dum quæritur, an in corporibus cœlestibus claritas augebitur ; dicendum, quod ad hoc ordinatur innovatio mundi, quatenus in ipso mundo innovato manifestis indiciis Deus quasi sensibiliter videatur, et homo in hoc delectetur. Creatura autem sua specie et decore ac claritate B ducit in Dei cognitionem, quia in his relucet sapientia et increata pulchritudo ac supereminentia Creatoris, juxta illud libri Sapientiæ : A magnitudine speciei creaturæ poterit horum creator cognoscibiliter videri. Hinc cœlestia corpora in mundi innovatione, ampliori luce ac claritate decorabuntur. Unde super illud Isaiæ, Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter, ait Glossa : Omnia propter hominem facta, in ejus lapsu sunt pejorata ; sol quoque et luna suo sunt lumine minorata. Quod quidam intelligunt de reali luminis minoratione, et hoc divina virtute. Alii probabilius hoc exponunt de minoratione luminis non in se, sed quantum ad hominum utilitatem : quoniam post peccatum non consequitur homo tantum profectum et fructum e lumine luminarium cœli, sicut consecutus fuisset si non peccasset. Et quamvis lux illa non sit essentialiter minorata, attamen realiter est augenda : ideo luna sua luce non causasset diem super terram, sicut nunc sol, et sicut luna post diem judicii facere poterit. Hinc post diem judicii nullibi erit nox super terram, sed solum in centro terræ, ubi erit infernus. Sol autem tunc lucebit septuplum quam nunc. Corpora vero Beatorum septies erunt sole splendidiora, quamvis hoc non sit aliqua auctoritate aut ratione probatum.

Sap. XIII, 5. *Is.* XXX, 26.

Sed contra ista objicitur, quoniam sapiens artifex non facit maxima instrumenta propter modicum artificium constituendum ; homo autem est quid minimæ

quantitatis, et tanquam punctum respectu A cœlorum : ergo non sunt propter hominem facta, nec cum eo clarificanda. — Dicendum, quod ista fuit objectio Rabbi Moysis, qui nitebatur probare mundum sensibilem non esse propter hominem factum. Unde auctoritates veteris Testamenti, loquentes de mundi innovatione atque cœlestium corporum clarificatione majori, dixit metaphorice esse prolatas, ita ut luminaria cœli dicantur obtenebrari, dum homo in grandem cadit tristitiam, ut vix sciat quid debeat agere; et econtrario as- B serantur homini magis lucere, quando ex tristitia gravi ad magnam exsultationem convertitur. Verum opinio et expositio ista ab auctoritatibus Scripturarum expositionibusque Sanctorum discordat. Hinc ad instantiam illam dicendum, quod quamvis homo secundum corpus suum sit quid minimum quoad corpora illa cœlestia, tamen quoad animam suam rationalem est major et dignior illis.

Insuper ad quæstionem de innovatione et clarificatione elementorum, est respon- C dendum, quod sicut est ordo cœlestium spirituum ad terrenos spiritus seu humanos, ita est ordo cœlestium corporum ad terrena. Quumque corporalis creatura facta sit propter spiritualem, et regatur ab ea, oportet similiter disponi corporalia sicut spiritualia. Hinc sicut in ultima rerum dispositione ac conservatione, spiritus humani conformabuntur angelicis, quoniam *Matth.* xxii, 30. erunt sicut angeli Dei; sic corpora elementaria cœlestibus assimilabuntur, quibus communicant in natura lucis atque D perspicui, ut dicitur secundo de Anima. Ideo assimilatio illa potissime erit per hoc, quod elementa majori quam ante claritate luminis vestientur; non tamen tam copiose sicut cœlestia, sed juxta modum eis convenientem : quia (ut fertur) terra in superficie erit pervia sicut vitrum, aqua sicut crystallus, aer ut cœlum, ignis ut sidera ac luminaria cœli. Nempe (ut dictum est) innovatio mundi ordinatur ad hoc, ut homo etiam sensu in corporalibus quodammodo per manifesta indicia seu evidentes effectus videat Deum. Quumque sensus visus sit inter ceteros spiritualior, ideo quantum ad qualitates visivas, quarum principium est lux, oportet corpora inferiora præcipue meliorari, ut solito pulchriora ac splendidiora consistant. Sed quoad qualitates elementares quæ spectant ad tactum, ut sunt calor et frigus, non attenditur melioratio ista. Verumtamen aer non erit clarus sicut radios fundens, sed sicut diaphanum illuminatum. Terra vero quamvis ex sua natura habeat opacitatem propter lucis defectum, attamen virtute divina vestietur, in superficie sua, gloria claritatis. In loco etiam inferni non erit terra glorificata per claritatem, sed loco gloriæ hujus continebit spiritus dæmonum et hominum, qui licet ratione culpæ suæ sint infimi, tamen specifica eminent dignitate. Denique abundantia illa claritatis, in corporibus non causabit caliditatem, quia inalterabilia erunt. Et quoniam omnia corpora tunc remanentia proportionabiliter clarificabuntur, unumquodque videlicet secundum dignitatem et speciem ordinis sui, manebit convenientia et harmonia ordinis universi.

Ad quæstionem demum de remanentia mixtorum post diem judicii, est dicendum, quod quum innovatio mundi propter hominem fiat, oportet quod innovationi hominis conformetur. Homo autem de statu corruptionis ad incorruptionis perpetuæ transfertur quietem : hinc mundus sic innovabitur, quod omni corruptione ac transmutatione abjecta, in perpetua perseverabit quiete. Unde ad illam innovationem nihil ordinabile est nisi quod ordinem habet ad incorruptionem, ut sunt cœlestia corpora et elementa ac homines. Elementa enim quamvis secundum partes suas, non tamen secundum se tota sunt corruptibilia. Homines etiam quantum ad animas suas, immortales incorruptibilesque consistunt, quamvis corpus humanum ex natura sua sit corruptibile. Bruta vero et plantæ, mineralia et cetera mixta secun-

dum se tota, quoad materiam et formam corruptibilia esse noscuntur : ideo non manebunt. Nec spectant ad elementorum ornatum, nisi secundum statum, cursum et alterationem, generationem et mutuam actionem status præsentis. — Quumque objicitur, quod mundus in futuro non destituetur de his quæ pertinent ad perfectionem et ordinem universi, sed perficietur ; dicendum, quod sicut perfectio hominis multipliciter assignatur, ita et perfectio universi. Est enim perfectio naturæ conditæ, et est perfectio naturæ glorificatæ. Ita perfectio universi est duplex : una secundum statum hujus mutabilitatis ; alia secundum statum futuræ innovationis. Bruta ergo et cetera mixta pertinent ad perfectionem universi secundum primum modum. — Et si rursus dicatur, quod bruta et alia mixta servierunt homini sicut et elementa, ergo meruerunt cum homine glorificari sicut et illa ; dicendum, quod mereri non convenit irrationabilibus proprie ; sed mereri vel quasi pro merito remunerari dicuntur, quoniam homo hoc meruit ut illa melius aliquid sortiantur aut innoventur, si tamen capacia sint, et ordinem habeant ad hujusmodi meliorationem. Habent autem præfata mixta naturalem appetitum semper manendi, saltem in simili secundum speciem, juxta primum modum ordinis universi, hoc est, quamdiu durat status sæculi hujus et motus cœli, qui est causa eorum, ultra quam manere nec naturaliter cupiunt neque possunt. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Petrus in omnibus, et Richardus. Qui Richardus hic specialia sciscitatur, an scilicet realiter idem sint purgatio et innovatio mundi. Et videtur ei quod non, quia purgatio dicit impuritatis corruptionem seu ablationem ; innovatio autem addit super hoc alicujus nobilitatis receptionem. Sed istud in usu terminorum videtur consistere. — Etiam quærit, an cœlestia corpora cessabunt moveri, in illo situ in quo fuerunt creata. Respondet : Unus situs non est magis conveniens

A cœlestibus corporibus quam alius propter se, sed propter diversos producendos effectus. Et dum primo creata fuerunt cœlestia corpora, alii requirebantur effectus producendi in inferioribus quam nunc, et alii nunc quam in fine. Itaque, sicut corpora illa creata fuerunt in optimo situ pro effectibus tunc congruentius producendis ; sic modo in optimo situ sunt ad producendum effectus nunc fiendos ac congruentes, atque in fine erunt in convenientissimo situ congruenti statui incorruptibilitatis il-
B lius : quæ dispositio non fuisset ante conveniens. Idcirco non cessabunt moveri in illo situ in quo producta fuerunt, et tamen cessabunt moveri in situ convenientissimo mundo pro illo statu. — Asserit quoque,
quod sole et luna quiescentibus tempore *Josue* x, 13.
Josue, omnes sphæræ cœlestes quiesce- *Cf.* t. XVI,
bant ; aliter ordo cœlestium fuisset confu- p. 521 D'.
sus. — Quærit et alia quædam ad quæ supra responsum est.

Verum contra hæc multa objici pos-
sunt. Primo, quod Isidorus ait, et habetur *Cf.* p. 378,
C in littera, quoniam judicio consummato, et in littera.
motu cœli cessante, sol et luna stabunt in ordine suo quo creati sunt : ergo et orbes. Item, si stantibus sole et luna, quieverunt
omnes orbes, ergo et sole sub Ezechia per IV *Reg.* xx,
decem lineas redeunte, redierunt et om- 11. *Cf.* t. XVI,
nes sphæræ cœlorum. Talia multa possunt p. 522 A'.
hic tangi.

At vero Bonaventura quærit hic tria. Primum, an corpora cœlestia remunerabuntur. Secundum, an quietabuntur. Tertium, an innovabuntur. Ad primum re-
D spondet : Triplex est remunerabile. Primum est quod proprie potest mereri, videlicet anima rationalis seu liberum arbitrium ; secundum est id quod conjunctum est ei, utpote proprium corpus ; tertium est id quod ordinatur ad ipsum, id est ad ejus usum sive obsequium. Itaque, sicut homo punitur tripliciter seu in tribus, puta, in anima, in corpore, atque in rebus sibi utilibus ; ita et præmiatur in eisdem. Ideo corpora cœlestia præmiari, non est aliud quam hominem præmiari in illis :

totum etenim mundum amore ac meritis hominum electorum Deus faciet pulchriorem.

Ad secundum respondet : In motu duplex finis consideratur, videlicet, finis intra, qui est terminus seu consummatio rei, et finis extra, qui est terminus intentionis : sicut in motu saxi deorsum, locus terræ est finis intra; quies vero in loco, est finis seu terminus intentionis. Quidam autem motus naturaliter habent utrumque terminum, ut motus recti. Quidam habent alterum per naturam, scilicet finem intentionis; alterum vero habent ratione principii moventis, ut motus circularis rotæ quæ movetur ad acuendum cultellum. Quod enim rota quiescat modo vel postea, non est ei determinatum, quia semper posset moveri, si esset qui vellet vel posset semper movere; dum vero cultellus acutus effectus est, cessat moveri, quia jam finis motus habetur. Ita quum motus cœlestium corporum ordinetur ad complendum numerum electorum, ideo illo completo, necesse est motum illum cessare. Nam et generatio irrationalium ordinatur ad generationem hominum, et generatio hominum ad completionem civium supernorum. Denique quies est nobilior dispositio quam motus; quin imo motus ordinatur ad quietem tanquam ad finem, quo adepto, congruit stare motum. — Ad tertium respondet sicut præhabitum est. (p. 386 C.)

Insuper Scotus hic multa inducit, tangendo motiva Philosophi propter quæ dixit motum cœli esse æternum nec posse desistere, et qualiter finis intelligentiarum dicatur movere cœlestia corpora, quum tamen finis earum (etiam secundum Philosophum et Avicennam) sit contemplatio primæ causæ, quæ est finis earum principalis intrinsecus. Inferiora vero per motus cœlestes producere, regere, movere, conservare, est finis earum secundarius, et consequens primum finem : quia ex ingenti exuberantia et plenitudine bonitatis et perfectionis ipsarum est, quod naturale, inseparabile ac delectabile valde

A est eis bonitates suas aliis communicare, ut sint non solum perfectæ in se, sed et transfundendo eam in alios. — Verum de his tractatum est copiose super secundum (dist. I, q. 3.), qualiter dixerunt emanationem rerum a primo principio esse quodammodo naturalem emicationem ac necessariam diffusionem; et nihilo minus esse intellectualem, sapientialem, et quodammodo similem emanationi artificialium ab artifice, non tamen proprie liberam. Et contra hoc prolixe arguit Guillelmus libro de

B Universo, ut patuit super secundum. (tom. XXI, p. 64 B'.)

Præterea Henricus Quodlibeto quarto interrogat (q. 12.), utrum post resurrectionem erunt aliqua individua composita in hoc mundo. Respondet : Ad hanc quæstionem ex cursu naturalium rerum nil certi possumus respondere. Quemadmodum enim res naturales ex se ipsis non habent esse suum et modum essendi, sed ex mera Dei voluntate; ita defectum sui esse ac modi essendi non exspectant nisi secundum meram dispositionem voluntatis divinæ. Id-

C circo philosophi ex his quæ videbant circa statum et dispositionem creaturarum, ratiocinantes super futuro consimilia fore, temerariam proferebant sententiam de permanentia rerum et duratione perpetua ante et post in statu quo nunc sunt, dicente Philosopho libro de Plantis : Mundus nec cessavit neque cessabit generare animalia et plantas, ac ceteras species suas; et decimo Metaphysicæ : Et omnino sol semper agit, et stellæ et totum cœlum, et non est timendum quod quiescat in aliqua hora.

D — Hæc Henricus. Qui consequenter hanc quæstionem præclare prosequitur; sed prolixitatem devitans, verba ejus transilio, quia jam talia præhabita sunt. Siquidem (Cf. dist. XLIII, q. 1; XLVII, q. 2.) ait, hanc quæstionem ex naturali ratione non posse vere determinari, quia ex sola revelatione innotuit veritas ejus, videlicet quod in die judicii elementa purgabuntur et innovationem recipient, ita quod ignis conflagrationis terram exurens, universa mixta, animalia, plantas, mineralia consumet, destruet, et in materiam primam

redacturus est ea. Cetera quæ hic scribit A Henricus, inducta sunt.

Amplius, Quodlibeto undecimo sciscitatur Henricus, utrum cessatio motus cœli post judicium erit causa incorruptionis corporum damnatorum. Et quamvis de isto tractatum sit supra, hic tamen addendum est aliquid. Ad hoc ergo respondens : Aliqui (inquit) dicunt, quod omnis realis mutatio ad motum cœlestem reducitur tanquam ad motum primum primi motoris, mediante quo virtutem motivam influit cuilibet moventi posteriori, sine qua penitus non moveret, nec ageret actione naturali reali, sed bene actione seu immutatione intentionali. Sed istud est falsum omnino. Quiescente enim cœlo, si grave esset sursum, nullo impediente motum ejus deorsum, impossibile esset illud ibi quiescere, quoniam esset quies violenta perpetua, nullo violentiam inferente. Similiter, cœlo stante, animal non impediretur a motu suo progressivo, quum et Averroes dicat quod isti motus essent in vacuo. Similiter, animalia quæ invenirentur in hora status cœli, semper et in æternum naturaliter viverent, juxta opinionem hujusmodi. Cadavera quoque quæ tunc invenirentur, nunquam possent dissolvi. Quamvis ergo motus qui requirunt principium extra, non essent nec fierent, stante motu cœli ; motus tamen qui habent sufficiens principium intra, possent esse, præsertim quando motus causatur non B tam a virtute quam a defectu virtutis, cujusmodi est motus corruptionis, potissime quando corruptio est sine generatione. — Hæc Henricus. Qui istam responsionem diffuse prosequitur, quæ obviat dictis ex Thoma ; et tamen ex ea adhuc sequi videtur, quod stuppa applicata ad ignem, stuppa non incenderetur ab igne, quod est contra articulum Parisiensem, ut patuit supra.

q. 15.

p.306 D et s.

Cf. p.306 C.

DISTINCTIO XLIX

A. *De differentia mansionum in cœlo et in inferno.*

POST resurrectionem vero, facto universo impletoque judicio, suos fines habebunt civitates duæ : una Christi, altera diaboli ; una bonorum, altera malorum ; utraque tamen angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit esse peccandi vel ulla conditio moriendi ; istis in æterna vita feliciter viventibus, illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam utrique sine fine. Sed in beatitudine isti, alius alio præstabilius ; in miseria vero illi, alius alio tolerabilius permanebunt. — Ex his apparet, quod sicut boni differenter glorificabuntur, alii magis, alii minus ; ita et mali differenter in inferno punientur. Sicut enim in domo Patris, id est in regno cœlorum, mansiones multæ sunt, id est præmiorum differentiæ ; ita et in gehenna diversæ sunt mansiones, id est suppliciorum differentiæ. Omnes tamen æternam pœnam patientur, sicut omnes electi eumdem habebunt denarium, quem paterfamilias dedit omnibus qui operati sunt in vinea. Nomine denarii aliquid omnibus electis commune intelligitur, scilicet vita æterna, Deus ipse, quo omnes fruentur, sed impariter : nam sicut erit differens clarificatio corporum, ita differens gloria erit animarum. Stella enim a stella, id est

Aug. Enchirid. c. 111.

Joann. XIV, 2.

Matth. XX, 1, 2.

I Cor. XV, 41.

electus ab electo, differt in claritate mentis et corporis. Alii enim aliis vicinius clariusque Dei speciem contemplabuntur; et ipsa contemplandi differentia, diversitas mansionum vocatur. Domus ergo est una, id est, denarius est unus; sed diversitas est ibi mansionum, id est differentia claritatis : quia unum est et summum bonum, beatitudo et vita omnium, id est Deus ipse. Hoc bono omnes electi perfruentur, sed alii aliis plenius. Perfruentur autem videndo per speciem, non per speculum in ænigmate. Habere ergo vitam, est videre vitam, id est cognoscere Deum in specie. Unde Veritas ait in Evangelio : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum, esse unum et solum verum Deum; hoc est, habere vitam, id est cognoscere te, non est ipsa cognitio quæ tu es, sed per cognitionem habere bonum quod tu es, id est vita.

I Cor. XIII, 12.

Joann. XVII, 3.

B. *Si omnes homines volunt esse beati.*

Solet etiam quæri de beatitudine, utrum eam omnes velint, et sciant quæ sit vera beatitudo. De hoc Augustinus in tertiodecimo libro de Trinitate disseruit : Mirum est, quum capessendæ retinendæque beatitudinis voluntas una sit omnium, unde tanta exsistat de ipsa beatitudine rursus diversitas voluntatum : non quod eam aliquis nolit, sed quod non omnes eam norint. Si enim eam omnes noscerent, non ab aliis putaretur esse in virtute animi, ab aliis in voluptate corporis, ab aliis atque aliis alibi atque alibi. Quomodo ergo omnes amant quod non omnes sciunt? Quis potest amare quod nescit, sicut supra disputavi ? Cur ergo beatitudo amatur ab omnibus, nec tamen scitur ab omnibus? An forte sciunt omnes quæ ipsa sit, sed non omnes sciunt ubi sit, et inde contentio est? An forte falsum est quod pro vero posuimus, beate vivere omnes homines velle? Si enim beate vivere est, verbi gratia, secundum animi virtutem vivere; quomodo beate vivere vult qui hoc non vult? Nonne verius diceremus, Homo ille non vult beate vivere, quia non vult secundum virtutem vivere, quod solum est beate vivere ? Non ergo omnes beate vivere volunt, imo pauci hoc volunt, si non est beate vivere nisi secundum virtutem animi vivere, quod multi nolunt. Itane falsum erit, unde nec ipse Cicero dubitavit? Ait enim : Beati certe omnes esse volumus. Absit ut hoc falsum esse dicamus. Quid ergo? An dicendum est, etiam si nihil aliud sit beate vivere quam secundum virtutem animi vivere; tamen et qui hoc non vult, beate vivere vult? Nimis quidem hoc videtur absurdum. Tale enim est, ac si dicamus : Qui non vult beate vivere, beate vult vivere. Istam repugnantiam quis audiat, quis ferat? Et tamen ad hanc contrudit necessitas, si et omnes beate vivere velle verum est, et non omnes volunt sic vivere quomodo solum vivitur beate. An illud ab his angustiis poterit nos eruere, si dicamus nihil esse beate vivere, nisi vivere secundum delectationem suam; et ideo falsum non esse, quod omnes beate vivere velint, quia omnes ita volunt ut quemque delectat? Sed id quidem falsum est. Velle enim quod non deceat, est esse miserrimum; nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle

Aug. de Trinitate, lib. XIII, n. 7.

Cic. in Hortensio.

Aug. op. cit. n. 8.

quod non oporteat. Quis ita cæcus sit, ut dicat aliquem ideo beatum, quia vivit ut vult; quum profecto etsi miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum quæ perperam voluisset, habere potuisset? Mala enim voluntate vel sola miser quisque efficitur; sed miserior, quum desiderium malæ voluntatis impletur. Quapropter, quoniam verum est quod omnes homines esse beati velint, idque ardentissimo amore appetant, et propter hoc cetera quæcumque appetant; nec quisquam potest amare quod omnino quid vel quale sit, nescit; nec potest nescire quid sit, quod se velle scit : sequitur ut omnes beatam vitam sciant. Omnes autem beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt, continuo sint beati. Continuo autem miseri sunt, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non recte volunt. Beatus ergo non est nisi qui et habet omnia quæ vult, et nihil vult male. Ille quippe beate vivit, qui vivit ut vult, nec male aliquid vult. Quum ergo ex his duobus constet beata vita; licet in malis sit aliquis bonus, non tamen nisi finitis omnibus malis est beatus. Quum ergo ex hac vita qui in his miseriis fidelis et bonus est, venerit ad beatam vitam; tunc erit vere quod nunc nullo modo esse potest, ut sic homo vivat quomodo vult. Non enim ibi volet male vivere, aut volet aliquid quod deerit, aut deerit aliquid quod voluerit : quidquid amabitur, aderit; nec desiderabitur quod non aderit. Et omne quod ibi erit, bonum erit, et summus Deus summum bonum erit; et quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit. Beatos autem esse se velle omnium hominum est; beatos se esse velle, omnes in corde suo vident, nec tamen omnium est fides qua ad beatitudinem pervenitur.

Aug. de Trinitate, lib. XIII, n. 9. Ibid. n. 10. Ibid. n. 25.

C. *Si quid de Deo cognoscit aliquis quod ibi non intelligant omnes.*

Solet etiam quæri, utrum aliquid de Deo cognoscat aliquis magis meritus, ut Petrus, quod non cognoscat aliquis minus meritus, ut Linus. Pluribus videtur, quod omnia de Deo ad beatitudinem spectantia, omnes communiter electi cognoscant, sed differenter. Nihil enim in Deo noscibile majus digniusque videtur, quam eum intelligere trinum et unum; hoc autem omnes tunc per speciem cognoscent. Unde sequitur, ut non sit aliquid beatitudini pertinens incognitum alicui Beatorum. Omnes ergo cuncta illa videbunt quorum cognitio servit beatitudini; sed in modo videndi different : alius enim alio magis, alius alio minus fulgebit.

D. *De paritate gaudii.*

Solet etiam quæri, an in gaudio dispares sint, sicut in claritate cognitionis differunt. De hoc Augustinus ait : Multæ mansiones in una domo erunt, scilicet variæ præmiorum dignitates; sed ubi Deus erit omnia in omnibus, erit etiam in dispari claritate par gaudium : ut quod habebunt singuli, commune sit omnibus, quia etiam gloria capitis, omnium erit per vinculum caritatis. — Ex his datur intelligi,

Prosper. Sent. 362. I Cor. XV, 28.

quod par gaudium omnes habebunt, etsi disparem cognitionis claritatem : quia per caritatem, quæ in singulis erit perfecta, tantum quisque gaudebit de bono alterius, quantum gauderet si in se ipso haberet. Sed si par erit cunctorum gaudium, videtur quod par sit omnium beatitudo : quod constat omnino non esse. Ad quod dici potest, quod beatitudo par esset, si ita esset par gaudium ut etiam par esset cognitio; sed quia hoc non erit, non faciet paritas gaudii paritatem beatitudinis. Potest etiam sic accipi *par gaudium,* ut non referatur paritas ad intensionem affectionis gaudentium, sed ad universitatem rerum de quibus gaudebitur : quia de omni re unde gaudebit unus, gaudebunt omnes.

E. *Si major sit beatitudo Sanctorum post judicium.*

Post hoc quæri solet, si beatitudo Sanctorum major sit futura post judicium quam interim. Sine omni scrupulo credendum est, eos habituros majorem gloriam post judicium quam ante, quia et majus erit gaudium eorum, ut supra testatus est Augustinus, et amplior erit eorum cognitio. Unde Hieronymus : Peracto judicio, ampliorem gloriam suæ claritatis Deus demonstrabit electis. Si quem movet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si eis potest sine corporibus summa beatitudo præberi; difficilis quæstio est, nec potest a nobis perfecte definiri. Sed tamen dubium non est, et raptam a carnis sensibus hominis mentem, et post mortem, ipsa carne deposita, non sic videre posse incommutabilem substantiam, id est Deum, sicut sancti angeli vident : sive alia latentiori causa, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, donec ille appetitus conquiescat. Porro si tale sit corpus, cujus sit difficilis et gravis administratio, sicut hæc caro quæ corrumpitur; multo magis avertitur mens ab illa visione summi cœli. Proinde, quum hoc corpus jam non animale sed spirituale receperit, æquata angelis, habebit perfectum naturæ suæ modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans, tam ineffabili facilitate ut sit ei gloriæ quod fuit sarcinæ.

Cf. dist. XLV A.
Ap. Lyran. in Osee VI, 1.
Aug. de Genesi ad litt. lib. XII, n. 68.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ NONÆ

SUPRA tractavit Magister de judicio generali, et aliqua tetigit de præmiis judicandorum; hic plenius loquitur de mercede et gloria electorum. Attamen in hujus distinctionis exordio, etiam paululum tangit de miseriis reproborum. Itaque primo ostendit, quod sicut in hac vita distabant A conversatione ac meritis, sic in futuro distabunt retributione ac præmiis. Et circa hoc sciscitatur, an omnes homines beatitudinem naturaliter appetant; deinde circa beatitudinem electorum aliquas utiles inserit quæstiones. Prima est, an in beatifica visione sit gradus, ita quod unus cognoscit quod alter nescit. Secunda, an in ipso beatitudinem consequente sit diversitas magnitudinis spiritualis. Tertia, utrum felicitas Beatorum major erit post resurrectionem quam ante.

QUÆSTIO PRIMA

Hic quæritur primo, **Quid sit beatitudo, et in quo consistat, hoc est, de ejus objecto atque subjecto.** Et primo quæri potest, **An sit quid creatum aut increatum.**

Et videtur quod sit quid increatum, quoniam est ultimus finis et summum bonum intellectualium creaturarum, quarum solus Creator omnipotens et immensus est ultimus finis et summum bonum. — Item, quoniam plene quietat et contentat mentem creatam, quam contentare non valet bonum finitum, juxta illud Augustini : Neque enim sufficit nobis finis, nisi cujus nullus est finis.

In oppositum est, quod beatitudo est operatio quædam ac formalis perfectio mentis creatæ, imo et optima actio nobilissimæ potentiæ rationalis creaturæ.

Circa hæc multa conscribit Thomas hoc loco, sicut et alibi, quæ pro majori parte communia sunt atque facilia; propter quod ipsis non arbitror immorandum. Denique de ista materia dictum est copiose super primum, prima distinctione (quæst. 3.). Siquidem ibi inducta de fruitione, hic possent resumi et applicari, quum ipsa fruitio frequenter vocetur beatitudo.

Itaque Thomas : Beatitudo, inquit, quum sit naturaliter ab omnibus hominibus desiderata, nominat ultimum finem vitæ humanæ. Finis autem cujuslibet rei vel est propria operatio ejus, vel per operationem propriam pertingit ad finem. Quumque propria forma in omni re sit suæ propriæ operationis principium; propria quoque hominis forma in quantum est homo, sit anima rationalis; oportet ut vel in actibus animæ rationalis beatitudo hominis consistat, vel in his ad quæ homo per actiones animæ rationalis ordinatur ac comparatur. Et hæc bona animæ nuncupantur : hinc necesse est, etiam secundum philosophos,

A in bonis animæ beatitudinem hominis collocare. Quod autem aliqui in bonis corporis felicitatem animæ constituerunt, ratio fuit quia se ipsos ignorabant, et intellectum a sensu non distinxerunt.

Præterea quæritur, an beatitudo magis consistat in his quæ sunt voluntatis quam in his quæ sunt intellectus. Et apparet quod magis sita sit in actibus et gaudiis voluntatis. Felicitas namque est optima operatio optimæ virtutis ac supremæ potentiæ : optima autem virtus est caritas, B quæ directe concernit ac perficit voluntatem. Voluntas quoque videtur nobilior intellectu, quum per imperium moveat eum (*Cf.* t. XIX, p. 115 D et s.) : imo actio intellectus sine affectionibus voluntatis informis est. Iterum, felicitas est perfectissima ac intima unio mentis creatæ cum Deo : sed per actus et affectus voluntatis et caritatis perfectissime conjungimur Deo. Rursus, bonum et finis coincidunt; beatitudo autem est ultimus finis et maximum hominis bonum : ergo respicit voluntatem. — In oppositum C est quod Veritas apud Joannem testatur : Hæc (inquit) est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum (*Joann.* XVII, 3.). Atque ut Augustinus asserit, visio est tota merces. Hinc super illud, Quum tradiderit regnum Deo et Patri (I *Cor.* XV, 24.), ait Glossa : Id est, quum perduxerit credentes ad contemplationem Dei Patris, ubi est omnium finis, ac requies sempiterna, ac gaudium. Sed et Philosophus decimo Ethicorum demonstrat, quod felicitas est optima speculatio summi et optimi speculabilis.

D Et respondendum, quod beatitudinem esse in voluntate, dupliciter potest intelligi. Primo objectaliter, ita quod sit voluntatis objectum : et ita in voluntate ponenda est, quum sit præcipuum bonum quod cupit voluntas, et ultimus finis in quem maxime fertur. Secundo formaliter, ita quod sit actio voluntatis : et ita in voluntate esse non valet. Beatitudo namque est ultimus hominis finis. Ultimus autem hominis finis accipi potest dupliciter : unus in ipso, et alius extra ipsum. In

ipso, sicut operatio rei dicitur finis ejus, A quum unumquodque sit propter suam operationem. Finis vero extra ipsum, est bonum ad quod res per suam operationem pertingit. Nec quælibet operatio potest dici finis, sed illa quæ fini exteriori primo conjungit ; et hoc, quando res habet finem extra se : tunc enim oportet quod finis interior ad exteriorem ordinetur.

Impossibile vero est, actum voluntatis esse finem ultimum alicujus : quia quum voluntatis objectum sit finis, hoc ipsum quod est velle, et quilibet alius voluntatis B actus, non est aliud quam ordinare aliquid ad finem : ideo præsupponit alium finem. Hinc si ipsum velle dicatur esse volitum, oportet præsupponere ante hoc aliquid volitum esse. Non enim intelligi potest in aliqua potentia reflexio esse super proprium actum, nisi actu suo in quem fit reflexio, prius terminato per proprium objectum, quod sit aliud ab actu illius potentiæ : alias oporteret in infinitum procedere. Nempe si intellectus intelligat se intelligere, oportet quod intelligat se in- C telligere aliquid. Et si dicas, quod intelligit se intelligere hoc quod est se intelligere, adhuc oportebit aliud ponere, et sic in infinitum. Patet ergo quod ipsum intelligere, non potest esse primum intellectus objectum. Eadem ratione et ipsum velle, non potest primum voluntatis objectum consistere. Quum ergo primum voluntatis objectum sit ultimus finis, impossibile est quod aliquis actus voluntatis sit ipsius ultimus finis. Nec dici potest, quod assecutio finis exterioris sit immediate per D actum voluntatis. Actus etenim voluntatis intelligitur esse ante assecutionem finis, ut motus quidam in finem ; post assecutionem vero, ut quietatio. Nec potest esse, quod voluntas nunc quietetur in fine ad quem ante tendebat, nisi quia volens alio modo se habet ad finem nunc quam ante, vel econtrario. Illud ergo quod facit volentem se hoc modo habere ad finem, ut voluntas quietetur in fine, est ultimus finis interior, qui primo conjungit fini exteriori : velut si aliquis exterior finis sit pecunia, finis interior erit possessio pecuniæ, per quam homo se habet ad pecuniam, ut voluntas quietetur in ea. Quum ergo ultimus finis quasi exterior voluntatis humanæ sit Deus, non potest esse quod aliquis actus voluntatis sit interior finis : imo ille actus erit ultimus finis interior, quo primo hoc modo se habebit homo ad Deum, ut voluntas sua quietetur in ipso. Hoc autem est visio Dei secundum intellectum, quia per hanc fit quasi quidam contactus Dei ad intellectum, quum omne cognitum sit in cognoscente secundum quod cognoscitur : quemadmodum etiam corporalis tactus ad delectabile corporeum inducit quietationem affectus. Hinc ultimus finis hominis est in actu intellectus ; et beatitudo, quæ est ultimus interior finis hominis, in intellectu consistit. Id tamen quod est ex parte voluntatis, videlicet quietatio ejus in fine, quod potest dici delectatio, est quasi formaliter complens beatitudinis rationem, tanquam superveniens visioni, in qua substantia felicitatis consistit : ut sic voluntati attribuatur et prima habitudo ad finem, secundum quod assecutionem finis appetit ; et ultima, secundum quod in fine jam assecuto quietatur.

Ad objecta ergo dicendum, quod caritas pro tanto vocatur altior virtus ceteris quæ sunt in via, quoniam ipsa est quæ ordinat alias omnes in Deum ; et ipsa est cujus est ultima quietatio in Deo in patria. Hoc tamen ei non dat, quod actus ejus sit substantia beatitudinis, sed vel inclinatio quædam in ipsam in statu viæ, vel quietatio in ipsa in statu patriæ. — Insuper, per affectum perfectius conjungitur homo Deo quam per intellectum, in quantum conjunctio per affectum supervenit perfectæ conjunctioni per intellectum, eamdem perficiens et decorans ; nihilo minus oportet quod prima conjunctio semper sit per intellectum. Dilectio vero prius inclinat ad conjunctionem perfectam appetendam, quam intellectus perfecte conjungat, quam-

vis non prius quam intellectus quoquomodo cognoscat, quoniam appetitus nequit esse omnino incogniti : propter quod asserit Hugo, Scientia foris manet, dilectio intrat.

Præterea si quæratur, an beatitudo magis consistat in actu intellectus speculativi quam practici ; dicendum quod imo, quia ut dictum est, beatitudo hominis in actu ponitur intellectus, in quantum prima conjunctio hominis ad suum ultimum finem exteriorem est per actum intellectus. Cognitum autem per intellectum practicum, non potest esse ultimus finis exterior, quia cognitio intellectus practici ordinatur seu comparatur ad cognitum sicut causa ad effectum. Porro effectus alicujus non potest esse ultimus ejus finis, quia perfectio causæ non dependet a suo effectu, sed econtrario. Hinc impossibile est beatitudinem esse in actu practici intellectus, sed in actu intellectus speculativi eam oportet consistere. Nam et intellectus speculativus practico exsistit perfectior.

Amplius, si quæratur, an beatitudo habeatur in vita præsenti ; dicendum, quod non nisi imperfecte, quoniam sicut se habet motus ad terminum et quietem, et via ad patriam, mediumque ad finem, ita se habet beatitudo hujus viæ ad veram et plenam beatitudinem patriæ. Etenim voluntas, adepto eo quod cupit et quærit, delectatur et quiescit in illo, et desiderium ejus quasi in amorem et delectationem convertitur. Quum ergo beatitudo sit absolute ultimus finis et maximum bonum ad quod omnia desideria ac opera referuntur, oportet quod sit tale ac tantum bonum, quod ipso habito nil ultra restet optandum. Unusquisque autem naturaliter appetit esse ac permanere in bono quod habet : hinc beatitudo ab omnibus tale quid ponitur quod immobilitatem perpetuitatemque habeat. Sed de ipsa immobilitate ac perpetuitate felicitatis humanæ diversimode diversi senserunt, quibusdam dicentibus quod de ratione beatitudinis A hominis non sit perpetuitas absoluta, sed perpetuitas respectu vitæ humanæ, et quod in hac perpetuitate non sit consideranda immobilitas privans potentiam ad mutationem, sed actum. Et hæc fuit Platonis opinio, ut primo Ethicorum habetur. Posuit namque illum hominem esse beatum, cujus beatitudo continuatur usque ad mortem ; nec hominem posse beatum vocari nisi in morte, quoniam ante mortem possunt ei diversa beatitudini suæ contraria evenire, nec de illorum eventu potest cer- B tam notitiam præhabere. Hanc opinionem etiam Philosophus reprobat, quia absurdum est quod homo dicatur beatus quando jam non est, et non quando est.

Idcirco Philosophus ponit aliam de felicitate sententiam, scilicet quod de ratione felicitatis perfectæ ac simpliciter dictæ sit perpetuitas, immobilitasque perfecta. Et hæc non est homini possibilis nisi per quamdam participationem, dum homo in virtutum habitibus est firmatus, ita quod facile flecti non possit ab actu virtutis. C Sed nec ista positio videtur sufficere. Beatitudo namque ab omnibus dicitur esse bonum, et finis, atque perfectio intellectualis seu rationalis naturæ. Hinc sicut homo est vere rationalis et intellectualis naturæ, sic capax est veræ et perfectæ felicitatis : alias naturalis appetitus rationalis naturæ esset inanis et frustra. Quumque in hac vita haberi non valeat talis beatitudo, oportet fateri quod post hanc vitam possit obtineri ab homine. Et hoc concesserunt omnes philosophi qui sense- D runt animam hominis vere esse intellectualis naturæ. Qui vero senserunt eam non esse intellectualem nisi per quamdam refulgentiam ab intelligentia separata, dixerunt eam esse mortalem, nec homines posse esse aut fieri beatos nisi per participationem prætactam : cujus stultæ ac impiæ opinionis absurditas clare ac plene ostensa est super secundum, ubi vera intellectualitas ac immortalitas animæ evidenter est demonstrata. Aristoteles autem primo Ethicorum de prætacta felicitate

Cf. dist. xvii, q. 1.

præsentis vitæ determinat, aliam quæ post hanc vitam est, non affirmans nec negans. — Hæc Thomas in Scripto. Cujus huic ultimo dicto objici potest, quod Platonici cum principe suo Platone dixerunt animam humanam vere esse rationalem, atque essentialiter intellectualem, nunquam tamen perpetuo immobiliterque beatam, imo jugiter post determinata temporum intervalla relabi ad corruptibile corpus, ut patet in Menone ac Phædone Platonis et tangitur in Timæo : idcirco verbum hoc Thomæ de Peripateticis veritatem sortitur.

Insuper, circa hæc adhuc alia multa interrogat Thomas, ad quæ breviter poterit responderi. Itaque primo quærit, utrum beatitudo sit quid increatum ; secundo, an sit actus ; tertio, an sit idem quod vita æterna ; quarto, an sit idem quod pax ; quinto, an sit idem quod regnum cœlorum. Ad primum respondet, quod beatitudo quæ est finis noster exterior, in cujus assecutione nostra interior consistit felicitas, est summum et increatum bonum, quod est objectum et causa totius nostræ felicitatis principalis. Beatitudo vero interior, quæ est actio per quam illi objecto immediate, principaliter formaliterque conjungimur, est bonum creatum. — Ex quibus patet ad secundum solutio, quia beatitudo ista formalis interior est *Cf.* p. 394 B'. actus, et sicut jam patuit, essentialiter est actio intellectivæ potentiæ ac habitus intellectualis, videlicet sapientiæ, quæ est primum atque dignissimum donum inter septem dona Spiritus Sancti. Perfectio enim et meritum magis consistit in actu *Cf.* t. XXII, p. 552 D. quam habitu, ut patuit. Hinc quoque, secundum Philosophum decimo Ethicorum, felicitas est optima operatio optimæ potentiæ ac perfectissimi habitus secundum statum perfectum. — Ad tertium respondendum, quod beatitudo est vita æterna, loquendo de vita gloriæ, non de vita naturæ, aut gratiæ prout gratia a gloria distinguitur, utpote prout gratia est formale et supernaturale principium promerendi ; A vitam quoque sumendo pro vita secunda, id est actione vitali.

Ad quartum dicendum, quod secundum Augustinum nonodecimo de Civitate Dei, pax omnium rerum est tranquillitas ordinis. Idcirco ex hoc ratio pacis accipitur, quod aliquid ab ordine recto non impeditur : tranquillitas enim perturbationem impedimenti excludit. Pax autem præcipue respicit ordinem quo voluntas in aliquid ordinatur. Operationem vero in qua beatitudo consistit, oportet esse non im- B peditam : unde et delectatio operationem perfectam consequens, causatur ex operatione non impedita, ut dicitur septimo Ethicorum. Ideo ad beatitudinem requiritur pax, non quæ sit essentia beatitudinis, sed sicut eorum remotio quæ sunt beatitudinis impeditiva. Et quoniam ex hoc ipso quod aliquid desideratur, appetitus refugit ejus contrarium ; ideo sicut omnes beatitudinem naturaliter appetunt, etiam naturaliter refugiunt ejus impedimenta : et hoc est eos naturaliter pacem appetere. C Propter quod loquitur Augustinus : Dicere possumus, finem nostrorum bonorum esse pacem.

Ad quintum dicendum, quod nomen regni a regendo acceptum est. Regere autem est providentiæ actus : ideo secundum hoc aliquis dicitur regimen habere, quod alios sub sua providentia habet ; et secundum hoc homines in regno Dei esse dicuntur, quod ejus providentiæ perfecte subduntur. Providentiæ vero est ordinare in finem. Ordinantur quoque in finem tam ea D quæ distant a fine, quam ea quæ assecuta sunt finem, secundum quod in fine conservantur. Quumque finis sit providentiæ regula, illa perfecte providentiæ subsunt quæ in ipso fine sunt collocata, in quibus nihil aversivum a recto ordine esse potest. Distantia vero a fine, secundum hoc magis aut minus providentiæ subsunt, secundum quod magis aut minus elongantur a fine. Via demum perveniendi ad beatificum finem, est fides per dilectionem operans. *Galat.* v, 6. Hinc regnum Dei quasi antono-

mastice, dupliciter dicitur : quandoque videlicet congregatio eorum qui ambulant per fidem, puta Ecclesia militans ; quandoque eorum collegium qui in fine sunt stabiliti, id est triumphans Ecclesia : et sic esse in regno Dei, idem est quod esse in beatitudine. Nec differt secundum hoc regnum Dei a beatitudine, nisi sicut bonum commune a bono singularis personæ.

Quæritur quoque, an homines universi beatitudinem naturaliter appetant, et utrum miseriam naturaliter fugiant. — Ad primum dicendum, quod in ordine mobilium et motorum, oportet secundos motores ordinari in finem primi motoris per dispositionem eis impressam a primo motore : ut dum anima movet manum, et manus baculum, et baculus aliquem lædit. Sed hoc distat in motibus naturalibus et violentis, quod in motibus violentis impressio relicta a primo motore, in secundis motoribus est præter naturam eorum, propter quod operatio sequens est laboriosa; in motibus vero naturalibus impressio talis est naturalis in secundis motoribus, propter quod operatio sequens exsistit conveniens. Unde in libro Sapientiæ habetur, *Sap.* VIII, 1. quod Deus omnia disponit suaviter, quoniam unaquæque res ex natura sibi divinitus indita, tendit in id ad quod ex divina providentia ordinatur. Quumque cuncta procedant a Deo in quantum est bonus, ideo cuncta creata, secundum impressionem a Creatore receptam, inclinantur in bonum appetendum secundum modum suum, quatenus sic in rebus inveniatur circulatio quædam, dum egredientia a bono revertuntur ac tendunt in bonum. Hæc demum circulatio in quibusdam creaturis perficitur, in aliis remanet imperfecta. In intellectualibus enim perficitur, quæ cognoscendo ac diligendo convertuntur in Deum, in aliis non. Nec omnes noscunt et appetunt beatitudinem secundum distinctam et propriam rationem ipsius, sed secundum rationem communem, prout apprehendunt eam tanquam potissimum quoddam bonum, sive hoc putant esse di- A vitias, sive voluptatem, aut aliud aliquid.

Ad aliam partem quæstionis, videlicet an quis miseriam possit appetere, respondendum quod operatio causæ secundæ semper fundatur super operationem causæ primæ, et præsupponit eam. Hinc oportet ut omnis operatio animæ procedat ex suppositione ejus quod inditum est animæ ex impressione primi agentis. Nam et intellectus ad nihil intelligendum potest procedere nisi ex cognitione principiorum naturaliter cognitorum. Quumque ex divi- B na impressione naturaliter competat animæ appetere bonum et finem ultimum tanquam bonum perfectum, impossibile est ut in ejus appetitum cadat contrarium malum. Hinc nullus potest miseriam velle nec malum, nisi per accidens, utpote apprehendendo illud sub ratione alicujus boni.

Præterea quæri potest, an quis appetendo beatitudinem, mereatur ; et rursus, utrum omne quod quis vult, propter beatitudinem velit. — Et respondendum ad C primum, quod bonum, quod objectum est voluntatis, est in rebus, juxta Philosophum sexto Metaphysicæ : idcirco oportet quod voluntatis motus terminetur in rem extra animam exsistentem. Et quamvis res, prout est in anima, possit considerari secundum rationem communem, attamen res extra animam esse non potest secundum rationem communem nisi cum additione propriæ rationis. Hinc oportet quod quandocumque voluntas fertur in aliquod bonum, feratur in aliquod bonum particu- D lare determinatum. Similiter, quandocumque fertur in summum bonum, oportet quod feratur in summum bonum hujus aut illius rationis. Quamvis autem ex naturali inclinatione voluntas habeat ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem; tamen quod feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non est ex sola inclinatione naturæ, sed per discretionem rationis, quæ adinvenit in hoc aut in illo constare summum hominis bonum. Ideo quandocumque aliquis beati-

tudinem actualiter appetit, concurrunt ibi appetitus naturalis et appetitus rationalis : atque ex parte appetitus naturalis semper est ibi rectitudo ; sed ex parte appetitus rationalis quandoque est ibi rectitudo, quando videlicet appetitur beatitudo ubi vere est ; interdum perversitas, ut quando appetitur ubi vere non est. Sicque in appetitione beatitudinis potest quis promereri adjuncta caritate et gratia, vel demereri, secundum quod ipsa appetitio recta est aut perversa.

Ad secundum dicendum, quod secundum Philosophum septimo Ethicorum, in ordine appetibilium seu agibilium ita se habet finis sicut principium in intelligibilibus. Quumque in omni genere id quod est primum et maximum, causa sit posteriorum ; cognitio principii in speculabilibus est causa cognitionis omnium aliorum. Similiter appetitio finis est causa appetendi alia cuncta quæ sunt ad finem. Hinc quum beatitudo sit finis vitæ humanæ, quidquid voluntas appetit facere, ad beatitudinem ordinat : quod etiam experimentaliter patet. Quicumque enim appetit aliquid, appetit illud in quantum est bonum æstimatum. Per hoc vero quod aliquis habet aliquid quod æstimat bonum, reputat se beatitudini propinquiorem : quia additio boni super bonum facit magis appropinquare bono perfecto, quod est beatitudo. Hinc quælibet appetitio in beatitudinem ordinatur. Non tamen quælibet recta est, quia ad hoc quod voluntas sit recta, duo exiguntur : unum, quod sit debitus finis ; aliud, ut id quod ad finem ordinatur, proportionatum sit fini. Quamvis autem omnia desideria ad beatitudinem referantur, tamen contingit utroque modo desiderium esse perversum : primo, si appetatur beatitudo non vera ; secundo, si quæratur per media improportionata. — Hæc Thomas in Scripto. Qui de his copiose ac rationabiliter scripsit in Summa contra gentiles, libro tertio, ubi multipliciter probat, quod beatitudo non potest vere essentialiterque consistere in

A actu aliquo voluntatis, prout infra tangetur.

At vero Petrus : Duplex est, inquit, beatitudo. Una increata, quæ beatificat objective. Alia creata, quæ beatificat formaliter, et est operatio optima, etc. — Si autem investigetur, an sit actus intellectus vel potius voluntatis; dicendum, secundum Augustinum : Fruimur cognitis, in quibus voluntas propter se delectata quiescit. Quum ergo beatitudo sit in fruitione perfecta, erit in perfecta cognitione intellectus et

Cf. p. 393 A', 396 D.

B in completa complacentia voluntatis. Cognitio vero et affectio seu complacentia habent ordinem naturalem (cognitio enim est affectionis origo, et affectio est cognitionis perfectio) : hinc beatitudo est in actu intellectus originaliter, et in actu voluntatis completive. Unde quod ait Salvator, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te ; intelligendum est de cognitione experimentali, quæ amorem complectitur, non de simplici notitia. Quod item loquitur Augustinus, Visio est tota merces ; intel-

Joann. XVII, 3.

C ligitur per causam, non per essentiam. — Hæc Petrus. Ex quibus videtur sensisse, quod beatitudo principaliter in actu voluntatis sit sita, ita quod fruitio sit essentia felicitatis, non visio.

Præterea, Richardus inter cetera sciscitatur, utrum beatitudo sit actus animæ tantum, vel totius hominis. Respondet, quod est actus animæ tantum. Nam et manet in anima separata, et inest potentiis inorganicis, quæ sunt intellectus atque voluntas ; et sic convenit toti homini ra-

D tione partis. Audire vero atque videre, et similes actus organicarum et materialium potentiarum, conveniunt immediate toti composito. Hæc Richardus.

Qui etiam quærit, utrum beatitudo sit actus intellectus et voluntatis simul. Respondet quod imo, quia essentia beatitudinis vitæ humanæ consistit in unione perfecta animæ rationalis cum Deo : quæ unio includit actum utriusque potentiæ hujus. Nam sicut Deus sub ratione primi et summi veri objectum est intellectus,

ita sub ratione summæ bonitatis objectum est voluntatis. Et quamvis anima rationalis Deo immediate non frueretur, nisi ipsum immediate videret; tamen immediatum objectum voluntatis ejus non est visio summi boni, sed ipsummet summum bonum.

Amplius quærit, an beatitudo principalius consistat in actu intellectus. Respondet quod non, sed in actu voluntatis. Per eamdem namque virtutem per quam res movetur ad terminum, quiescit in termino. Ergo sicut per voluntatem principalius movetur ad Deum, hoc est per caritatem, cujus subjectum est voluntas, ita per voluntatem et caritatem principalius quiescit in Deo. Quietatio autem in Deo est ipsa beatitudo. Rursus, quum caritas sit (absolute loquendo) nobilissimus habitus, actus ejus est nobilissimus actus. Nobilissimus autem actus est ipsa felicitas. — Hæc Richardus. Qui etiam scribit, quod beatitudo principalius consistit in actu intellectus practici quam speculativi, quoniam cognitio ad beatitudinem pertinens, ordinatur ad dilectionem. De hoc tamen fatetur, quod intellectus proprie dicitur practicus, quoniam ordinatur ad opus seu operationem transeuntem in exteriorem materiam; et ita intellectus qui ordinatur ad dilectionem, non ad exteriorem operationem, non dicitur proprie practicus, sed potius affectivus.

Circa hæc quærit Bonaventura, utrum omnes appetant beatitudinem veram. Respondet : Duo sunt quæ faciunt appetitum, videlicet, convenientia appetibilis, et indigentia appetentis. Quoniam ergo anima rationalis creata est ad imaginem et similitudinem Dei, capax est sufficientissimi boni; et per hoc est ibi convenientia magna. Ipsa quoque anima sibi in se et per se non sufficit, imo sic vana deficiensque consistit; et ita est ibi indigentia magna. Ideo dico, quod anima veram beatitudinem naturaliter appetit. — Et si objiciatur, quod nihil potest appeti nisi cognitum; multi autem beatitudinem ve-

Gen. I, 26.

A ram non noscunt : dicendum, quod sicut duplex est instinctus ad bonum, puta, in generali et speciali; sic duplex est appetitus. Et dictamen boni in generali, venit ex cognitione naturali : et quantum ad hoc non est error. Dictamen vero in speciali illius aut istius, non est omnino ab habitu naturali, sed per subsumptionem* factam a ratione deliberante : et in hoc potest error contingere. Similiter de appetitu intelligendum. Omnes ergo habent appetitum beatitudinis veræ in generali, et habent B cognitionem in generali, quoniam omnes tenent quod beatitudo sit bonum sufficiens; sed sufficientiam talem quidam sibi erronee constituunt in deliciis, quidam in divitiis, alii in honoribus. — Porro dum quæritur, an beatitudo sit solum in anima; dicendum quod imo, loquendo de inexsistentia per inhærentiam, non autem loquendo de inexsistentia per redundantiam, quia sic est in corpore. Hæc Bonaventura.

* assumptionem

Aliqui vero dicunt, quod beatitudo præ- C mii essentialis sit solum in anima; beatitudo vero præmii accidentalis et gaudium de bonis creatis, communicatur et corpori. Nec obstat quod contra hoc objiciunt, quia ut asserit Augustinus, beate vivere est bonis veris certisque gaudere; gaudium autem et dolor, secundum eumdem quartodecimo de Trinitate, sunt animæ. Hoc enim intelligi potest de dolore contritionis, qui est in superiori affectiva, et gaudio intellectuali, quod suo modo opponitur; non de dolore qui est sensitivi D passio appetitus, qui etiam passio est animæ originaliter. — Denique supra jam dictum est, qualiter non solum interiores sed et exteriores sensus suas habebunt delectationes non mediocriter magnas. Sic et appetitus sensitivus concupiscibilis ac irascibilis, competentibus sibi voluptatibus replebuntur. — Insuper, super primum expositum est quare et quomodo, secundum Bonaventuram, voluntas sit nobilior intellectu, atque ob id in actu voluntatis beatitudo principaliter sit con-

dist. XLIV, q. 4.

dist. I, q. 3, tom. XIX, p. 112D', 115A'.

tom. XXII, p. 274 B', 514 A' et s. sistens; et de hoc etiam dictum est super secundum.

Albertus quoque hic scribit : Beatitudo multipliciter dicitur, non univoce neque æquivoce, sed secundum prius et posterius. Dicitur enim secundum statum perfectionis viæ, et secundum statum perfectionis patriæ. Et secundum statum perfectionis viæ, tripliciter, utpote : proprie, large et per causam. — Proprie quoque dicitur dupliciter, videlicet : secundum virtutem moralem, et secundum virtutem intellectualem. Ideo Aristoteles in Ethicis duos fecit libros de felicitate : primum de felicitate morali, secundum de felicitate intellectuali. Felicitas autem moralis adhuc dupliciter dicitur, utpote : secundum suum esse, et secundum suum maximum posse. Secundum suum esse, felicitas est actus secundum perfectam animi moralem virtutem. Cujus definitionis intellectus, secundum Commentatorem, est iste : Animi virtus non est nisi virtus perficiens animum in agendo. Quumque animus idem sit quod mens, prout ibi accipitur, erit animi virtus perfecta virtus mentis. Et hæc est quæ ponit animum in supremo; et hæc virtus est prudentia in sufficientia tanta, ut et se et alios sufficiat regere. Probat quoque Philosophus, quod prudentia nequit perfecte haberi secundum actum perfectum, nisi omnes aliæ morales habeantur virtutes, ut sexto legitur Ethicorum. Supponit ergo perfecta prudentiæ practica perfectionem omnium ceterarum virtutum moralium. Si autem felicitas ista sumatur secundum maximum suum posse, tunc erit in maximo hominis bono operatio prudentiæ non impedita : et hoc bonum est bonum gentis, non unius hominis tantum aut civitatis, et hoc, impedimentis amotis, quæ sunt tria, videlicet, impotentia, paupertas et infortunia periculorum aut mortis, in se aut in amicis. Et sic dicit Commentum quod translatum est de Græco, quod potestas atque divitiæ et amicorum fortunæ, deserviunt ad felicitatem organice. Et Alphorabius in com-

A mentario Arabico ait, quod impotentia et paupertas et infortunia pronepotum contristant beatitudinem, sicque impediunt optimum actum beati. — Felicitas quoque contemplativa dupliciter dicitur, puta : secundum suum esse, et secundum suum maximum posse. Et secundum suum esse, consistit in perfectione actus intelligentiæ speculativæ, cum delectatione contemplationis quæ non habet contrarium, ut patet decimo Ethicorum. Perfectio autem speculativæ scientiæ consistit præcipue in

B simplicium substantiarum speculatione, præsertim primæ ac summæ substantiæ. Atque secundum suum maximum posse, habet hanc speculationem cum remotione impedimentorum intus et extra: sicque virtutes morales conferunt ad beatitudinem contemplativam, et abundantia, id est sufficientia exteriorum rerum, et locus solitarius, et libri *, et hujusmodi. Propter quod dicit Averroes, quod hæc est felicitas eremitarum.

* *alias* solitarius et liber

Large vero dicitur felicitas, secundum

C quod constat ex appetibilibus : quia nihil potest movere appetitum nisi secundum quod habet speciem veram aut umbraticam, id est apparentem, alicujus eorum quæ beatificant vere. Sicque omnes appetunt beatitudinem, quamvis non quærant eam ubi vere consistit.

Beatitudo demum per causam tripliciter dicitur, utpote : communiter, proprie ac propriissime. Communiter, sicut timor Dei ac luctus. Proprie, sicut excellentiores actus virtutum, de quibus Dominus apud

D Matthæum ait : Beati pauperes spiritu, etc. *Matth.* v, 3. Propriissime, perseverantia in merito bono et excellenti secundum actum. Sicque sumitur beatitudo a B. Basilio super principium Psalterii, ubi ait : Beatus vir qui non abiit; non, qui non vadit. Qui enim adhuc in via hac degit, nunquam beatificari potest, propter dubios exitus vitæ. Qui omnibus adimpletis quæ mandata sunt, finem pacifici cum justitiæ operibus adimplevit, hic jam sine discrimine ullo beatificari potest et egredi.

Beatitudo autem secundum statum patriæ est in inhærendo Deo, et in habendo in ipso omnia quæ appetuntur; quam beatitudinem definit Boetius dicens : Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Denique beatitudo dupliciter potest considerari, videlicet, in sua essentia, et in ratione beatificativa eorum quæ sunt in ea. Primo modo est duplex, puta, creata et increata. Secundo modo quodlibet beatificativum habet imitationem aliquam beatitudinis increatæ, secundum quod est exemplum beatitudinis primæ, ut dicit Anselmus in libro de Casu diaboli. Verum multi talia appretiantur tanquam vere beatificativa, et deviant. Unde super principium Psalterii fatur Basilius : Imperiti homines, dum beatam ignorant naturam nec diligunt eam, interdum beata esse existimant quæ nullius momenti sunt, puta, divitias et honores atque delicias, per quæ plures corrumpuntur quam virtuosi efficiantur. — Hæc Albertus.

Præterea Argentinensis multa hic scribit de hoc, in cujus potentiæ actu consistit felicitas ; et diversas super hoc narrat opiniones, tandem et eam quæ dicit, quod beatitudo essentialiter consistit in sola visione Deitatis per speciem, quæ visio est actio intellectus ; opinionem quoque dicentium, quod in sola actione voluntatis, puta in fruitione. Et addit : Nulla harum opinionum ab aliquo Catholico est modo tenenda, quoniam contra se evidenter habet Decretalem editam a domino Benedicto, in qua determinatur quæstio de visione animarum sanctarum, quam quæstionem diu ventilaverat antecessor Benedicti, Joannes XXII : in qua determinatione habetur, quod beatitudo consistit in visione et fruitione divinæ essentiæ; quorum primum est actus intellectus, secundum vero actus est voluntatis. — Hæc Argentinensis. Cujus dictum non videtur idoneum. Nam quamvis Decretalis affirmat quod beatitudo consistat in visione et fruitione, non tamen negat quin principaliter

A et essentialiter consistat in uno illorum.

Præterea, circa hæc Scotus multa conscribit; atque ad istud respondens, an beatitudo per se consistat in actu voluntatis aut intellectus : Omnes (inquit) tenentes beatitudinem consistere in operatione, id est actione immanente, tenent quod consistit in aliqua operatione partis intellectivæ, prout contra sensitivam distinguitur partem, quia sola immaterialis potentia potest per suam operationem attingere perfectum et summum bonum, in quo solo objective

B consistit beatitudo. Diversitas vero est, in cujus potentiæ talis actu consistat. Nam una tenet opinio, quod principaliter et essentialiter in actu intellectus, in actu vero voluntatis tanquam in quadam perfectione extrinseca superveniente visioni. — Contra istud objicitur. Finis extra, est simpliciter optimum ac summe volendum : ergo inter ea quæ sunt ad ipsum, id quod est sibi immediatius, est magis volendum; hoc autem est velle. — Item, voluntas potest proprium actum velle, quemadmodum in-

C tellectus potest actum proprium intelligere : ergo vult suum velle propter intelligere, aut econtrario, aut neutrum propter alium (et loquor de velle ordinato). Non primum, quia secundum Anselmum libro secundo Cur Deus homo, primo capitulo, ordo perversus esset, velle amare ut intelligeret. Nec tertium, quia in rebus ordinatis ad finem eumdem, est aliquis ordo inter se tanquam ad finem sub fine. Ergo secundum, et hoc vult Anselmus. — Amplius, si beatitudo extra sit summe volenda : er-

D go illud maxime est beatitudo intra, quod inter intrinseca est summe volendum; et hoc est aliquod velle. Plus namque appetit voluntas perfectionem sui in ultimo fine, quam perfectionem intellectus. Hæc Scotus.

Qui simpliciter tenet, quod beatitudo tam viæ quam patriæ consistat in actu voluntatis, et sit ipsa fruitio, et quod voluntas sit suprema vis animæ. Specialiter quoque movet motiva S. Thomæ, et solvit ut potest. — Præterea fateor quæstionem hanc esse difficilem, et pro utraque parte

habere rationes apparentiæ magnæ. Atque A
ut quod verum est fatear, hoc præsertim
me movet, quod absolute loquendo, caritas
videtur esse nobilissimus habitus, nobilis-
simos quoque actus habere in mentibus
creatis, tam viatorum quam comprehen-
sorum. Unde (ut etiam S. Thomas con-
cedit) perfectio realiter consistit in actu
caritatis, cui et præmium essentiale cor-
respondet; et ille simpliciter melior est et
Deo acceptior, qui est in caritate perfe-
Cf. t. XIX, ctior. Nihilo minus, sicut in aliis locis, ita
p. 112 D et s. et hic teneo cum sancto Doctore, quod B
beatitudo consistit in actu intellectus for-
maliter et vere realiter. Ad quod alibi
multæ auctoritates Scripturæ canonicæ ac
Sanctorum inductæ sunt, quæ hoc aper-
tissime protestantur, præsertim quod Ve-
Joann. XVII, 3. ritas ipsa testatur, Hæc est vita æterna, ut
cognoscant te; et quod pro beatifico præ-
Ibid. XIV, 21. mio omni electo promittit, Manifestabo ei
Ibid. XVII, 24. me ipsum; et rursus ad Patrem, Volo ut
ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant
claritatem meam. Hoc est quod Apostolus
I *Cor.* XIII, 12. loquitur : Videmus nunc per speculum in C
ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et
I *Petr.* I, 8. Archiapostolus : In quem nunc non viden-
tes creditis, videntes autem exsultabitis
gaudio inenarrabili. Joannes item aposto-
I *Joann.* III, 2. lus : Nunc (inquit) filii Dei sumus, et non-
dum apparuit quid erimus; scimus quo-
niam quum apparuerit, similes ei erimus,
quia videbimus eum sicuti est. Ecce in
evidenti ac faciali Deitatis intuitione con-
stituit beatificam assimilationem nostram
Ibid. V, 20. cum Deo. Unde et denuo protestatur : Sci-
mus quoniam Filius Dei venit, et de- D
dit nobis sensum ut cognoscamus verum
Deum. In hac superbeatissimæ Deitatis cla-
ra inspectione omnes Sancti suam posu-
erunt salutem, ad illam summe et finaliter
adspiraverunt, eam finaliter desiderave-
Ps. LXXIX, 20. runt, sicut unus ex eis testatur : Ostende
faciem tuam, et salvi erimus. Et senior
Exod. XXXIII, 13. eo, loquens ad Dominum : Si (inquit) in-
veni gratiam coram te, ostende mihi fa-
ciem tuam. Unde et S. Hieronymus beatifi-
ce coronatus, Augustino sancto apparens :

Tota, ait, beatitudo nostra est Deum videre, nec est unus nostrum beatior alio, nisi in quantum faciem Deitatis clarius videt. Hoc sancti viri, Augustinus, Bernardus, Hilarius ac alii plures, concorditer conscripserunt. — Denique intellectum esse voluntate præstantiorem, hoc solo ostenditur, quod ab intellectiva perfectione speciem homo sortitur; certumque est quod omnis natura in cœlo et in terra speciem sortiatur a sua perfectione intrinseca, essentiali, eminentiori.

Restat ergo solvere argumenta magis urgentia. Ad quæ dico, quod non in qualicumque Dei cognitione consistit felicitas, sed in ejus cognitione formata, saporosa, unitiva et affectiva. Quæ cognitio est elicitus actus doni sapientiæ salutaris, quæ nunquam est nec esse potest informis; imo ex se atque ex propria ratione ac specie et essentiali intrinseca proprietate est formata, unitiva et affectiva notitia, flammigera et suavis, afficiens, dulcificans et delectans vim intellectivam : ita quod ista non solum conveniunt ei ex caritate adjuncta, quanquam ex caritate et actibus ejus, præsertim interioribus, magis ornetur et perficiatur, quemadmodum etiam caritas ex refulgentia sapientiæ super eam actuatur, ascendit, perficitur. Nempe sicut connexæ sunt potentiæ istæ, ita et habitus actusque earum. Insuper dico, quod cognitio ista dilectionem virtualiter includit, et efficaciter suo modo exserit seu producit, et delectationem inducit. Quamvis ergo loquendo de sapientia ista, et de ejus actu, qui est cognitio Dei, secundum id quod essentialiter sunt, caritas et ejus affectio seu fruitio præemineant; nihilo minus loquendo de sapientia et cognitione hac secundum potestatem, efficaciam, effluentiam, ambitum et vigorem earum, præfulgent et eminent, includunt et continent caritatem ac dilectionem; et ipsa amorosa affectio ac beata fruitio concomitanter et completive se habent ad eas. Et juxta hunc modum (nec aliter tam veraciter) verificantur quæ in Scripturis de

excellentia et præeminentia ac beatificatione sapientiæ asseruntur, ut quum Salo-
Prov. III, 15. mon ait : Omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. De qua re in libro Sapientiæ multa leguntur. In hujus sapientiæ contemplatione tam pura, tam clara, tam immediata, tam affectiva, tam fecundissima, causalissima ac delectabilissima, viri heroici, sancti, perfecti, suam beatitudinem statuerunt. Denique, sicut beatitudo creata ab increata beatitudine distat et differt in entitate et dignitate, ita et in simplicitate: quoniam increata beatitudo in se vere ac pure est simplex, nec in ea distinguuntur realiter intuitio, dilectio, fruitio, delectatio, nec unum perficitur alio; sed in beatitudine creata sunt ista distincta, atque ab invicem mutuo perficiuntur.

Verum quoniam Scotus hic specialiter recitat et impugnat rationes sancti Doctoris, primo tangam easdem. Itaque in Sum-
cap. 26. ma contra gentiles, libro tertio : Impossibile (ait) est felicitatem animæ consistere non in cognoscendo sed in amando Deum, aut in actu aliquo voluntatis. Quum enim beatitudo sit proprium bonum intellectualis naturæ, oportet ut secundum id intellectuali naturæ conveniat quod ei est proprium ut est intellectualis naturæ. — Præterea in omnibus potentiis quæ moventur a suis objectis, objecta naturaliter sunt priora actibus potentiarum illarum : quemadmodum motor naturaliter prior est quam moveri ipsius mobilis. Talis autem potentia est voluntas : appetibile enim movet appetitum. Objectum ergo voluntatis naturaliter prius est quam actus ejus. Primum ergo ejus objectum præcedit omnem ipsius actum. Ergo actus voluntatis non potest primum volitum esse; hoc autem, videlicet primum volitum, est ultimus finis, qui est beatitudo. — Insuper in omnibus potentiis quæ possunt redire seu reflecti super proprios actus, prius oportet quod actus illius potentiæ feratur in aliquod objectum, deinde in suum actum. Si enim intellectus intelligit se intelligere, oportet quod ante hoc intelligat rem aliquam, et consequen-

A ter intelligat se intelligere. Primum igitur intellectum, id est res quæ primo intelligitur, non est ipsum intelligere, sed res aliqua intelligibilis. Sic quoque oportet quod primum volitum non sit ipsum velle, sed aliud bonum. Primum autem volitum intellectualis naturæ est beatitudo : nam propter hanc volumus quidquid volumus. Impossibile ergo est, felicitatem naturaliter in actu voluntatis consistere. — Amplius, unumquodque secundum ea quæ constituunt substantiam ejus, habet suæ
B naturæ virtutem et veritatem. Vera autem beatitudo non differt a falsa secundum actum voluntatis: nam eodem modo se habet voluntas in desiderando, vel amando aut delectando, quidquid sit illud quod sibi proponitur ut summum bonum, sive vere sive false. Utrum autem sit vere summum bonum quod ut tale proponitur, vel false, hoc differt ex parte intellectus. Felicitas ergo in intellectu essentialiter magis consistit. — Adhuc, si actus aliquis voluntatis esset ipsa felicitas, hic actus esset deside-
C rare, aut amare, aut delectari. Et constat quod non desiderare, quum desiderium sit rei nondum habitæ; nec amare, quoniam bonum amatur non solum quando habetur, sed etiam quando non habetur : etenim ex amore causatur quod non habitum desiderio quæritur; et si amor jam habiti perfectior sit, hoc inde causatur quod bonum amatum habetur. Aliud ergo est habere bonum, quod est finis, quam amare, quod ante habere est imperfectum, post habere perfectum. Similiter nec de-
D lectatio est finis. Nam habere bonum, est causa delectationis, vel dum bonum nunc habitum sentimus, vel dum prius habitum memoramus, aut dum in futuro habendum speramus : hinc delectatio non est ultimus finis. Nullus ergo actus voluntatis est essentialiter beatitudo. Nec delectatio est per se appetenda, sed in quantum bonam et appetibilem operationem consequitur. Delectatio quoque non videtur aliud esse quam quietatio voluntatis in bono convenienti, quemadmodum desiderium est in-

clinatio voluntatis in bonum aliquod consequendum. (A) Et sicut homo per voluntatem inclinatur in finem et quietatur in illo, ita corpora naturalia habent inclinationes naturales in proprios fines, et quietantur fine adepto. Ridiculum vero est dicere, quod finis motus gravium non sit esse in loco proprio, sed quietatio inclinationis in illo, quum inclinatio ad locum data sit ut tendat in ipsum : sicque quietatio illa non est finis, sed consequens finem. — Amplius, si alicujus rei res aliqua exterior sit finis, illa ejus operatio dicetur etiam ultimus finis, (B) per quam primo rem illam consequitur : sicut possidere pecuniam, est finis his quibus pecunia finis est, non amare aut concupiscere pecuniam ipsam. Quumque finis ultimus substantiæ intellectualis sit Deus, illa hominis actio est substantialiter ejus beatitudo, per quam primo attingit Deum : et hoc est intelligere. Nam velle non possumus quod non intelligimus. Hæc Thomas in Summa illa.

Per hæc patet ad objecta ex Scoto solutio. Nempe quum arguit, Finis extra, est (C) simpliciter optimum et summe volendum : ergo inter ea quæ sunt ad ipsum, id quod est sibi immediatius, est magis volendum ; sed velle est sibi immediatius, quia immediate tendit in ipsum tanquam in suum objectum ; hæc ratio multipliciter deficit. Nam simili modo argui posset, quod in desiderio summi boni consisteret beatitudo, quia et desiderium immediate tendit in bonum illud. Denique actus patriæ in quo beatitudo essentialiter sita est, non proprie tendit in summum bonum, sed (D) potius quiescit in illo jam plene adepto ac secure æternaliterque possesso. Deinde dico, quod velle non est immediatius summo bono quam clare per speciem intueri ac contemplari, quum visio ista sit immediata unio intellectus creati cum increata veritate, quæ realiter est bonitas summa. Rursus, intellectus ordine naturæ per prius conjungitur fini extra, quam voluntas, quum objectum voluntatis sit bonum intellectum, id est intellectualiter cognitum.

Ad secundum dico, quod voluntas in hac vita vult suum meritorium velle, propter beatificam visionem obtinendam, tanquam ob finem ac præmium suum : ad quem finem omnes actiones et affectiones vitæ præsentis sunt finaliter ordinandæ, ut Sancti concorditer dicunt. Voluntas autem in patria vult suum velle non tanquam meritum, sed tanquam præmii beatifici complementum ; nec ordinat illud ad aliud bonum creatum ipso completius sive sublimius, sed per ipsum quiescit in fine ultimo extra, ac beatitudine objectali. Ipsa quoque beatifica visio includit hoc velle et ipsam fruitionem ut complementa : imo ista includunt se invicem, et ipsa beatifica visio est clara ac amorosa cognitio, sicut et ipsa fruitio seu beata volitio est contemplativa inhæsio ac sapientialis affectio. Porro Anselmus vult dicere, quod amare hujus vitæ non est finaliter ordinandum ad cognitionem informem, neque ad intellectionem in hac vita possibilem : imo sic cognitio ad dilectionem est referenda, quemadmodum apud Joannem ait Salvator ad Patrem : Notum feci eis nomen tuum, *Joann.* XVII, 26.
ut dilectio tua in eis sit.

Ad tertium, dum assumit, Si beatitudo extra, est summe volenda : ergo illud est maxime beatitudo intra, seu formalis interior, utpote beatificus actus, quod inter intrinseca est summe volendum ; hoc autem est velle. Ad hoc dico, quod intrinsecum illud est beatifica visio sumpta secundum exsistentiam et efficaciam suam completam, quæ et ipsum velle atque fruitionem et delectationem comprehendit et includit et continet, sicut modo expositum est. Juxta hunc modum facile est solvere cetera quæ huic positioni de beatitudinis essentia et subjecto objiciuntur. Voluntas demum, quæ de se cæca est, et comparatur tyranno, ac fertur in præceps nisi eam illustret ac dirigat ratio, inferior censenda est intellectu seu ratione, quæ comparatur regi, et deprecatur ad optima.

Præterea ad id, utrum beatitudo consistat in unica operatione, aut in pluri-

bus; respondet Scotus satis concorditer ad prædicta, recitando de hoc aliorum opiniones. Tamen ut constat ex præinductis, tam illi qui dicunt beatitudinem essentialiter consistere in actu intellectus, quam illi qui asserunt eam in actu voluntatis esse ponendam, concordant in hoc, quod essentialiter in unica operatione ponenda est, ad quam tamen plures concurrunt, requiruntur ac pertinent. Et sic dixit Philosophus decimo Ethicorum, quod felicitas est optima operatio virtutis optimæ in vita perfecta. Interdum vero beatitudo accipitur prout complectitur ea quæ ad beatitudinem exiguntur, et eam stabiliunt, ornant, formant, circumstant, sicut exercitus regem. Et ita secundum Boetium describitur esse status omnium bonorum aggregatione perfectus : imo et ita potest vocari operatio undequaque (id est ex omni parte) perfecta, ita quod omni virtute omniumque virtutum perfectione vallata est, firma, fixa, immobilis.

Præterea quærit Scotus, utrum beatitudo consistat in actu qui est fruitio. Ad quod juxta prætactam suam opinionem respon- p. 401 D'. det quod imo, quia (ut patuit) felicitatem dicit essentialiter in actu consistere voluntatis; sicque consequenter opinatur, quod in actu volendi, seu in ipso velle, quod est amor seu dilectio amicitiæ, quo dilecto volumus bonum, propter ipsum sincere, non intuitu commodi proprii. Sicque diligimus Deum et complacentiam habemus in ipso favorabilemque affectum, volendo et favendo ei omnem quam habet perfectionem, penitus infinitam felicitatem et gloriam, cum omni complacentia mentis et congratulatione ingenti; atque ut scribit hic quidam, hoc modo non volumus Deo nisi bonum quod habet et est. Verumtamen ex sancto et sincero Dei amore procedit, ut non solum complacentialiter velimus Deo omnem perfectionem et gloriam quam intra se æternaliter ac invariabiliter habet, sed etiam omnem venerationem, cultum, subjectionem, dilectionem, fidelitatem, reverentiam, quæ ei a rationalibus

A creaturis debentur; sicque de exhibitione et persolutione horum ei facta cordialiter gloriemur, atque de horum contrariis potissime contristemur. — De hac quæstione plenius infra dicetur.

At vero ad hoc, utrum omnes homines de necessitate ac summe velint beatitudinem, et utrum propter beatitudinem appetatur quidquid appetitur, doctor iste contradicere videtur responsionibus præallegatorum solenniorum doctorum, dicentium quod voluntas necessario velit beati- B tudinem in universali, non in particulari. Mihi, inquit, videtur repugnantia, dicere quod in universali necesse sit beatitudinem velle, et non in particulari : imo necessario sequitur, quod si vult de necessitate beatitudinem in universali, velit illam in particulari, quia non potius est defectus boni in beatitudine considerata in particulari, quam in beatitudine considerata in universali. Item universale non includit aliquam bonitatem quæ non includatur in particularibus : imo omne C particulare addit perfectionem super universali. Si ergo beatitudo in universali est volita necessario, ergo et in particulari erit simpliciter necessario volita. Item necessitas ista appetendi, vel est in actu elicito, vel non. Si non, quum non sit nisi inclinatio naturæ, quæ non est aliquod velle elicitum aut actuale, et inclinatio naturæ magis est circa beatitudinem in particulari quam in universali : ergo necessitas appetendi beatitudinem in particulari, erit major quam in universali. Si autem D sit necessitas appetendi beatitudinem actu elicito, hoc erit secundum actum liberum : sicque necessario talis necessitas erit in particulari. Hinc dico, quod voluntas actu elicito, in particulari et in universali potest utrumque non velle, ita quod nihil vult de necessitate nec in universali neque in particulari : quia necessitas in causa superiori non potest esse a causa inferiori, nec causa inferior necessitat aliquem effectum causæ superioris. Si ergo voluntas necessario aliquid vult, hoc erit a cau-

sa superiori vel ex natura sui, et non a A causa inferiori. Dico ergo, quod quicumque scit beatitudinem suam esse in Deo, illum appetit: quoniam nullus est ita miser, quin plus velit beatitudinem suam in Deo quam in aliquo quod sit ad Deum. Hæc Scotus.

Qui etiam ista et consimilia quædam scribit super primum et secundum, quorum error ibi monstratus est. Imo ad horum reprobationem reor sufficere, quod tot solennes doctores dicunt et probant contrarium. *Cf.* lib. I, dist. I, q. 6; II, dist. V, q. 1. Itaque quod ait, repugnantiam esse, dicere quod in universali necesse B sit beatitudinem velle, et non in particulari, dico quod istud repugnantiam nullam includit, si tamen verba sane intelligantur. Nonne secundum Philosophum, aliquid primo cognoscitur in universali, deinde in particulari, tertio in singulari? quemadmodum parvuli primo omnes feminas vocant matres; et aliquam rem a longe adspicientes, primo cognoscimus quod sit corpus, deinde quod animal, deinde quod homo, et tandem quod Petrus. Sic et aliquid primo appetimus in generali, deinde C in particulari, tandem in singulari: ut si auro a longe viso, cupiamus illud sub ratione corporis pulchri, deinceps sub ratione boni aut pretiosi metalli, tertio sub ratione auri, quarto sub ratione auri purissimi. Conformiter, beatitudinem appetere possumus primo in generali tanquam bonum sufficiens, vel tanquam quid optimum nobis, deinde in particulari: ut qui in terrenis divitiis eam constituunt, potissime appetunt opes; qui in deliciis, voluptates. Et ita naturale ac necessarium D est, beatitudinem in generali appetere, quia sub ratione boni præcipui: imo et qui violentam sibi inferunt mortem, faciunt hoc ut miseriis quibus premuntur finem imponant. Ita juxta Damascenum, omnibus naturaliter inserta est cognitio exsistentiæ Dei, utique in communi, appetitio quoque boni, præsertim beatitudinis, saltem in generali, id est sub communi aliqua ratione: quod et Boetius et Augustinus apertissime protestantur.

Deinde quod ait probando intentum, Non magis est defectus boni in beatitudine considerata in particulari, quam in beatitudine considerata in universali; est manifeste erroneum. Quum enim bonum et malum sint in rebus, sicut verum et falsum in intellectu, secundum Philosophum; quanto res creatæ caducæ particularius considerantur, tanto earum defectus et mala distinctius ac evidentius deprehenduntur: quod et experimentaliter constat. Denique in beatitudine in generali considerata, videlicet in quantum est bonum felicitans, non occurrit alicujus ratio mali, sicut in beatitudine considerata in particulari, qualis est beatitudo Epicureorum, consimiliumque errantium. In beatitudine autem quam ponit fides catholica, quamvis ex natura rei nihil adjunctum sit mali, attamen ipsa potest non appeti, et sub ratione non appetendi apprehendi: vel quia non creditur esse possibilis, vel quoniam ad obtinendum nimis ardua atque difficilis reputatur.

Insuper quum assumit, Universale non includit aliquam bonitatem quæ non includatur in particularibus, etc.; dico, quod universale includit bonitatem et perfectionem particularium indeterminate seu incontracte: idcirco accipi potest tam abstracte, ut in sua ratione non dicat expresse neque contineat evidenter defectum boni et inappetibile, ut esse et vivere. — Deinde dum arguit, Necessitas appetendi aut est in actu elicito, etc.; dico, quod est in actu elicito, id est a voluntate producto respectu quorumdam, videlicet respectu ultimi finis in generali, imo et respectu ultimi finis clare ostensi, seu beatifice visi, aut per speciem cogniti: quem finem sic apprehensum impossibile est non amari, sicut ostensum est et patebit, quamvis iste *Cf.* p. 380 B. imaginetur contrarium. — Nec est universaliter verum quod dicit, inclinationem naturalem non esse aliquem actum. Nam et inclinatio parentis ad prolem, et prolis ad parentem, potest esse realis et actualis affectio atque tendentia unius ad alium,

nisi in terminis stetur : imo si inclinatio A naturæ non posset in actum procedere, actualisque fieri, esset inanis ac frustra. — Consequenter quod ait, quod necessitas in causa superiori non potest esse a causa inferiori, etc. ; totum hoc debiliter dictum est, quum et in omni individuo speciei humanæ in vita præsenti, necessitas moriendi sit ex parte materiæ privationi annexæ seu carnis. Nec verum est quod causa inferior non necessitat effectum causæ superioris, præsertim quum influentia et efficientia causæ superioris recipiatur in B inferiori secundum naturam et modum inferioris, ut habetur in libro de Causis.

Deinde quod subdit, Nemo tam miser est quin sciat beatitudinem suam esse in Deo, et non potius velit eam quam beatitudinem suam in alio; dico, quod hujus contrarium patet ad oculum. Innumerabiles quippe sunt credentes, qui quamvis sciant veram et summam beatitudinem hominis in Deo et in ejus visione seu fruitione consistere, nihilo minus plus appetunt falsas et vanas beatitudines in ter- C renis divitiis, in temporali prosperitate, in deliciis carnis, quam veram felicitatem in Deo : imo illam non appetunt, nec consequi satagunt, sed pro falsis beatitudinibus indefesse nituntur. Nonne aliqui tales voluptuosi aliquando insipientissime et tamen verissime dicunt, Ego non vellem quod essem in regno cœlorum ? Recolo quod dum eram adolescens, magister scholarium aliquando dixit, me audiente : Si Deus daret mihi jugiter vivere in hoc mundo, et permitteret me comedere po- D ma et pira, ego dimitterem ei regnum suum cœleste.

QUÆSTIO II

Circa hæc ulterius quæritur, Utrum beatitudo per prius ac principalius respiciat essentiam animæ rationalis quam potentiam ejus.

Videtur quod non, quia beatitudo est operatio, quæ est actus potentiæ. Nec essentia agit nisi per potentiam.

In oppositum est, quod beatitudo est summa perfectio animæ : ergo directe et proxime concernit ac perficit id quod est summum in anima; et hoc est ejus essentia, non potentia.

Ad hæc respondet Henricus : Quemad- (Quodl. XIII, q. 12.) modum sexto Metaphysicæ loquitur Avicenna, bonum quod est finis, non est respectu essentiæ agentis, sed est agentis secundum quod est principium motus. Et secundum intentionem Avicennæ ac philosophorum, bonum quod est beatitudo ac finis hominis et angeli, nullo modo respicit eorum essentiam, sed solum potentiam mediante operatione. Et hoc ipsis dicere congruebat, quia non cognoverunt veram rationalis creaturæ beatitudinem. Ideo hoc omisso, dico quod vera beatitudo angelica et humana consistit non solum in actu voluntatis et intellectus, in quibus non est nisi beatitudo creata ratione actuum ipsorum; imo principalius consistit in objecto, quod est increata beatitudo, quæ est Deus in quantum est bonum voluntatis creatæ : in qua per actum beatitudinis voluntatis creatæ, ipsa anima mediante voluntate transformatur, ut convertatur in illud quantum possibile est secundum naturam : et hoc vi amoris, secundum quem elicitur, ut habitu voluntatis volitio ipsa sit beata. Amor namque, secundum divinum Dionysium, est virtus transformativa (De Divin. nom. c. IV.) et conversiva amantis in amatum. Unde super illud septimi capituli Hierarchiæ cœlestis, Calidum et acutum, asserit Hugo : Significat Dionysius per hoc impetum quemdam amoris ferventis, ferentis se in amatum, atque intrantis ac penetrantis, ut ubi est id quod amatur, ibi cum ipso sit et in ipso, ut non solum sit ab ipso calidum. Calidum autem intelligo ex ejus spirituali contactu, per quem amplius inardescit, ferventiorique actu volitionis se in amatum mittit, et fit unum cum ama-

to, relinquens, exuens, despiciensque se **A** ipsum, et transiens in dilectum. Quod fieri nequit nisi per circumincessionem, non animæ illabentis Deitati, sed potius econtrario Deitatis illabentis in animam, ut in ea nihil appareat nisi dispositiones divinæ : quemadmodum ferrum igni immissum candescit, et quasi ignis efficitur, ardens et lucens, igne se profundante in ferrum, et interiora ejus penetrante, non econtrario.

Circumincessio autem seu illapsus talis fit potius in essentiam animæ, et per **B** illam in potentias : sicut gratia et gloria, quæ est gratia consummata, principaliter est in essentia animæ, et redundat in ejus potentias sub ratione habitus ac virtutis. Per talem quippe circumincessionem Deitatis primo in substantiam animæ, anima illuminata luce increata, et inflammata caritatis ardore, transformatur, sicque quantum possibile est deiformem similitudinem habet, ut quasi non aliud esse videatur nisi quod Deus : sicut ferrum ignitum non aliud jam apparet quam **C** ignis. Beatitudo igitur principalius perficit essentiam animæ quam potentias ejus, quia in illa principalius habetur Deus, qui est finis et beatitudo, quam in potentiis : quia essentiam animæ quodammodo perficit per suam essentiam ; potentias autem non nisi per illarum operationes terminatas ad divinam essentiam sub ratione veri et boni; quamvis perceptio hujus perfectionis non conveniat animæ nisi per suas potentias, hoc est per intellectus notitiam et voluntatis degustationem. — Hæc Hen- **D** ricus.

At vero contra istam responsionem arguit Scotus multum prolixe : Deus, inquiens, non aliter habet se nunc quam prius, nec aliter illabitur angelo vel animæ nunc quam prius, considerando præcise essentiam hinc inde, quia secundum illapsum divinæ essentiæ in essentiam creaturæ, semper est uniformitas manente esse creaturæ. Ergo si est aliqua novitas in anima beata, oportet quod hoc sit per aliquem effectum creatum a Deo in illa : qui effectus dicitur beatitudo formaliter, nec potest primo inesse essentiæ, sed potentiæ, quum beatitudo sit actus. Præterea, anima non mutatur de miseria in beatitudinem, nisi novum aliquod formaliter insit ei : et hoc non potest esse divina essentia, quum nullius sit forma inhærens. Iterum, illapsus Dei in essentiam animæ, prior natura est omni operatione : ergo est ante beatitudinem, et sine ea poterit esse.

Verum ista et cetera scripta Scoti non videntur esse contra mentem Henrici : quoniam respondendo ad argumentum quo probatum est beatitudinem primo ac principaliter perficere essentiam animæ, dicit hoc argumentum procedere de beatitudine increata. Argumentum vero probans quod beatitudo prius perficiat potentiam, ait concludere de beatitudine creata : et ita fit æquivocatio in argumentis. Nec aliud obtinent Scoti objecta, nisi quod creata beatitudo, utpote actio illa, per prius respiciat perficiatque potentiam: quod Henricus non negat. Qui nihilo minus protestatur beatitudinem (haud dubium quin increatam) per prius ac principalius concernere ac complere essentiam intellectualis creaturæ, quia per prius supernaturaliter perficit eam, gratam, acceptam, conformem sibi, ac deiformem ipsam efficiens, atque in supernaturali quodam esse constituens per infusionem gratiæ gratum facientis seu luminis gloriæ : quæ gratia immediate perficit ac concernit essentiam creaturæ rationalis, prout probabilior tenet positio, sicut patuit super secundum. Quæ gratia una cum *dist. xxvi, q. 2.* supernaturalibus habitibus doni sapientiæ ac caritatis infusæ, per varios actus et effectus eorum mirabiliter et præclare ornat, exaltat, deificat animam, tam quoad ejus essentiam, quam quoad vires ejus superiores, in quibus superbeatissimæ Trinitatis imago resplendet. Quod etiam fit per circumincessionem Deitatis penetrantis essentialiter hujusmodi creaturam, non

solum generali modo quo omni creatæ essentiæ dicitur illabi; sed modo speciali quo per supernaturales effectus perhibetur esse et agere in creatura intellectuali. Talis autem præsentia et efficientia superdignissimi Creatoris in creaturis, Aristotelem atque philosophos latuit; nec percipitur ab eis quibus Deus sic adest et beatitudinem tantam largitur, nisi per operationes intellectus ac voluntatis. — Et per hæc evidenter solvuntur omnia Scoti objecta. Constat namque ex his, qualiter Deus omnipotens et æternus, in se et quantum ad se prorsus invariabilis, uniformis, aliter et aliter se habet ad creaturam quam prætacto modo felicitat; et qualiter diversimode operatur in ea, et prius natura in ejus essentia quam in viribus seu potentiis ejus.

Amplius, circa hæc Bonaventura fatetur: Quorumdam opinio est de gratia et de gloria, quod sicut differunt gratia et virtus, ita beatitudo et dos. Et sicut gratia concernit essentiam animæ, propter quod una est, sicut essentia animæ; sic virtus respicit potentiam ejus : unde et virtutes sunt plures, sicut potentiæ. Conformiter gloria, quia potentiam animæ respicit, una est, quemadmodum illa; et dotes, quum respiciant animæ vires, sunt plures, sicut et vires. Naturale quoque exemplum est in anima rationali corpus vivificante, quæ in quantum vivificans, respicit complexionem, quæ una est in corpore toto; et in quantum motor, diversa respicit organa. Verumtamen credo hoc magis esse per appropriationem, quam per proprietatem ac veritatem. Corpus namque ad vitam nunquam dispositum est, qualemcumque habeat complexionem, nisi habeat organizationem. Similiter credo in gratia et gloria, quod anima capax non est gratiæ aut gloriæ, nisi per mentem; unde existimo tam gratiam quam gloriam per prius esse in potentia. — Hæc Bonaventura : de cujus positione diffusius est tractatum super secundum. (tom. XXIV, p. 326 D' et s.)

QUÆSTIO III

Modo quærendum, **Utrum beatitudo et gloria electorum major erit post diem judicii quam sit nunc; et qualiter beatitudo a diversis diversimode participabitur, ac diversitas mansionum sumatur penes gradus caritatis diversos.**

Videtur quod non crescit. Anima enim beata a corpore separata, videtur conformior Deo ac angelis, quia materia sunt immunes : ergo et tunc liberior expeditiorque consistit ad actus et affectus intellectivæ portionis.

Circa hæc loquitur Thomas : Beatitudinem Sanctorum post resurrectionem extensive augeri, est manifestum; quia beatitudo tunc erit non solum in anima, sed item in corpore. Animæ quoque beatitudo extensive augebitur, in quantum anima tunc gaudebit non solum de proprio bono, sed etiam de bono corporis sui. Potest etiam dici, quod animæ beatitudo intensive augebitur. Nam corpus hominis dupliciter potest considerari : primo, secundum quod est ab anima perfectibile; secundo, prout in eo est aliquid repugnans animæ in operibus ejus. Quantum ad primum, conjunctio corporis cum anima, addit animæ quamdam perfectionem, quoniam pars in suo toto completur, et in se imperfecta consistit. Sed quoad secundum, impedit animæ perfectionem, juxta quod legitur : Corpus quod corrumpitur, aggravat animam. (*Sap.* IX, 15.) Quumque (juxta præhabita) in resurrectione futura, sint omnia talia a corpore removenda, (*Cf.* p. 277 D et s.) patet quod anima in corpore glorificato, quod erit perfecte subjectum atque obediens animæ, expeditior ac potentior erit ad actus suos quam ante. Hinc naturaliter appetit suo corpori reuniri : per quod ejus operatio qua fertur in Deum, est nunc minus intensa. Propter quod ait Hieronymus*, quod

* Augustinus

ex appetitu corporis retardatur ne tota intentione in Deum feratur. Hinc etiam anima corpori glorioso conjuncta, similior Deo est quam separata, sicut et perfectius habet esse, quamvis separata habet aliquem modum essendi Deo et angelis similiorem.

Præterea dum quæritur, an beatitudo ab omnibus æqualiter participabitur, respondendum : Quum beatitudo in operatione consistat, gradus beatitudinis attendendus est secundum gradus perfectionis in agendo. Perfectio autem operationis in qua consistit felicitas, ex duobus pensatur, puta, ex parte operantis et ex parte objecti. Unde Philosophus decimo Ethicorum testatur : Perfectissima operatio est, quæ est altissimæ potentiæ nobilissimo habitu perfectæ, et respectu nobilissimi objecti. Objectum vero operationis in qua consistit felicitas, unum est omnino ac idem, videlicet divina essentia. Idcirco ex hac parte non erit beatitudinis gradus; sed ex parte operantium seu videntium divinam essentiam, quorum quo habitus fuerint perfectiores, utpote, lumen gloriæ, caritas, perfectiones et merita, eo ipsorum beatificæ visiones erunt eminentiores. Sicque apud Matthæum, singuli operarii dicuntur singulos accepisse denarios, quia denarius, id est præmium essentiale, unum erit ex parte objecti. Et sicut ignis est subtilissimum corpus, loquendo in communi, nihilo minus unus ignis est subtilior alio; ita beatifica visio est summa et ultima merces, et tamen in speciali in uno est major, in alio minor.

Matth. xx, 9, 10.

Insuper isti beatitudinis gradus mansiones vocantur. Motus quippe localis prior est omnium motuum aliorum. Hinc nomen motus atque distantiæ derivatur a motu locali ad ceteros motus, secundum Philosophum. Locus vero est finis motionis localis, ad quem quum mobile venerit, quiescit in illo et conservatur. Ideo in quolibet motu, quietationem in fine motus vocamus collocationem seu mansionem. Quumque nomen motus derivetur usque ad actum

A appetitus et voluntatis, ipsa assecutio finis appetitivi motus dicitur mansio, id est collocatio fixa in fine. Sicque diversæ consecutiones et possessiones ultimi finis appellantur diversæ mansiones, ut sic unitas domus cœlestis correspondeat unitati beatitudinis ex parte objecti, atque pluritas mansionum distinctioni beatitudinis ex parte subjectorum : quemadmodum in rebus naturalibus cernimus, quod idem est locus sursum, ad quem omnia levia tendunt, sed unumquodque pertingit magis

B aut minus propinque, et ita sunt diversæ mansiones levium sursum.

Postremo dum quæritur, an mansiones istæ in patria distinguuntur penes gradus caritatis diversos; dicendum, quod principium distinctivum mansionum seu graduum beatitudinis, duplex est : unum propinquum, aliudque remotum. Propinquum est diversa dispositio in Beatis, ex qua contingit in eis diversitas perfectionis in actione beatitudinis; principium vero remotum, est meritum quo talem ac tantam

C beatitudinem consequuntur. Primo modo distinguuntur mansiones secundum caritatem patriæ, quæ quanto in aliquo erit perfectior, tanto efficiet eum capaciorem divinæ claritatis; et secundum ejus augmentum augebitur perfectio divinæ visionis. Secundo autem modo distinguuntur secundum caritatem viæ. Actus enim noster non nisi ex caritate est meritorius, quoniam caritas ipsum finem habet pro objecto : unde nec opera meritoria sunt nisi ut caritate informantur. Hinc tota di-

D versitas in merendo ad diversitatem reducitur caritatis. Sicque caritas viæ distinguet mansiones per modum meriti. — Hæc Thomas in Scripto. Concordat Petrus, cujus scripta continentur in istis.

Addit autem Richardus : Aliqui non improbabiliter dicunt, quod beatitudo electorum post judicium non erit major intensive, quia in corporum resumptione non augebitur lumen seu habitus gloriæ; nec per illam resumptionem habebit anima perfectius esse naturale, quoniam esse

creatum ultra essentiam non videtur importare nisi solam relationem ad datorem essendi. Anima autem per corporis resumptionem non erit perfectioris essentiæ, sicut per separationem a corpore nihil de essentia fuit diminutum. Sed contra istud videtur esse auctoritas Augustini, dicentis duodecimo super Genesim, animam a corpore separatam, non sic posse conspicere incommutabilem veritatem ut sancti angeli vident, seu alia latentiori causa, seu ideo quoniam inest ei quidam naturalis appetitus administrandi corpus, quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione feratur in summum bonum. Super illud Apocalypsis quoque, Vidi subtus altare animas interfectorum, asserit Glossa : Ideo animæ Sanctorum dicuntur modo subtus altare, quia nunc sunt in minori dignitate quam erunt quando ultra stolam nunc datam, stolam quoque corporis obtinebunt. Quumque corpora ordinentur ad resurrectionem propter animam intellectivam, frustra fieret resurrectio corporum, nisi animæ sanctæ per hoc fierent majoris virtutis ad intelligendum ac diligendum. Hinc mihi videtur dicendum, quod beatitudo animæ major tunc erit etiam intensive, ita quod tunc clarius Deum videbit. Unde et Magister affirmat, quod majorem gloriam suæ claritatis tunc Deus electis monstrabit : non quod anima receptura sit tunc majorem gloriæ habitum, sed quia augebitur perfectio suæ naturalis virtutis. Quanto autem perfectior est animæ virtus naturalis, tanto cum æquali adjutorio supernaturali Deum clarius videt. — Quod autem naturalis virtus et modus essendi animæ erunt tunc perfectiores, probatur ut supra ex Thoma.

Apoc. VI, 9.

p. 409 C'.

Concordat Albertus, dicendo : Augmentum gloriæ potest intelligi extensive, ita quod erit de pluribus, et ita augebitur ; et intensive, nec ita augebitur, nisi pro quanto, naturali desiderio quietato quo dependet ad corpus, anima fortiori intentione convertetur ad Dei contemplationem.

Bonaventura quoque circa præhabita loquitur : Beatitudo est duplex. Una, satians objective et effective, videlicet Deus ; et sic omnium una est beatitudo ac merces. Alia, satians formaliter et inhæsive ; sicque omnium est una beatitudo, unitate conformitatis et unitate connexionis, attamen differens quantitate remunerationis et gaudii. Nam unus alio clarius videt, vehementius gaudet, ac strictius tenet. Hæc Bonaventura.

Denique Scotus ait : Ad hoc quod appetitus quietetur, non oportet quod habeat omnem perfectionem cujus est capax seu sibi possibilem, imo sic sola anima Christi habet appetitum suum simpliciter quietatum ; sed sufficit quod tantam habeat perfectionem, felicitatem et gloriam, quanta sibi convenit secundum divinam justitiam et secundum rectam rationem, ac voluntatem rationi ac sapientiæ consonam, atque divinæ justitiæ conformatam ac subditam. Hæc Scotus.

Præterea, super his scribit Guillelmus libro de Universo : Habet quæstionem, utrum felicitas illa mutationem recipiat saltem in majus ac melius, hoc est, an possit augeri. Videtur quippe non parum augenda. Primo, si glorificatis hominibus tantus futurus est amor divinæ justitiæ et exterminationis omnis iniquitatis et injustitiæ, omnisque miseriæ a sanctis et electis hominibus ; quomodo possibile est eos ista videre fieri, nec novum gaudium eis inde accrescere ? Omne namque desideratum et amatum suo obtentu et adeptione, aut novum ingerit gaudium, vel auget præhabitum. Secundo, ex glorificatorum corporum receptione. Si etenim sanctis animabus tantus amor est corporum suorum in ista deformitate atque miseria positorum, quomodo non incomparabiliter major amor eis erit ad corpora sua, dum ea viderint glorificata ? Nam juxta magnitudinem amoris in amatum, est gaudii magnitudo in adeptione amati. Manifestum est ergo, ex receptione corporum glorificatorum eis accrescere inæstimabile gaudium, quum et in illa glorificatione per-

ficientur animæ ipsæ secundum vires suas A exteriores, imo et interiores organicas. Tertio, quum et tantus amor sit angelis sanctis in animas sanctas, animabusque sanctis jam beatis in animas electas glorificandas; quomodo non ex consortio et adventu earum augebitur gaudium utrorumque, imo universorum et singulorum, juxta vehementiam dilectionis in invicem ? Nam (ut alibi demonstravi) gaudium uniuscujusque angelorum sanctorum ac civium supernorum de gaudio uniuscujusque suorum concivium, tam angelorum quam animarum seu hominum beatorum, majus erit omnibus gaudiis quæ in hac vita sunt et in hoc mundo. Quoniam igitur non unum tantum, sed innumerabilia millia hujusmodi gaudiorum, unicuique tam beatorum angelorum quam animarum felicium accrescent ex his omnibus qui de judicio assumentur ad utrorumque consortium; quomodo non augebitur felicitas utrorumque prius glorificatorum, ex tot millibus gaudiorum tantorum? Et adhuc multo plus augebitur hujusmodi gaudium Beatorum, C ex inspectione forinsecus gloriæ ac magnificentiæ supergloriosissimi Creatoris in suis effectibus, et ex resplendentia sapientiæ et omnipotentiæ, æquitatis atque clementiæ ejus in suis operibus, quem præ omnibus incomparabiliter præamabunt.

Quod si quis instet et dicat, quod gaudia felicitatis illius sunt ex cognitione, quæ in Beatis tantæ est claritatis et perfectionis, ut futura tanquam præsentia videantur ibidem, ideoque ex glorificatione illa nil gaudii ipsis accrescet; dico ad hoc, quod istud D non est adhuc certe ac liquide demonstratum. Et quamvis sic esset, attamen multum distat inter apprehensionem qua apprehenditur res futura, et eam qua apprehenditur esse præsens; similiter inter cognitionem qua quis cognoscit se bonum aliquod habiturum, et eam qua cognoscit et sentit se jam illud habere. — Hæc Guillelmus. Qui et alio loco disseruit : Si quæras qualiter animæ sanctæ tot gaudiis poterunt simul gaudere, respondeo, quod instar angelicorum spirituum omnia simul cognoscunt in Verbo æterno, et libertate ac expeditione nobis inexcogitabili sunt donatæ.

Amplius, locum hic habet quod duodecimo Quodlibeto quærit Henricus : utrum q. 6. videlicet habens naturalia meliora, exsistens in caritate et gratia æquali cum caritate et gratia alterius habentis naturalia minus bona, clarius videbit atque intensius diliget Deum quam ille alter.

B Videtur quod imo, quoniam actus conformatur potentiæ habituique agentis. — In oppositum est, quia si sic, tunc habens caritatem minorem, haberet gloriam tantam ut habens caritatem majorem.

Respondeo, quod in actu glorioso duo considerantur. Primum est ordo actus ad objectum in quo consistit felicitas. Secundum est ordo actus ad subjectum a quo actus elicitur. Ex ordinatione ad objectum, actus recipit formam et speciem; ex ordinatione ad subjectum, recipit intensionem et remissionem juxta dispositionem subjecti. Verumtamen ex parte subjecti, prout ad præsentem pertinet quæstionem, est distinguendum : quia dispositio subjecti penes quam actus recipit intensionem et remissionem, est duplex, utpote, naturalis potentia agentis, et habitus potentiam informantis. Et tam potentia quam habitus considerari possunt dupliciter, videlicet, quoad eorum substantiam, et quoad eorum fervorem ad actum eliciendum. Similiter, ex parte intensionis et remissionis oportet distinguere : quoniam illa aut consistit in substantia actus ut tendit in objectum, vel in modo expeditionis in eliciendo actum ex subjecto. Itaque considerando intensionem et remissionem primo modo, sic semper sequitur subjectum ex quo elicitur, secundum dispositionem utramque, principaliter tamen ratione fervoris, quoad actum merendi in vita præsenti : et quoad substantiam actus, ut tendit in objectum, et quoad expeditionem eliciendi ipsum ex subjecto. Nam secundum majo-

rem fervorem potentiæ et habitus caritatis, intensior actus merendi elicitur, et expeditius : et hoc meritum ex nobis est et ex Deo. Quoad actum vero præmium recipiendi in vita gloriosa : quoad intensionem et remissionem ejus in sua substantia, ut tendit in objectum solum, sequitur secundum dispositionem habitus, quia in ipso consistit meritum, cui redditur præmium secundum intensionem actus ut tendit in objectum, et hoc a solius Dei liberalitate; sed quoad intensionem modi eliciendi expedite actum ex subjecto, sequitur secundum dispositionem utramque.

Hinc dico, quod habens naturalia meliora in caritate æquali, expeditius elicit actum intelligendi atque volendi, quam habens naturalia minus bona, actibus intelligendi et volendi exsistentibus æqualibus in utrisque juxta æqualitatem habituum gloriæ. Sicque concedendum, quod habens æqualem gloriam in melioribus naturalibus, non videt nec diligit Deum intensius, quamvis actus illos quantum in se est, eliciat expeditius, nulla tamen difficultate eliciendi exsistente in alio. Hinc quoque ille meliora naturalia habens, non erit beatior : beatitudo namque non est major aut minor in patria ratione expeditionis, sed solum ratione intensionis et remissionis ipsius actus in sua substantia, qua tendit in objectum, et agentem unit intensius remissiusve objecto. — Hæc Henricus. Cujus responsio satis est involuta. Nam et
Cf. p. 411 A. præhabita verba Augustini, quod scilicet anima separata retardatur ne tota intentione nec tam plene feratur in Deum; exponit solum quantum ad expeditionem jam tactam, non quoad intensionem, ut alii quidam, quum et naturalia cooperari dicantur gratuitis.

Præinductis quoque consonat responsio hujus doctoris quartodecimo Quodlibeto, ad
q. 4. quæstionem qua quæritur, utrum intellectus beatus possit proficere in cognitione multitudinis rerum cognoscibilium, non proficiendo in cognitione divinæ essentiæ. Ad quod respondet quod imo, quo-
A niam per cognitionem talium in divina essentia, non augetur essentialis beatitudo, sed bene quoddam gaudium accidentale. Divina quoque essentia, in qua universa relucent, est superliberrimum speculum : ideo repræsentare se potest ut vult, ita quod vel plura vel pauciora cognoscuntur in ea. Unde quinto Confessionum loquitur Augustinus : Infelix homo qui scit omnia, et te nescit; beatus vero qui te scit, quamvis ista ignoret; qui autem te et ista novit, non propter ista beatior, sed propter
B te solum beatus. — Hæc Henricus. Ex quibus patet, qualiter Beatorum gaudium accidentale potest augeri, non aucto præmio essentiali.

QUÆSTIO IV

RESTAT nunc quærere, **Utrum Sancti in patria videant Deitatis essentiam clare et intuitive per spe-
C ciem, et an comprehendant eamdem, atque an omnia intueantur ac noscant in ea.**

Videtur quod nulla mens creata possit divinam essentiam in se ipsa clare et immediate conspicere, quia (ut ait Apostolus) Deus lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus homo vidit nec videre potest. I *Tim.* vi, 16. — Secundo, super illud Joannis, Deum nemo vidit unquam, scribit Chrysostomus: *Joann.* i, 18. Cœlestes essentiæ, Seraphim et Cherubim, Deum ut est, nunquam potuerunt videre.
D — Tertio, B. Dionysius hoc ipsum in multis locis sentire videtur. Nam in libro Mysticæ theologiæ declarat, quod perfectissima cognitio Dei est per omnium abnegationem ab ipso. cap. ii. In epistola quoque ad Caium monachum : Divinæ (inquit) tenebræ cooperiuntur omni cognitioni, et absconduntur omni visioni; et si aliquis videns Deum, intellexit quod vidit, non ipsum Deum vidit, sed aliquid eorum quæ sunt circa ipsum. Epist. i. Idem asserit Damascenus libro primo, capitulo quarto. — Item,

secundum Philosophum, intellectus noster ad manifestissima naturæ, id est ad cognitionem substantiarum separatarum, se habet sicut oculus noctuæ ad solis lumen. Deus autem in infinitum eminet omni substantiæ separatæ creatæ. Ergo nulla est proportio, nulla dispositio, nulla capacitas intellectus nostri ad claram et intuitivam Dei cognitionem. — Rursus, omnis intellectualis cognitio fit per aliquam intelligibilem speciem intellectui inexsistentem, et ipsum intelligibile repræsentantem. Omnis autem creata similitudo ac species a clara et quidditativa repræsentatione divinæ essentiæ occumbit ac deficit penitus infinite : ergo per nullam hujusmodi speciem potest videri. Nec divina essentia, quæ est res summe in se subsistens, nulli inhærens, potest sic intellectum informare et actuare ad videndum Deum per speciem.

I Cor. xiii, 12. In oppositum est illud Apostoli : Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Ad hæc Thomas respondet : Sicut secundum fidem ponimus ultimum finem vitæ humanæ esse visionem Dei per speciem, ita philosophi posuerunt ultimam hominis felicitatem esse intelligere substantias separatas. Ideo circa hanc quæstionem eadem difficultas atque diversitas invenitur apud philosophos et apud theologos. Quidam namque philosophi posuerunt, quod intellectus noster possibilis nunquam potest ad hoc devenire, ut intelligat substantias separatas quantum ad *quid est,* ut Alphorabius in fine Ethicæ suæ ait, quamvis contrarium dixerit in libro suo de Intellectu, ut refert Averroes tertio de Anima. Similiter quidam theologi posuerunt, quod intellectus noster nunquam potest pervenire ad claram visionem divinæ essentiæ. Et utrosque movit distantia inter nos ad divinam essentiam seu substantias separatas. Quum enim intellectus in actu, sit quodammodo unum cum intelligibili in actu, videtur difficile

A quod intellectus creatus aliquo modo essentiam increatam intelligat. Unde Chrysostomus dicit : Quomodo creabile videt increabile ? Major quoque difficultas in hoc, est dicentibus intellectum possibilem esse virtutem generabilem et corruptibilem a corpore dependentem, non solum respectu visionis divinæ essentiæ, sed etiam cujuscumque substantiæ separatæ. — Verum hæc opinio nullatenus potest stare, quia repugnat auctoritati Scripturæ canonicæ, ut asserit Augustinus in libro de

B Videndo Deum. Secundo, quia quum intelligere sit maxime operatio propria hominis, oportet ut secundum eam assignetur ei sua beatitudo, quum hæc operatio in ipso perfecta fuerit. Quumque perfectio intelligentis in quantum hujusmodi, sit intelligibile; si homo in perfectissima operatione intellectus non pertingit ad visionem divinæ essentiæ, oportebit fateri quod aliquid aliud quam Deus, sit beatificans hominem. Et quum ultima cujuslibet rei perfectio sit in conjunctione sui ad suum

C principium, sequitur quod aliquid aliud erit principium hominis effectivum quam Deus : quod est absurdum, etiam apud philosophos qui dicunt animas nostras a separatis emanare substantiis, ut eas in fine possimus intelligere. Hinc oportet ponere secundum nos, quod intellectus noster quandoque perveniat ad visionem divinæ essentiæ ; et secundum philosophos, ad cognitionem essentiæ substantiarum separatarum. Quomodo autem hoc possit accidere, restat investigandum.

D Itaque quidam philosophi, ut Alphorabius et Avempote, dixerunt quod ex hoc ipso quod intellectus noster pertingit ad intelligendum quæcumque intelligibilia, pertingit ad videndum essentiam substantiæ separatæ. Ad quod ostendendum, processerunt duobus modis. Quorum primus est, quod sicut natura speciei non diversificatur in diversis individuis, nisi secundum quod conjungitur principiis individuantibus ; ita forma hominis intellecta non diversificatur apud me et te, nisi se-

cundum quod conjungitur diversis formis imaginabilibus : idcirco dum intellectus separat formam intellectam a formis imaginationis, remanet quidditas intellecta, quæ est una et eadem apud diversos intelligentes ; et talis est quidditas substantiæ separatæ. Hinc dum intellectus pervenit ad summam abstractionem quidditatis intelligibilis cujuscumque, intelligit per hoc quidditatem substantiæ separatæ, quæ est similis ei. Secundus modus est, quoniam intellectus noster natus est abstrahere quidditatem ab omnibus intelligibilibus habentibus quidditatem. Si ergo quidditas quam abstrahit ab hoc singulari habente quidditatem, sit quidditas non habens quidditatem ; intelligendo eam, intelliget quidditatem substantiæ separatæ, quæ est talis dispositionis, eo quod substantiæ separatæ sint quidditates per se subsistentes. Quidditas enim simplicis est ipsum simplex, ut perhibet Avicenna. Si autem quidditas abstracta ab hoc particulari sensibili, sit quidditas habens quidditatem, ergo illam quidditatem intellectus natus est abstrahere : et ita quum non sit ire in infinitum, erit devenire ad quidditatem non habentem quidditatem, per quam intelligitur quidditas separata. — Sed nec iste modus videtur sufficiens. Primo, quoniam quidditas substantiæ materialis quam abstrahit intellectus, non est unius rationis cum quidditatibus substantiarum separatarum : ideo per hoc quod intellectus noster abstrahit quidditates materialium rerum, et eas cognoscit, non sequitur quod cognoscat quidditatem substantiæ separatæ, præsertim divinam essentiam. Secundo, quoniam dato quod esset rationis ejusdem, tamen cognita quidditate rei compositæ, non cognoscitur quidditas separatæ substantiæ nisi secundum genus remotissimum ; ideo est cognitio penitus imperfecta, quousque perveniatur ad propria rei.

Hinc alium modum intelligendi substantias separatas tangit in sua Metaphysica Avicenna, dicendo quod intelliguntur a A nobis per intentiones quidditatum suarum, quæ sunt quædam earum similitudines non abstractæ ab eis, quum ipsæmet sint immateriales, sed impressæ ab eis mentibus nostris. — Sed nec iste modus proposito nostro videtur sufficere. Quod enim in aliquo recipitur, recipitur in eo per modum recipientis. Ideo similitudo divinæ essentiæ intellectui nostro impressa, erit in eo per modum intellectus nostri : qui modus exsistit deficiens a perfecta receptione divinæ similitudinis. Defectus B autem perfectæ similitudinis potest tot modis contingere, quot modis dissimilitudo invenitur. Nam uno modo deficit similitudo, quando forma participatur secundum eamdem rationem speciei, sed non secundum modum perfectionis eumdem : ut est similitudo ejus qui habet modicum de albedine, ad illum qui multum habet de illa. Secundo est magis deficiens, quando non pervenitur ad eamdem rationem speciei, sed generis tantum : ut est similitudo inter eum qui habet colorem citrinum, C et eum qui habet albedinem. Tertio adhuc plus, quando non pervenitur ad eamdem generis rationem, sed tantum secundum analogicam, ut est similitudo inter substantiam et accidens, in quantum utrumque est ens : sicque deficit omnis similitudo recepta in creatura, respectu divinæ essentiæ. Porro ad hoc quod visus cognoscat albedinem, oportet quod in eo recipiatur similitudo albedinis secundum rationem suæ speciei, quamvis non secundum eumdem modum essendi : quoniam D forma in sensu habet esse alterius modi quam extra in re. Similiter ad hoc quod intellectus intelligat aliquam quidditatem, oportet quod fiat in eo similitudo ejusdem rationis secundum speciem, quamvis forte non sit idem modus essendi utrobique. Non enim forma exsistens in intellectu aut sensu, est principium cognitionis secundum modum essendi quem habet utrobique, sed secundum rationem in qua communicat cum re exteriori. Unde constat quod per nullam similitudinem rece-

ptam in intellectu creato, potest Deus immediate videri clare in sua essentia. Hinc quidam dicentes divinam essentiam solum hoc modo videri, dixerunt quod ipsa essentia non cernetur, sed quidam fulgor tanquam radius ejus. Propterea nec hic modus sufficit ad divinæ essentiæ visionem, quam quærimus.

Accipiendus est ergo alius modus, quem etiam quidam philosophi posuerunt, videlicet, Alexander et Averroes tertio de Anima. Quum enim in qualibet cognitione necessaria sit aliqua forma, qua res cognoscatur aut videatur, forma ista qua intellectus perficitur ad intelligendum substantias separatas, non est quidditas quam intellectus abstrahit a rebus compositis, ut dixit prima opinio, neque impressio aliqua relicta in intellectu, ut dixit secunda positio; sed est ipsa substantia separata, quæ conjungitur intellectui nostro, ut ipsa sit quod intelligitur, et qua intelligitur. Et quidquid sit de aliis substantiis separatis, tamen hunc modum oportet nos accipere in visione Dei : quia quacumque alia forma seu specie informetur intellectus noster, non potest per eam ad claram visionem divinæ essentiæ in se ipsa immediate pertingere. Quod tamen non est intelligendum quasi divina essentia fiat vera forma intellectus nostri, aut quod ex ea et intellectu nostro fiat unum simpliciter; sed quod proportio divinæ essentiæ ad nostrum intellectum est sicut proportio formæ ad materiam. Quandocumque enim aliqua duo quorum unum est perfectius alio, in eodem recipiuntur, proportio perfectioris ad minus perfectum est sicut proportio formæ ad materiam : sicut lux et color recipiuntur in diaphano, quorum lux se habet ad colorem sicut forma ad materiam. Sicque quum in anima recipiatur divina inhabitans essentia, et vis intellectiva, quamvis non per modum eumdem, divina essentia se habebit ad nostrum intellectum sicut forma ad materiam. Idque sufficere ad visionem divinæ essentiæ, sic probatur. Sicut enim ex forma naturali substantiali atque materia fit unum simpliciter; ita ex forma qua intellectus intelligit et intellectu fit unum in intelligendo. Porro in naturalibus, res per se subsistens non potest consistere forma alicujus materiæ, si illa res habet materiam partem sui : quia non potest esse ut materia sit forma alicujus rei. Si autem res illa per se subsistens, sit forma tantum, nil prohibet eam fieri formam alicujus materiæ ac fieri *quo est* ipsius compositi, ut patet de anima. In intellectu autem oportet accipere intellectum in potentia quasi materiam, et speciem intelligibilem quasi formam; et intellectus actu intelligens, erit quasi compositum ex utroque. Hinc si sit aliqua res quæ non habeat aliquid in se præter id quod est intelligibile in ipsa, poterit esse forma qua intellectus intelligit. Quælibet vero res, intelligibilis est secundum id quod habet de actu, non secundum id quod habet de potentia. Quumque Deus sit purus actus, divina essentia poterit esse forma qua intellectus intelligit : et hæc erit visio beatificans. Unde Magister dixit prima distinctione secundi Sententiarum, quod unio animæ ad corpus, est quoddam exemplum beatificæ visionis qua Deo creatus spiritus unitur. dist. I K.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus inhabitat lucem inaccessibilem, id est incomprehensibilem, vel inaccessibilem naturali virtute : quem et nemo videre potest nec vidit corporali intuitu in Deitatis natura. Nec quis in hac vita, vivens vita naturali, sensitiva, humana, potest eum per speciem intueri : per quod patet solutio ad secundum. — Ad tertium respondendum, quod B. Dionysius loquitur de visione Dei in via per formas creatas, et per effectus, per quos non cognoscitur Deus nisi a posteriori et imperfecte et quia est, non quid est : sicque magis cognoscitur quid non est, quam quid est; et intelligitur non Deitas in se complete et quid sit, sed prout in rebus relucet. Divinæ quoque tenebræ appellantur supereminens et incomprehensibilis plenitudo, copia et cla-

ritas lucis æternæ supersplendidissimæ ac immensæ. — Ex his patet aliorum solutio, quia (ut dictum est) cognitio illa beata, est prorsus supernaturalis et per speciem increatam, ita quod divina essentia unitur menti beatæ loco et vice intelligibilis formæ : sicque divina essentia est quod et quo, id est, objectum et species. Quamvis etiam inter creaturam et Creatorem, seu inter finitum et infinitum, non sit proportio naturalis, perfecta, univoca, est tamen ibi proportio imitativa, incompleta, et analogiæ cujusdam, quæ potius proportionalitas quam proportio nuncupatur.

Advertendum præterea, quod tam in visione corporali quam intellectuali triplex est medium cognoscendi. Primum, sub quo res videtur, quod perficit visum ad videndum in generali, non determinans visum ad aliquod speciale objectum : et ita se habet lumen corporale ad visum corporalem, et lumen intellectus agentis ad intellectum possibilem. Secundum est medium quo videtur : et hoc est forma visibilis qua determinatur visus uterque ad speciale objectum, sicut per formam lapidis ad lapidem cognoscendum. Tertium est medium in quo videtur : et hoc est id per cujus inspectionem ducitur visus in aliam rem : quemadmodum speculum intuendo, cernit ea quæ repræsentantur in illo : sicque intellectus per cognitionem effectus ducitur in causam, et econtrario. In visione itaque patriæ non erit tertium medium, ut scilicet Deus per aliorum species cognoscatur ut nunc, propter quod [I *Cor.* XIII, 12.] dicimur videre per speculum ; nec erit ibi secundum medium, quia divina essentia erit quasi intelligibilis forma ; sed erit ibi tantum medium primum, quod elevabit intellectum nostrum ad hoc quod possit conjungi divinæ essentiæ, quod medium est lumen gloriæ. Verum ab hoc medio non dicitur visio mediata, quia non cadit inter cognoscentem et rem cognitam, sed est id quod dat cognoscenti vim seu efficaciam cognoscendi.

Denique ex his habetur responsio ad A hanc quæstionem, utrum Sancti post resurrectionem videbunt Deum in deitatis natura oculis corporalibus glorificatis. Constat enim quod non tanquam visibile per se, quum sit penitus immaterialis, sed quasi per accidens, in quantum in gloriosis et præclarissimis ejus effectibus patebit atque videbitur ejus majestas. Quamvis enim intellectus noster tunc non conspiciet nec cognoscet eum ex creaturis, tamen videbit eum in creaturis. Et juxta hunc modum intendit B. Augustinus in B fine de Civitate Dei, quod Deus tunc corporalibus videbitur oculis.

Consequenter dum quæritur, an videntes Deum per speciem, comprehendant eum ; dicendum, quod comprehendere dicitur quasi simul prendere. Hinc proprie comprehenditur quod totum capitur simul cum omnibus quæ sunt ejus : sicque omne comprehensum includitur in comprehendente, sicut contentum in continente. Et sicut corporaliter contineri dicitur quid in alio, quoniam clauditur intra terminos C ejus, nec dimensiones ejus excedit, ut vinum in dolio ; sic res dicitur spiritualiter contineri ab alio, quod substat virtuti ejus, et ipsum in nullo excedit continens illud. Hinc res dicitur per cognitionem comprehendi, dum res cognita stat sub actu virtutis cognoscitivæ, nec ipsam excedit. Omnis autem excessus est secundum aliquam quantitatem. Et secundum hanc quantitatem cognoscibile excedit vim cognitivam, secundum quam cognoscibile est ab ea. Sensibile vero cognoscibile est a sensu se- D cundum quantitatem dimensivam, et etiam virtualem : unde nec totam terram potest simul videre, nec lumen solis in suo splendore. Intelligibile autem non cognoscitur ab intellectu sub ratione quantitatis dimensivæ, nisi per accidens, in quantum accipit a sensu, sicque intelligit cum continuo et tempore : propter quod impeditur a comprehensione intelligibilis propter excessum quantitatis, ut a comprehensione lineæ infinitæ infinitique numeri. Sed per se loquendo, intelligibile comparatur ad in-

tellectum secundum rationem quantitatis virtualis, quoniam proprium objectum intellectus est quod quid est : ideo in his quæ sunt separata a sensu, non impeditur intellectus a comprehensione nisi per excessum quantitatis virtualis, quando videlicet intelligibile est majoris actualitatis et intelligibilitatis, quam intellectus capere seu cognoscere queat. Quumque divina essentia sit infinitæ actualitatis, et lumen intellectus creati finitum sit, etiam lumen gloriæ; constat quod Sancti in patria a vera et plena comprehensione divinæ essentiæ deficiunt infinite. — Verumtamen comprehensores vocantur, comprehensionem sumendo pro clara rei cognitione in sua essentia, vel pro ipsa perventione ad Dei visionem, secundum quod comprehensio dicitur spei succedere. Sicque ait Apostolus : Currite ut comprehendatis. Non tamen simpliciter comprehendunt eo modo quo loquitur Augustinus in libro de Videndo Deum : Comprehenditur quod ita videtur, ut nihil ejus lateat, seu cujus fines circumspici possunt. Et quamvis Beati totam Dei essentiam videant, non tamen totaliter, id est, non tam perfecte et plene sicut ipsa ex sua natura visibilis est.

I *Cor.* IX, 24.

Insuper videntium Deum unus alio clarius videt eum. Quum enim principium actionis sit forma qua agitur, oportet ex parte formæ accipi actionis mensuram. Potentia autem cognoscitiva subditur formæ qua cognoscit, secundum quod habet cognoscendi virtutem : sicut id quod facit visum potentem ad videndum, facit eum receptivum similitudinis visibilium rerum. Sicut autem intellectus possibilis per lumen intellectus agentis fit cognoscitivus cognoscibilium naturalium, ita per lumen gloriæ superadditum fit visivus divinæ essentiæ. Ideo quo aliquis Beatorum in lumine gloriæ plus abundat, eo Deum clarius conspicit; et quanto quis in caritate et puritate perfectior fuerit, eo lumen gloriæ copiosius sortietur, ac Dominum majestatis gloriosius profundiusque cognoscet.

Cf. t. XV, p. 277 D.

Porro dum quæritur, an videntes Deum, A omnia in ipso videant et cognoscant : dicendum, quod Deus videndo suam essentiam cognoscit omnia quæ sunt, fuerunt aut erunt; et hæc dicitur cognoscere notitia visionis, quia ad similitudinem visionis corporalis cognoscit ea tanquam præsentia. Intuendo quoque suam essentiam, noscit omnia quæ facere potest, quamvis nunquam fecerit ea, neque facturus sit : alias non cognosceret perfecte suam potentiam. Non enim potest cognosci potentia, nisi sciantur ejus objecta : et hoc B dicitur cognoscere notitia simplicis intelligentiæ. Impossibile autem est, quod aliquis intellectus creatus videndo divinam essentiam, cognoscat omnia quæ Deus facere potest : quoniam quanto aliquod principium perfectius cognoscitur, tanto plura in ipso sciuntur; sicut in eodem demonstrationis principio, qui perspicacioris ingenii est, plures conclusiones cognoscit. Quumque quantitas seu magnitudo divinæ potentiæ attendatur secundum ea in quæ potest; si aliquis intellectus creatus videret C in Dei essentia omnia quæ potest efficere, esset eadem quantitas perfectionis in intelligendo, quæ est quantitas divinæ potentiæ in producendo, et sic comprehenderet eam, et æquaretur eidem.

Verum omnia quæ scit Deus scientia visionis, cognoscit aliquis intellectus creatus in Verbo, videlicet anima Christi, ut dictum est tertio libro. De aliis autem videntibus divinam essentiam, est duplex opinio. Una, quod omnes videntes divinam essentiam, vident in ea omnia quæ Deus D scit scientia visionis. Sed hoc repugnat dictis Sanctorum, dicentium angelos aliqua ignorare, et inferiores a superioribus edoceri. Hinc alii dicunt, quod alii a Christo, quamvis videant Dei essentiam, non tamen in ea omnia vident quæ Deus videt in ea scientia visionis, quoniam eam non comprehendunt; nec oportet quod sciens causam, sciat universos ejus effectus, nisi causam plenarie comprehendat. Hinc unusquisque videntium Deum, tanto plura in ipso cognoscit, quanto eum perfectius ac

dist. XIV, q. 3.

Dionys. de Cœlest. hier. c. III.

clarius intuetur; et de his quæ præ aliis A scit, potest inferiores instruere : sicque angelorum et animarum sanctarum scientia potest augeri usque in diem judicii, sicut et alia quæ ad accidentale præmium pertinent. Ulterius vero non crescet, quia tunc erit ultimus status rerum, atque in statu illo possibile erit quod omnes omnia sciant quæ scit Deus scientia visionis. — Itaque quod ait Isidorus libro de Summo bono, Angeli in Verbo Dei omnia sciunt antequam fiant, non oportet de omnibus angelis accipi, nec oportet quod omnes B illa omnia plene et distincte prænoscant. Nam et eamdem rem unus alio perfectius noscit, et alium instruit de his quæ plenius novit.

Cf. t. XV, p. 78 D. Verumtamen his multa objici possunt. Primo, quod quarto Dialogorum ait Gregorius : Quid est quod ibi nesciant, ubi Deum scientem omnia omnes sciunt? — Secundo, qui potest quod majus est, potest quod minus est; sed multo majus est Deum per essentiam cernere quam alia omnia in ipso videre : ergo quum omnes Beati videant C Dei essentiam, multo plus vident omnia creata in ipso. — Tertio, qui videt speculum clare et immediate, videt universa quæ relucent in speculo. Quum ergo divina essentia seu Verbum æternum sit speculum superclarissimum in quo universa refulgent, videtur quod omnes qui speculum illud indesinenter inspiciunt, cuncta in eo incessanter agnoscant. — Quarto, homo naturaliter scire desiderat : ergo desiderium istud ibi implebitur, ita quod unusquisque universa et singula sciet. D

Et respondendum ad primum : Ex auctoritate illa Gregorii patet, quod in patria et in cognitione beata est sufficientia ad omnia intuenda ex parte divinæ essentiæ, in qua et per quam omnia ibi noscuntur; quod vero aliqui quædam non sciunt, est ex defectu intellectus creati, qui divinam non comprehendit essentiam. — Ad secundum, quod majus est videre divinam essentiam et alia multa seu omnia in ea, quam eam videre et pauciora in ipsa. —Ad tertium, quod speculum illud increatum, est sapientiale, justum ac liberum : ideo libere se ostendit Beatis secundum uniuscujusque dispositionem et dignitatem ac meritum. — Ad quartum, quod desiderium electorum quo omnia scire desiderant, ex hoc solo implebitur, quod summam veritatem clare conspicient : quemadmodum desiderium eorum quo omne bonum habere peroptant, implebitur in hoc, quod Deum beatifice possidebunt. Omnia quoque quæ scire optaverint, scient.

Sed rursus objicitur, quia ut ait Averroes tertio de Anima, si intellectus agens esset forma intellectus possibilis, omnia intelligeremus. Quum ergo divina essentia multo clarius repræsentet omnia menti creatæ quam intellectus agens, et sit ei unita quasi intelligibilis forma; sequitur quod Beati universa et singula conspiciant in eadem. Rursus, apparet quod saltem post diem judicii omnes Beati cuncta et singula scient. — Dicendum, quod intellectus agens est forma proportionata intellectui possibili, sicut potentia materiæ est proportionata potentiæ naturalis agentis; ita quod omne quod est in passiva potentia materiæ vel intellectus possibilis, est in activa potentia agentis naturalis vel intellectus agentis : ideo si intellectus agens fiat forma intellectus possibilis, oportet quod intellectus possibilis intelligat omnia ad quæ se extendit naturalis virtus intellectus agentis. Sed divina essentia non est taliter alicui intellectui creato proportionata : ideo non est simile. Verumtamen nil prohibet dicere, quod post diem judicii, dum gloria angelorum et hominum electorum fuerit penitus consummata, omnes Beati scient omnia quæ scit Deus scientia visionis : ita tamen, quod non omnes omnia videant in divina essentia; sed in ea anima Christi omnia plene videbit, sicut nunc videt, alii autem videbunt ibi plura aut pauciora secundum gradum quo Deum cognoscent. Sicque anima Christi de his quæ præ aliis videt, omnes alios illuminabit, juxta illud

Apoc. xxi, 23. Apocalypsis : Claritas Dei illuminabit illam, utpote civitatem Beatorum, et lucerna ejus est Agnus. Conformiter, alii Beati superiores illuminabunt inferiores, non nova illuminatione, ita ut inferiorum scientia per hoc augeatur, sed quadam continuatione illuminationis, velut si sol quiescens illuminet aerem. Unde in Daniele legitur : *Dan.* xii, 3. Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Præterea quæritur, an aliquis intellectus creatus, ex puris naturalibus possit pertingere ad claram et immediatam visionem B divinæ essentiæ. Videtur quod sic, quoniam multa de Deo cognoscimus quæ non conveniunt nisi ei soli seu divinæ essentiæ, ut quod Deus est purus actus, veritas prima, bonitas summa : et sic intuitive intelligimus eum, ita quod intellectus noster immediate fertur in eum. — Et re- *Cf.* p. 416 B. spondendum, quod sicut nunc patuit, intellectus noster Deum per essentiam nequit videre, nisi divina essentia uniatur ei quasi intelligibilis forma. Forma vero non conjungitur perfectibili nisi dum perfe- C ctibile habet dispositiones ad hoc : quemadmodum anima non conjungitur corpori nisi convenienter disposito. Ad hoc ergo quod intellectus uniatur divinæ essentiæ modo jam tacto, oportet intellectum congruenter disponi ad hoc : quod fit per lumen gloriæ, quod nulli intellectui creato potest esse naturale. Ultima enim dispositio ad formam, secundum eamdem rationem recipitur in perfectibili et ipsa forma, ita quod si unum est naturale, et aliud : quoniam perfectibile per ultimam D dispositionem, ad formam attingit ipsam. Porro forma quæ est divina essentia, omnem facultatem et capacitatem naturalem excedit. Potentia namque et proprius ejus actus semper in eodem genere accipiuntur : propter quod actus et potentia dividunt omne genus entis. Hinc creaturæ potentia non se extendit nisi ad sui generis formam. Hinc tam divina essentia seu ejus visio clara per speciem, quam ultima dispositio ad eamdem, excedit omnem naturalem mentis creatæ virtutem. Quæ dispositio est gloriæ lumen, de quo fertur in Psalmo : In lumine tuo videbimus lumen. *Ps.* xxxv, 10. Hinc intellectus creatus ex naturalibus suis non potest cognoscere Deum, nisi per formas speciesque creatas, inditas vel acquisitas.

Quæritur quoque, an Deus in hac vita per essentiam possit videri. Et quod imo, videtur ex Scripturis probari, quum Isaias testetur, Vidi Dominum sedentem super *Is.* vi, 1. solium excelsum; et sanctus Job fateatur : Auditu auris audivi te, nunc autem *Job* xlii, 5. oculus meus videt te. Jacob item in Genesi : Vidi Dominum facie ad faciem. *Gen.* xxxii, 30. Atque de Moyse in Numeris legitur : Palam et *Num.* xii, 8. non per ænigmata, videt Deum. De quo denuo scriptum est : Loquebatur Dominus *Exod.* xxxiii, 11. cum Moyse facie ad faciem, sicut loqui solet homo cum amico suo. — In oppositum est illud Apostoli : Nunc cognoscimus *I Cor.* xiii, 12. ex parte; et rursus, Per fidem ambula- *II Cor.* v, 7. mus, non per speciem. Et in Exodo, Dominus ait : Non videbit me homo et vivet. *Exod.* xxxiii, 20.

Dicendum, quod beatitudo est ultimus finis creaturæ rationalis, a quo distat quamdiu in via est, in qua tendit ad illum. Hæc autem beatitudo et finis est visio Dei per speciem, quæ est delectabilissima operatio rationalis creaturæ. Nec potest operatio talis esse nisi in potentia omnino disposita et perfecta ad summum objectum; quæ dispositio (sicut jam claruit) habetur per lumen gloriæ, non transitorie sed permanenter inhærens menti creatæ : quod nulli puræ creaturæ potest competere in hac vita. Nihilo minus, sicut multa alia miraculose contingunt sine naturali dispositione; sic supernaturaliter omnipotenti Dei virtute fieri potest, ut intellectus viatoris sine præfata supernaturali dispositione, ad divinæ visionem essentiæ elevetur : ex qua tamen visione non est beatus simpliciter, sed secundum quid, in quantum ad horam communicat in actu beati. Sicque Paulus in raptu ad tertium cœlum, et Moyses in hac vita Deum vidisse creduntur, secundum Augustinum in libro de Videndo

Deum. Nempe quod Moysi in libro Exodi A legitur denegatum, Deo dicente ad ipsum, *Exod.* xxxiii, 20. Faciem meam videre non poteris : non enim videbit me homo et vivet; postmodum in libro Numerorum legitur ei con- *Num.* xii, 8. cessum, Domino protestante de ipso : Palam et non per ænigma videt Deum.

Ad objecta ergo dicendum, quod secundum divinum Dionysium quarto capitulo Cœlestis hierarchiæ, omnes hujusmodi auctoritates Scripturæ sunt intelligendæ non de apparitione Dei in propria persona, aut clara per speciem visione, sed per crea- B turam subjectam : quatenus ostensæ sunt sanctis viris aliquæ formæ corporales aut imaginariæ, et hoc ministerio angelorum, quorum illuminatione, allocutione ac visione manuducti sunt et confortati ad percipiendum et cognoscendum supernaturalia et divina. Hinc angelus ita apparens, interdum vocatus est Dominus, quoniam loquebatur in Dei persona et ad ejus cognitionem ac cultum principaliter intendebat perducere; fuit quoque missus et directus a Deo, et efficaciam sortitus ab C eo. Interdum autem angelus appellatur, quia minister fuit. Propter quod dixit Gregorius : Angelus qui Moysi loquebatur, interdum Dominus, interdum angelus nominatur. Angelus, quia exterius loquendo servivit; Dominus, quia interius præsidens loquenti efficaciam tribuit. — Denique per hoc quod de Jacob legitur, Vidi Dominum facie ad faciem, notatur quædam præeminentia visionis illius : quia ut Rabbi Moyses gradus prophetiæ distinguens testatur, eminentior est prophetia quæ fit in vigi- D lia, quam quæ in somno; et hoc ceteris paribus. Eminentior quoque est, quando ille qui loquitur seu ostendit visionem, apparet ad oculum, quam quando solum auditur. Rursus eminentior est, quando apparet in figura angeli, quam in figura hominis tantum. — Visio demum Moysi et Paulo in hac vita concessa, fuit valde privilegiata; decuitque idem privilegium communicari Doctori gentium, quod concessum fuit legislatori Judæorum. Nec in illa visione vixerunt vita humana, sed fuerunt tunc in abstractione et alienatione a corporalibus sensibus maxima. Attamen quidam dixerunt, quod in visione illa non viderunt Deum per speciem, sed per contemplationem eminentissimam viæ, mediam inter contemplationem Beatorum et viatorum communiter. Sed hoc non videtur consonare dicto Sanctorum. Verum quantum ad hoc fuit media, quod non fuit mansiva, nec perfecte beata, ut dictum est.

Præterea, quamvis in vita hac per creaturas Creatorem intelligamus, attamen in ipsum immediate converti valemus. Etenim etiam dum aliquid per similitudinem alterius rei videtur, potest videns immediate cogitare de re visa, sine hoc quod cogitatio ejus convertatur ad aliud : quia medium illud respicit non ut rem quamdam, sed solum ut similitudinem rei quam videt per eam. Idem quippe est motus ipsius intellectus in imaginem et in imaginatum : quamvis alius motus sit ipsius intellectus in imaginem ut est res quædam, atque in id cujus est imago. Idcirco dum intellectus per similitudinem creaturæ convertitur in Creatorem, non prout creatura illa est res quædam, sed ut est similitudo aliqua Dei, tunc cogitat immediate de Deo, quamvis non immediate videat Deum. — At vero, ut super illud Psalmi, Diminutæ sunt veritates, loquitur *Ps.* xi, 2. Glossa, ab una veritate increata derivantur ac resultant multæ veritates in rebus creatis, animabusque nostris, sicut ab una facie derivantur multæ similitudines in pluribus speculis. Et rursus, sicut multarum similitudines facierum in eodem speculo repræsentantur ac lucent, sic omnium creaturarum veritates in divina essentia idealiter fulgent et conspiciuntur. — Hæc Thomas in Scripto.

Insuper in Summa contra gentiles, libro tertio, multa scribit de his. Nam et ibi explanans qualiter Deus a Beatis per cap. 51. essentiam possit videri : Quoniam, inquit, verum est perfectio intellectus, illud

intelligibile est ut forma tantum in genere intelligibilium, quod est veritas ipsa : quod convenit soli Deo. Quum enim verum sequatur ad esse, illud tantum est sua veritas quod est suum esse : quod est proprium Deo. Hinc alia intelligibilia subsistentia non sunt in genere intelligibilium ut pura forma, sed ut formam habentia in subjecto. Est namque unumquodque eorum verum, non veritas, sicut est ens, non ipsum esse. Hinc divina essentia comparari potest ad intellectum creatum ut species intelligibilis qua intelligit : quod non convenit alicui substantiæ separatæ.

cap. 52, 53. — Deinde ostendit ibidem, qualiter ad obtinendum hujusmodi divinæ essentiæ visionem, necessaria sit influentia seu infusio et inexsistentia luminis gloriæ in intellectu creato, tam angelico quam humano : quoniam ad tam supernaturalem, deificam ac beatificam visionem mens creata elevari ac perduci non valet, nisi Deo supernaturaliter conformetur, et suæ deitatis quodammodo particeps fiat et consors per tanti luminis susceptionem. Nam sicut ad promerendum indiget lumine gratiæ seu gratia gratum faciente, ita ad exercendum beatitudinis actus, qui sunt præmia meritorum, eget lumine gloriæ. Rursus, quo actiones illæ felicitatis, sunt eminentiores ac magis divinæ, eo mens creata, ad earum participationem et executionem indiget supernaturaliori præparatione, vehementiori confortatione, atque præclariori deificatione : quod totum fit per luminis gloriæ infusionem, per quod essentia intellectualis creata sortitur esse et vivere gloriæ. — Hæc Thomas ibidem, quantum ad sensum.

Addit his Petrus : Aliter lux, aliter color videtur ab oculo. Color enim videtur per sui similitudinem, lux per suam præsentiam. Sic aliqui dicunt Deum in futuro videri ab intellectu creato, ita quod sicut modo videtur ab anima per similitudinem imaginis in anima concreatam, sic tunc per similitudinem expressiorem impressam, et nihilo minus facie ad faciem : sicut homo videt hominem facie ad faciem, et tamen per similitudinem suam in oculo videntis receptam. Et isti dicunt, quod intellectus beatus tali Dei similitudine informatus, dirigit adspectum in increatum objectum, et videt illud per essentiam ex parte visibilis, attamen per effectum ex parte medii disponentis. Alii dicunt hoc non fieri, etc., sicut in Thoma. Cf. p. 416 B.

Quum vero inquiritur, utrum Deus a Sanctis comprehendatur; dicendum, quod intellectus in actu fit per conjunctionem potentiæ intellectivæ cum objecto intelligibili. Quæ conjunctio dupliciter potest intelligi, puta : per simplicem applicationem, et per adæquationem. Quod intelligitur primo modo, videtur, non comprehenditur; quod autem secundo modo, videtur et comprehenditur. Et primo modo videtur Deus a Sanctis, non modo secundo : quia possibile est infinitam virtutem virtuti finitæ applicari, non adæquari. Intelligibile autem divinum, quamvis sit simplex per essentiam, ideoque totum intelligatur a Sanctis secundum rem; tamen secundum rationem intelligibilitatis, per comparationem ad intellectum creatum, est multiplex. Unde intelligi potest ut sapientia, non tamen ut bonitas. Sic quoque intelligi potest sapientia ejus, non tamen tota sapientia, id est non totaliter et perfecte seu comprehensive.

Amplius, dum quæritur, an Beati omnia videant in Deo; dicendum, quod Deus est omnium causa, in qua cuncta relucent sicut effectus in causa. Contingit autem causam cognosci dupliciter : primo, quantum ad id quod est in se; secundo, in quantum est causa, seu in ordine ad effectum. Qui scit causam primo modo, non propter hoc scit id cujus est causa; qui vero scit causam secundo modo, necessario scit id cujus est causa. Sic et Deum contingit videre dupliciter. Primo, quantum ad suam essentiam : sicque videtur ab universis Beatis, et ita est objectum beatitudinis. Secundo, in quantum est causa : et sic aliquo modo videtur, et aliquo

modo non : quia ut est causa potens non operans, a nullo intellectu creato totaliter potest videri, quoniam potest infinita; in quantum vero est causa potens et operans, videtur quantum vult, quum sit voluntaria causa. — Hæc Petrus.

Circa præhabita quærit Scotus, utrum natura humana sit beatitudinis capax. Respondet quod imo. Sed dubium est an hoc possit naturali ratione ostendi, quia Philosophus primo Ethicorum describit beatitudinem in communi, sed in speciali dubitasse videtur. Ponere namque videtur, quod homo non valeat cognitionem habere de Deo nisi ex sensibilibus : ergo oportet quod ex conceptu qui ex sensibilibus fieri potest, Deum noscamus. Hoc autem non est Deum cognoscere nisi in generali, obscure et abstractive; et talem possumus habere cognitionem, etiam de eo quod non est. Sicque secundum Philosophum, non possumus Deum cognoscere nisi obscure et in generali. — Forsan objicietur, quia naturale desiderium non est frustra; sed naturale desiderium cognoscendi Deum in se et clare inest hominibus : ergo, etc. Verum istud non sequitur, quia non sufficit ostendere hoc possibile esse quomodocumque, sed quod possumus naturaliter apprehendere ipsum secundum rectam rationem, et naturaliter hoc ipsum appetere. Unde ad illius felicitatis notitiam non potuit Philosophus pervenire per rationem naturalem. Præterea aliquis dicere posset, quia sic homo appetit Deum videre sicut sibi reputat esse possibile; sed non credit ex naturalibus quod aliter possit Deum videre quam per creaturas, quia non est aliter expertus aliquis lumine naturali.

Mihi vero apparet, quod lumine naturali possit probari, quod homo sit beatitudinis veræ capax, videlicet quod possit Deum immediate videre. Nam omnis potentia habens objectum primum et adæquatum, potest in quodlibet contentum sub illo primo objecto ; primum vero adæquatum objectum intellectus humani est ens : ergo potest in quodlibet contentum sub ente. Sed Deus per se continetur sub ente, quum sit primum et perfectissimum ens : ergo intellectus potest apprehendere ipsum. Perfectibile autem non quietatur nisi in optimo ente ad quod est in potentia; conceptus autem Dei universalis et confusus, non est optimus : ergo in tali non potest quietari. Si ergo quietatur, oportet quod hoc sit in summo ente secundum se viso. Forsan dices, quod Deus non continetur sub ente quod est nostri intellectus objectum, quum ejus objectum sit quidditas rei materialis, potissime in hac vita. Sed hoc nihil est, quia impossibile est aliquam potentiam cognoscere aliquid sub ratione universaliori quam sit ratio sui objecti. Intellectus autem, etiam viatoris, cognoscit ens sub ratione universaliori quam sit quidditas rei materialis. Rursus, quod est perfectionis simpliciter in inferioribus, non debet superioribus denegari; sed in visu corporali, perfectionis est intueri objectum suum sibi præsens : ergo intellectui possibile est intuitive videre suum objectum : ergo et summum ac maximum suum objectum : ergo habere potest de Deo claram et intuitivam notitiam. — Hæc Scotus. Qui in his videtur suæ, ut fertur, subtilitatis omnino oblitus, quum ista sint puerilia nimis et grossa.

Itaque quod primo ait, quod Aristoteles videtur posuisse quod homo non potest cognitionem habere de Deo nisi ex sensibilibus, verum est quantum ad inchoationem naturalis cognitionis nostræ de Deo : quia ut primo Posteriorum testatur, omnis nostra cognitio intellectiva oritur ex prævia sensitiva. Nihilo minus proficiendo, paulatim ex sensibilium cognitione devenimus ad considerationem ordinis universi, et ex cognitione motuum ad cognitionem moventium, ex cognitione quoque effectuum ad contemplationem causarum; ex speculatione compositorum et generabilium ac corruptibilium, ad agnitionem simplicium, immaterialium, perpetuorum; atque ex talium consideratione ad con-

templationem unius altissimi entis, primi A motoris, summi gubernatoris, causæ causarum, simplicissimæ rei, quæ est purus actus. Et ex his ac consimilibus viis et perscrutationibus devenit Aristoteles ad valde certam, solidam ac subtilem notitiam Dei altissimi, de quo multum reverenter ac profunde disseruit duodecimo Primæ philosophiæ. Ideo falsum censetur quod Deus non possit a nobis naturaliter cognosci nisi in universali, quum agnoscamus multa de ipso, quæ ei dumtaxat conveniunt, utpote, quod est bonitas pura B et infinita, ens absolute perfectum, simplicissimum esse in se subsistens. Insuper ex hoc quod naturale desiderium non est frustra, probabiliter persuadetur quod homo sit beatitudinis capax. Et si Aristoteles non potuit ex naturali ratione pertingere ad veræ felicitatis notitiam, quomodo Scotus potuit hoc? An quia subtilior ingeniosiorque philosopho tanto, qui (ut fatetur Hieronymus) fuit grande miraculum in tota universitatis natura, cui videtur infusum quidquid naturaliter potest sciri? — C Consequenter quod ait, hoc posse probari quod homo sit veræ beatitudinis capax, fateor ad hoc posse adduci rationes quasdam suo modo probabiles, non demonstrativas, loquendo de beatitudine supernaturali quam Scriptura promittit; loquendo autem de beatitudine naturali, reor posse demonstrari animam posse beatificari, sicut probatur quod immortalis consistit.

In probatione vero Scoti multa continentur obscura. Primum est, quod ens est primum et adæquatum objectum intelle- D ctus humani. Verum est tamen quod asserit Avicenna, quod ens sit primum quod cadit in intellectu : et sic aliquo modo ponitur primum intellectus objectum, sed non objectum intellectus humani adæquatum nec proprium; imo sic potius quidditas rei materialis ponitur ejus objectum, ut etiam tertio de Anima docet Philosophus. Nec intellectus humanus potest in omnia contenta sub ente, ita ut valeat ea in se clare et immediate videre, quum et ipsemet Scotus alibi dicat, quod intellectus noster in hac vita non intelligat nisi phantasmata speculando, imo quod nullius substantiæ etiam materialis quidditatem hic queat cognoscere : alias naturali ratione possemus inter hostiam consecratam et non consecratam discernere, prout constat ex scriptis super primum et secundum, et ex allegatis ibidem ex ipso. Præterea, jam ex dictis S. Thomæ ac aliorum evidenter ostensum est, Deum non posse naturaliter ab aliquo intellectu creato immediate et in se aut secundum se, id est, sicuti est, videri. Deus quoque superessentialis et prorsus incomprehensibilis, potius est super omne ens et super omnem ordinem rerum, quam sit sub ente contentus, sicut in libro de Causis probatur, ubi et dicitur, quod causa prima est superior omni narratione, et non narratur nisi per causas secundas.

tom. XIX, p. 217 D', 262 C; XXI, p. 259 B.

Præterea respondendo ad istud, utrum homo ex puris naturalibus beatitudinem consequi possit, multa inducit : primo contra rationes specialiter Thomæ et Henrici, qui tamen in ista materia rationabiliter et optime scribunt; nec aliquid idoneum contra eos adducit. Itaque inter cetera scribit : Tales multiplicant verba et propositiones non necessarias, nec vadunt ad articulum, sicut Aristoteles aliquando facit : quoniam ubi non est necesse, multiplicat verba et propositiones; ubi autem necesse est, tacet. Ideo ad propositum dico, quod omne creatum est finitum, quantumcumque sit proximum Deo, et Deus est infinitus, et tamen habet proportionem immediatam ad finem cum omnibus mediis. — Ad hoc dico, quod doctores præfati non negant omne creatum aliquo modo assimilari suo creatori, cujus et radius perhibetur; nec negant rationalem creaturam ad summæ et superbeatissimæ Trinitatis imaginem et similitudinem esse productam, etiam in puris naturalibus suis consideratam. Nihilo minus quum veraciter dictum sit, finiti et infiniti nullam esse proportionem, dicunt duplicem esse pro-

Cf. p. 117 A. portionem, ut patuit sæpe; nec intellectum A creatum ex naturalibus suis posse pertingere ad claram et immediatam divinæ essentiæ visionem, ex imbecillitate virtutis intellectivæ respectu objecti excellentiæ tam immensæ, atque ob incomparabilem excessum intelligibilitatis, actualitatis, formalitatis et perfectionis superessentialis illius objecti, sic quod inter objectum illud superdignissimum et mentem creatam nulla exsistat proportio proprie dicta, naturalis, univoca, simpliciter dicta, sed proportionalitas quædam et aliqua habitudo B et assimilatio imitativa. Et sic debilis illa objectio in æquivocis est laborans.

Deinde adjungit : Ad rationem alterius doctoris, dicentis quod objectum non potest cognosci a cognoscente, quod non est in eo secundum modum cognoscendi qui convenit intellectui creato : quod argumentum destruit semetipsum, etc. — Ad hoc dico, quod argumentum istud est validum, si integre recitetur, et præcedentia ac consequentia attendantur. Nempe hoc doctor ille intendit, quod objectum natu- C raliter nequit cognosci, nisi insit potentiæ cognoscentis per modum illi naturaliter convenientem.

Postmodum addit : Deus potest causare in intellectu nostro speciem tantæ virtutis, ut valeat divinam repræsentare essentiam. — Ad hoc dico cum sancto Doctore, quod omnis forma speciesque creata, necessario est perfectionis finitæ in esse et agere : idcirco a clara repræsentatione divinæ essentiæ, qua in se ipsa immediate quantum ad quid est agnoscatur, prorsus D occumbit ac deficit. Unde et Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica contestatur, quod universa catena deorum incomparabilis est summo Deo, nec ipsum capere queunt, nec imaginari, nec intelligere sicut in se est, quum ipse sit virtus virtutum, infinite superpositus universis, nec aliquod entium, imo super omnia entia, super omnia intelligibilia et intelligentia incomparabiliter superexaltatus. Quod et in libro de Causis ostenditur.

Consequenter assumit : Intellectus creatus maxime ordinatur ad visionem Dei. — Ad hoc dico, quod naturaliter ordinatur ad visionem suæ naturæ possibilem et convenientem; supernaturaliter vero, ex inæstimabili caritate, pietate et munificentia Creatoris, ad cognitionem Dei supernaturalem, quæ est per speciem increatam et facie ad faciem.

Addit quoque, lumen gloriæ non esse ponendum, et caritatem sufficere. — Ad quod nullam rationem condignam proponit. Et dico, quod non solum lumen gloriæ requiritur in patria, sicut lumen gratiæ in via, sed etiam donum sapientiæ consummatæ in intellectu; quamvis non negetur quin omnipotens Deus, de absoluta sua potentia, sine lumine gloriæ possit mentem beatificare.

Amplius sciscitatur, an homo in vita hac beatitudinem consequi possit. — Ad quod responsio sua non videtur a communi et solida authenticorum virorum doctrina dissonare, saltem tam multum ut in prætactis. Clarum est autem, quod beatitudo proprie dicta et secundum perfectam suam rationem accepta, omnem excludit miseriam pœnæ et culpæ, omnem mortalitatem proprie dictam ac pœnam. Unde et Christus, quamvis secundum mentem perfectissimus comprehensor fuerit in hac vita, tamen secundum vires inferiores et corpus fuit viator.

At vero septimo Quodlibeto movet Henricus tres quæstiones ad istam materiam q. 4-6. pertinentes. Prima est, utrum divina essentia queat cognosci ab intellectu creato beato, absque hoc quod res creatæ cognoscantur in ea. Secunda est, utrum purus homo in hac vita sensibus utens, possit esse perfecte beatus, ac Deum perfecte videre. Tertia, utrum videns divinam essentiam, videat cuncta creata in ea.

Ad primam respondet : Quamvis quibusdam appareat probabiliter posse dici, quod videns divinam essentiam, videt in ea omnes rerum essentias, quarum ipsa est naturalis similitudo perfecta, et exemplar

per quod aliud non solum videtur, sed A
etiam in quo aliud videtur, quemadmo-
dum viso speculo, necessario videntur quæ
repræsentantur (præsertim si una ac speculi forma repræsentativa sit sui
ipsius et omnium facierum : quamvis enim
esset voluntarie repræsentans, potens se
manifestare et non manifestare, tamen
quum sic voluntarie se manifestaret, non
posset alia non manifestare, quum per
eamdem formam manifestarentur; verum-
tamen sicut esset gradus in videntibus es-
sentiam quantum ad magis et minus clare B
videre, sic esset et gradus in visione re-
rum in ea); probabilius tamen videtur di-
cendum, quod divina essentia est et ob-
jectum quoddam cognoscibile, et ratio
cognoscendi se et alia. Sed aliter et ali-
ter : quia ut quoddam absolutum et secun-
dum se consideratum, est ratio cognoscen-
di se ipsum ; est autem ratio cognoscendi
alia, in quantum exemplar et idea per
quamdam relationem ad illa. Verum ut
septimo de Trinitate asserit Augustinus,
omnis res quæ relative dicitur, est aliquid C
præter relationem. In talibus vero quam-
vis essentia rei esse non possit sine quo-
dam respectu, intellectus tamen creatus
quantum est ex parte cognoscibilis, potest
concipere absolutum absque considerati-
one et relatione ad alterum ; potissime
quando nulla necessitate cognitum cogno-
scitur, sed solum prout vult se manifesta-
re. Nam et scientia, quamvis secundum
se respectum ac dependentiam habeat ad
scibile, attamen potest apprehendi ut qua-
litas absoluta. Conformiter, divina essentia D
videri potest ab intellectu creato absque
repræsentatione et cognitione creaturæ cu-
juscumque in ea aut per eam : visione (in-
quam) distincta, quia ad minus necesse est
videndo divinam essentiam, videre indi-
stincte creaturas in illa ; quemadmodum
visa imagine Herculis, videtur in ea Her-
cules indistincte saltem, videlicet non di-
stinguendo Herculem a sua imagine, nec
econtra. Attamen secundum elevationem
aliquam superiorem, secundum quod com-
muniter videtur divina essentia a Beatis, nequit ipsa videri nisi creaturas conspiciendo in ea.

Ad secundam respondet : Omnis Deum videns, videndo ipsum beatus est, sed in vidente requiritur aliquid ut absolute possit videre, et aliquid ut perfecte possit videre. Quorum primum potest esse sine secundo, non econtra. Potest enim quis Deum videre per essentiam aliqualiter, ac per hoc aliqualiter esse beatus, quum tamen perfecte eum non videat, nec perfecte beatus sit. Nam et ex parte videntis requiritur aliquid ut videat Deum, quo non exsistente, impossibile est ut per essentiam videat ipsum : ut scilicet vis visiva intellectiva non sit distracta nec impedita. Nisi enim omnino et perfecte in se collecta exstiterit, essentiam illam videre non poterit, dicente Gregorio, vicesimo tertio Moralium libro : Sancti omnes, quamdiu in hac vita sunt, divinæ naturæ secreta nondum sicut sunt contemplantur : quia nimirum tunc secreta Divinitatis cognoscimus, quum ab hujus mundi tumultuosa concupiscentia in mentis nostræ cubicula segregamur. Aliud quoque requiritur ut perfecte videat, quod nisi adfuerit, non videbit perfecte, videlicet, ut vis visiva sit in esse suæ naturæ perfecta. Ad quod duo requiruntur : ex parte animæ unum, quod scilicet suo corpori sit unita; secundum, quod corpus sit ita dispositum, quod non aggravet nec retrahat animam. Et propter hoc secundum, anima quantumcumque sit a sensibus abstracta, in corpore tamen corruptibili manens, perfecte esse beata non valet. Hinc nemo corporeis sensibus utens, Deum potest per essentiam intueri. Unde in libro de Videndo Deum loquitur Augustinus : Necesse est ab hac vita abstrahi mentem, quando in illius visionis ineffabilitatem assumitur et arcanum. Gregorius quoque : Quisquis sapientiam quæ Deus est videt, huic vitæ funditus moritur, ne ejus amore jam teneatur.

Ad tertiam dicit : Nulla creatura in es-

sentia divina videtur nisi cujus ipsa essentia est ratio idealis. Ipsa autem est aliquorum idea per se ac proprie, quorumdam vero nequaquam, nisi per hoc quod illa quorum ipsa proprie est idea, aliquo modo se habent ad ea, quæ habitudo est accidentalis : quemadmodum natura specifica habet se accidentaliter ad secundas intentiones, et ad individua ac numeros, quorum divina essentia non est per se propria idea. Quæ quum se non habeat ad ideam essentiæ seu speciei, nisi in quantum ipsa natura specifica quodammodo habet se ad illa, ideo omnia illa accidentaliter habent se ad ideam. Quumque cognito aliquo, non necessario cognoscantur ab intellectu creato omnia quæ se accidentaliter habent ad illud, præcipue quum illa sint infinita : ideo visa divina essentia, non necessario videntur in ea cetera universa quæ in illa proprie non habent ideam ; sed per modum alium revelantur, prout disposuerit Deus. Imo etiam, sicut jam patuit, ea quæ proprie habent ideam in divina essentia, non necessario conspiciuntur in ipsa, sed tantum et taliter, quantum et qualiter placuerit Deo. — Hæc Henricus, cujus hæc ultima responsio procedit secundum opinionem ipsius de divinæ mentis ideis, de qua opinione quid videatur censendum, expressum est in Scripto primi. tom. XX, p. 407 D et s.

QUÆSTIO V

PRæterea quæritur, **An de ratione beatitudinis patriæ sit infastidibilitas, impeccabilitas et sempiterna securitas confirmatioque in bono.**

Videtur quod non, quia de ratione liberi arbitrii est non necessitari ad unum, sed in utrumque oppositorum posse divertere. — In oppositum est Augustinus in libro de Civitate Dei in pluribus locis.

A Circa hæc scribit Guillelmus : Infastidibilitas est de perfectionibus divinæ naturæ, et invariabilis bonitatis et gloriæ atque dulcedinis ejus : alioqui nec prima esset, nec pura, neque perfecta. Non enim mediocris perfectio in bonitatibus et suavitatibus est infastidibilitas ipsa : imo si beatitudo, dulcedo et gloria, fastidibilis esset, fieret et molesta, ac possessorem suum contristans. Denique appropinquatio ad Creatorem, elongatio est ab omni defectione divinæ perfectioni contraria. Quæ- B cumque enim in ultimitate propinquitatis ad ipsum sunt, etiam sunt in ultimitate elongationis totius recessus et aversionis ab ipso, præsertim quum non sit appropinquatio ad Creatorem loco, sed assimilatione sanctitatis et bonitatis, ac participatione perfectionis ipsius. Intellectuales ergo substantiæ quæ sunt in ultimitate (id est finali et extrema plenitudine) appropinquationis ad ipsum, sunt in summa participatione perfectionis divinæ in omni incorruptione, inavertibilitate ac inde- C viabilitate ab ipso : ideo sunt confirmatæ in ipso, et felici impotentia non se possunt ab ipso avertere. Insuper, si virtutes et scientiæ exercitationesque sanctæ defendunt animas in statu miseriæ ab inquinamentis atque contagiis vitiorum seductionibusque errorum, ubi tot et tam fortes insultus sunt et quasi continui; et tam longe repellunt ea ab ipsis : quanto magis virtutes gloriæ et perfectiones felicitatis supernæ, quæ incomparabiliter majores et fortiores sunt virtutibus hujus vitæ, D prohibebunt vitia et errores a beatis illis concivibus ? Adhuc autem, amor æternorum ac cœlestium gaudiorum animas humanas facit fastidire corporales delicias, et resistere eis, imo et dissolutionem a corpore affectare : quanto magis inexcogitabilis illa felicitas suavitatis divinæ, et inundantissimus fons, atque exuberantissimus torrens divinarum ac spiritualium mundissimarum deliciarum exstinguet et auferet in æternum ab ipsis Beatis omnem inclinationem et amorem ad ea quæ

hujus miseriæ sunt ac præsentis exsilii ? A

Rursus, aliquantula degustatio futuræ illius voluptatis in isto incolatu percepta, facit animas pias ac virtuosas hoc sæculum fastidire : quanto plus decor domus supernæ, locus gloriæ tantæ, ac plena degustatio suavitatis divinæ, facit beatissimos illos concives invariabiliter inhærere datori ac fonti beatitudinis tam immensæ ? Amplius, ardore illo in suo vigore et illo amore in suo ardore manente, impossibile est amorem contrarium advenire, seu oppositum desiderium admisceri in B beatis spiritibus. Si igitur advenit, necesse est amorem illum tepescere aut frigere : et hoc, uno trium modorum, videlicet, aut satietate, aut fastidio, aut perversitatis corruptione. Jam autem alibi patefecimus tibi, quod quamvis cumulatissima satietas, et omnium desideratorum refertissima plenitudo sit ibi, nunquam tamen per illam minuitur aut tepescit amor et ardor ac complacentia in eisdem, quemadmodum corporales deliciæ sua satietate protinus in fastidium vertuntur. Suavitas vero C primæ ac summæ bonitatis, si taliter satiaret, non esset perfecta : imo videmus quod multæ virtutes et spirituales profectus quo plenius acquiruntur, eo plus appetuntur. Iterum, Deus ignis vocatur, cujus calor est amor; et ipse Omnipotens est quasi fornax immensi fervoris. Ideo mentem sibi consummate conjunctam frigere non patitur; imo sua amabilitate immensa, sua incomparabili gratiositate atque dulcedine mentem in ipso ferventem totaliter trahit in se, et inavertibiliter eam D tenet sibi conjunctam, quum et amor ipsius sit fortissimum vinculum, et tanto indissolubilius quanto intensius.

Hebr. XII, 29.

At vero mentes illæ beatæ, propria voluntate a Deo averti non queunt, quoniam omne quod ab alio voluntate propria separatur, non separatur ab illo nisi altero duorum modorum, seu alterutra duarum causarum, videlicet : quia aut aliquid sibi molestum sentit in ipso, quod impossibile est esse in prima ac superpurissima bonitate ; aut quoniam aliud sua dulcedine ac virtute fortius attrahit ipsum sibi : quod esse non potest, quum Deus æternus omni creato et cunctis simul creatis incomparabiliter præstantior, amabilior dulciorque consistat. Et hujus oppositum sentire aut dicere, est hominis prorsus ignari, qui divinæ bonitatis proprietates et animarum naturam nescit, nec ad modicum novit. Adeo quippe rapit et tenet in se pulchritudo, bonitas et dulcedo Dei, animas ac spiritus quibus se intuendum fruendumque exhibet, ut aliud cogitare non libeat, aut forsan non possint ; et quidquid aliud viderint, amaverint, egerint, in ipso et propter ipsum hoc faciunt. Quapropter non tanquam separatim et seorsum, adspectu declinato ab inexcogitabili pulchritudine Creatoris, id intuentur; sed ipso intuitu pulchritudinis increatæ, tanto clarius ac certius unumquodque aliorum cognoscunt ac vident, quanto ipsorum intuitus magis defixus est in ipsum totius pulchritudinis fontale principium. Propterea dico, quod quidquid cognoscunt, magis cognoscunt illud in Creatore, hoc est intuendo Creatorem, quam aciem intellectus dirigendo in illud. — Hæc Guillelmus libro de Universo, in locis diversis. Cujus hoc ultimum verbum de cognitione Beatorum in Deo, certitudinaliter verum est de notitia pertinentium ad felicitatem eorum.

Insuper Scotus hic sciscitatur, utrum ad essentiam beatitudinis spectet securitas. Ad quod respondendo inter alia dicit : Concedo, quod nihil aliud a Deo, habet esse formaliter necessarium, sed simpliciter contingens; tamen aliquod creatum dicitur habere incorruptibile esse, pro quanto non habet contrarium, vel a nullo creato destrui potest, sed tantummodo potest annihilari a Deo non conservante ; sicque concedi potest beatitudinem incorruptibilem esse. Verum sic incorruptibile non est ex se perpetuum, nisi possibiliter : quoniam sicut esse suum habet contingenter a Deo conservante, sic et perpetuitatem. Ideo natura creata intellectualis eadem

manens, semper est capax beatitudinis at- A
que miseriæ. Et quamvis beata sit, non
tamen necessario fruitur summo bono.
Ideo dico, quod causa perpetuitatis beati-
tudinis electorum non est forma beatitu-
dinis, quasi per ipsam beatitudo sit forma-
liter necessaria; nec natura potentiarum
istarum, videlicet intellectus ac volunta-
tis, quasi circa objectum beatificum ne-
cessario perpetue operentur; nec habitus
in potentiis, quasi necessario determinent
potentias ad operandum perpetue; sed ex
sola voluntate divina, quæ sicut perficit B
talem naturam intensive, ita conservat
eam in tali perfectione perpetue. Hinc be-
atus est impeccabilis in sensu composito,
non in sensu diviso. Hæc Scotus.

In cujus dictis multa continentur com-
muni doctrinæ doctorum contraria, et quæ
supra primum ac secundum evidenter
In lib. I, dist. I, q. 6; II, dist. VII, q. 2. sunt improbata, ubi ostensum est, quod
summo bono clare viso ac beatifice præ-
sentato ac fruitive possesso, impossibile
est mentem creatam ad illud non affici.
Nec potest se inde avertere, sed necessa- C
rio et inavertibiliter intenta est illi, sicut
frequenter declaratum atque ostensum est
hoc; et ita senserunt viri vere heroici et
perfecti, mysticam theologiam eminenter
experti, Augustinus, Bernardus, Thomas,
Hugo, Alexander, Bonaventura, et similes
eis. Et sicut ex Guillelmo Parisiensi, viro
profundi sensus ac fervido, modo indu-
p. 428 A'. ctum est, aliter sentire est hominis pror-
sus ignari, qui divinæ naturæ proprietates
et animarum naturam, nec ad modicum
novit. — Denique quod Scotus ait, Beatos D
impeccabiles esse in sensu composito, non
diviso; non aliud est, quam quod forma-
liter peccare non queunt, videlicet ut bea-
ti. Attamen materialiter possent peccare,
et ita non essent absolute confirmati in
bono, nec aliter viderentur impeccabiles,
quam sicut prædestinati non possunt dam-
nari : quia in sensu composito prædesti-
natus non potest damnari, sed in sensu
diviso. — Præterea, sicut de formali atque
intrinseca ratione hominis est, esse ani-
mal rationale mortale; ita de formali et
intrinseca ratione veræ beatitudinis est,
quod sit status omnium bonorum aggrega-
tione perfectus : ergo et securitatem per-
petuam comprehendit, et infelix posse pec-
candi prorsus excludit, inavertibilemque
confirmationem in bono complectitur. Hinc
beatissimi nostri doctores, Hieronymus,
Augustinus, ac similes eis, hoc in errori-
bus Origenis præcipue detestantur, quod
dixit Beatos posse peccare et cadere, ut-
pote non confirmatos in bono; et talem
beatitudinem vocant sæpissime falsam fe-
licitatem.

Istud etiam tenet et declarat Henricus
duodecimo Quodlibeto, quæstione qua quæ-
rit, utrum Deus facere possit quod intel- q. 5.
lectus clare videat ipsum, ita quod volun-
tas non diligat ipsum; et plenius alibi. —
Eodem Quodlibeto interrogat, utrum Deus q. 4.
possit a creatura diligi absque hoc quod
aliud secum diligatur ab ea. Ad quod re-
spondet : Deus potest præsentari intelle-
ctui creato tam viatori quam beato, ita
quod simul cum ipso non præsentetur ali-
ud aliquid, sicut jam ante probatum est. *Cf.* p. 425 D' et s.
Idcirco etiam bene potest sic diligi absque
hoc quod aliquid aliud secum diligatur. Et
si objiciatur, quia non potest diligi Deus,
nisi diligatur et proximus; respondendum,
quod Deus non potest per caritatem actua-
liter diligi, nisi et proximus saltem habi-
tualiter diligatur. Hæc Henricus.

QUÆSTIO VI

ETiam jam quærendum, **An gaudi-
um sit de essentia beatitudinis.**

Et videtur quod gaudium sit ipsa feli-
citas. Ait namque Salvator apud Joannem :
Petite, ut gaudium vestrum plenum sit; et *Joann.* XVI, 24.
rursus, Hæc (inquit) locutus sum vobis, ut *Ibid.* XV, 11.
gaudium vestrum impleatur. In quibus
verbis insinuari videtur, quod gaudium sit
bonum finale, ad quod cetera omnia sunt
referenda. Imo nec visio, neque fruitio

multum appeteretur, nisi gaudium esset eis annexum. Ergo gaudium videtur esse quid optimum. — Amplius, gaudium est quietatio ultima in bono : quod beatitudini potissime convenit. Et si beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ergo potissime delectationem gaudiumve includit. Hinc et decimo Confessionum disseruit Augustinus : Ipsa est vita beata, gaudere de te, ad te, et propter te.

Ad hoc respondet Richardus : Quamvis aliqui dicant, quod gaudium sit quoddam accidentale beatitudinis complementum ab ipsa inseparabile per quamcumque potestatem creatam ; non tamen concedunt, quod sit de essentia beatitudinis. Essentia namque beatitudinis consistit in conjunctione perfecta rationalis creaturæ cum Deo : de cujus conjunctionis essentia non est gaudium, quum non sit visio neque fruitio, nec summa securitas, sed aliquid causatum ex eis. — Aliis videtur, quod gaudium sit de essentia beatitudinis, quum sit de ratione perfectæ unionis voluntatis cum summo bono. Voluntas namque unitur summo bono, non solum se movendo immediate ad ipsum propter ipsum* : qui motus dicitur amor fruens ; sed etiam immediate patiendo ab ipso : quæ passio gaudium appellatur. Insuper, amor non potest prius ordine naturæ quietare voluntatem, quam voluntas gaudeat de re amata ; beatitudo autem comprehendit in sua essentia quidquid est de ratione perfectæ quietis voluntatis in summo bono. Amplius, si gaudium esset accidens beatitudinis, posset Deus de potentia absoluta hominem facere beatum, non gaudentem de Deo, aut saltem beatitudo hominis intelligi posset simplici apprehensione sine gaudio ; sed Deus nullo modo posset aliquem facere beatum, de ipso non gaudentem, nec beatitudo sine gaudio potest intelligi. Et ista secunda positio videtur mihi probabilis magisque consona Augustino ac beatitudinis perfectioni. Hæc Richardus.

Has quoque duas opiniones recitat Scotus, apparetque ei quod prima probabilior sit : quoniam delectatio est quædam perfectio operationis in qua essentialiter beatitudo consistit : quia (ut ait Philosophus) delectatio ornat et perficit operationem, quemadmodum pulchritudo juventutem ; item quia Philosophus asserit decimo Ethicorum, quod multa appeteremus, quamvis nulla delectatio sequeretur, ita quod delectatio sequitur operationem perfectam. Hinc (inquit) dico, quod delectatio non est de essentia beatitudinis. Verumtamen propter objecta sciendum, quod voluntas potest considerari dupliciter : primo, in quantum est elicitiva actus seu operativa ; secundo, in quantum est receptiva spiritualium passionum quæ esse possunt in voluntate. Voluntas ergo primo modo considerata, perficitur operatione, quæ essentialiter est ipsa beatitudo ; sed secundo modo, perficitur delectatione. Hæc Scotus.

Verum horum veritas clarius potest intelligi ex verbis sancti Doctoris, in hac distinctione quærentis, utrum aliqua delectatio sit quid optimum. Ad quod respondet : Triplex fuit de delectatione opinio. Una Epicureorum, dicentium omnem delectationem esse bonam, et quamdam delectationem esse quid optimum. Alia Stoicorum et Platonicorum, ponentium omnem delectationem esse malam. Tertia Peripateticorum, qui dicebant quasdam delectationes esse bonas et aliquas malas : imo quum aliqua operatio sit quid optimum in genere humanorum bonorum, quod est felicitas ; ideo delectatio consequens eam, quid optimum erit. Nec ista duo sunt consideranda quasi duo bona, sed sicut unum bonum completum. Nam sicut ex perfectibili et sua perfectione constituitur res una perfecta, ita ex delectatione et operatione consistit operatio una perfecta, quæ est felicitas, quum delectatio sit operationis perfectio. Verum quid horum sit propter aliud eligendum, an scilicet operatio propter delectationem, an econtra, Philosophus decimo Ethicorum, insolutum relinquit. Videtur tamen

quod delectatio ordinetur ad operationem sicut ad finem : sicut et omnes perfectiones secundæ non propter aliud sunt, nisi propter perfectibilia sua perficienda. Unde propriissime loquendo, delectatio non est optimum, sed aliquid optimi, puta felicitatis. Felicitas namque, secundum Philosophum decimo Ethicorum, delectationem includit. Hæc Thomas.

Cujus responsio consonat præinductis, *Cf.* p. 401 A, 405 A. in quibus asseritur quod beatitudo potest considerari dupliciter. Primo, quantum ad suam essentiam : et ita est operatio simplex et optima. Secundo, quoad suam exsistentiam, hoc est, quoad id quod est essentialiter, et etiam quoad ea quæ ad suum esse concurrunt ac requiruntur, et comprehenduntur in ea : sicque describitur esse status omnium bonorum aggregatione perfectus. — Præterea, quod Thomas refert dixisse Platonicos, omnem delectationem esse malam, non est ita simpliciter accipiendum ut sonat ; nec Stoici tam simpliciter hoc dixerunt. Imo Plato attribuit gaudium Deo, secundum quod Augustinus libro de Civitate Dei refert Platonem dixisse, quod summus opifex Deus mundo peracto gavisus est. Et in primo Timæi atque Phædone testatur, intellectuale spiritualeque gaudium esse laudabile ac sincerum. Et tale gaudium Tullius, Seneca, Macrobius, dixerunt abundare in viris heroicis. Delectationem ergo quam dixerunt universaliter esse malam, intellexerunt esse passionem appetitus inferioris : eo modo quo et omnes passiones dixerunt esse malas, intelligendo per passiones irrefrenatos animi motus, aut sensitivi appetitus irrationabiles motiones : juxta quem modum etiam quidam catholici Patres loquuntur.

QUÆSTIO VII

Cf. t. XXII, p. 350 B'. Restat inquirere, **An gratia et gloria idem sint.**

Ad quod nono Quodlibeto respondet
A Henricus : Quamvis gloria multipliciter capiatur, videlicet, pro objecto gloriæ, pro actu gloriandi, pro clara cum laude notitia ; hic tamen accipitur pro habitu, potissime intellectus, de quo dubitatio major est quam de habitu ex parte voluntatis. Caritas namque est habitus quo Deum in præsenti et in futuro diligimus ; non sic autem ex parte intellectus est aliquis habitus quo in via ac patria Deum cognoscimus. Ideo quæritur, utrum in futuro sit aliquod lumen gloriæ Beatis infusum, q. 13.
B realiter ab essentia gratiæ differens : quæ immediate in essentia animæ exsistens, ipsam in supernaturali esse perficit, et Deo reddit acceptam, et ab essentia animæ redundat in ejus potentias, ut secundum hoc gratia et virtus gratificans, realiter idem sint. Et est donum caritatis, voluntatem perficiens ad actum voluntarii supernaturalis amoris, intellectum quoque ad actum supernaturalis cognitionis : quod ideo dicimus, quia ad id quod fieri potest per pauciora, non sunt plura requirenda.
C Hoc itaque inquirendum, an gratia perficiens totam animam modo prætacto, sufficiat perficere eam in patria : quia si sic, idem sunt ; sin autem, sunt diversa.

Dicuntque aliqui, quod cognitio Dei in via et in patria sit omnino alterius rationis : idcirco diversæ dispositiones seu habitus requiruntur ad eas. Quumque dispositio ad eam in via sit gratia, et dispositio ejus in patria sit gloria, non erunt idem in re. Alii dicunt, quod dilectio Dei in via et in patria non differunt, nisi sicut per-
D fectum et imperfectum in eodem genere diligendi. Triplex vero est modus cognoscendi. Unus est credendo. Secundus, intelligendo per sapientiæ donum, vel per sapientiam, includendo in ea omnes habitus cognoscitivos. Tertius, videndo per Deitatis claram præsentiam. Et quia actui fidei, quæ non manet in patria, succedit visio, ad quam eliciendam non ordinatur sapientia, quoniam est ad secundum modum cognoscendi ; hinc habitus disponens ad actum videndi, erit lumen gloriæ : quod

non est in essentia animæ, sed in intellectu; nec derivatur a gratia, sed immediate a Deo infunditur, ut dicit ista opinio : sicque realiter differt a gratia. Sed in ista opinione non video necessitatem. Actus namque videndi Deum, non elicitur in intellectu ex aliquo habitu, quoniam habitu utimur dum volumus, et sic absque præsentia divinæ essentiæ se manifestantis, posset actus videndi ex illo habitu elici : quod est falsum; imo sola præsentia luminis increati elicit actum illum in intellectu videntis. Ideo si oporteret ponere habitum illum qui est lumen gloriæ, hoc non videretur nisi ad disponendum, aptandum et elevandum ipsam potentiam intellectivam ad hoc quod præsentia Deitatis eliciat in ea actum illum videndi : ad quod habitus sapientiæ videtur sufficere, sicut ex parte voluntatis sufficit habitus caritatis : sicque habitus sapientiæ, in quantum ita elevat et disponit ad beatificam visionem, potest lumen gloriæ appellari, et est idem quod gratia, quia ex habitu gratiæ redundat in intellectum. — Hæc Henricus.

Cf. p. 417 B. Verum in his positio S. Thomæ de lumine gloriæ, verior esse videtur. Nec aliquo modo verum censetur, quod habitus sapientiæ et gratia gratificans sint idem in re, quum gratia etiam secundum istum doctorem, sit subjective in essentia animæ, et sapientia in intellectu. Nec verum est, quod gratia sit effective causa sapientiæ hujus : imo sapientia ista est immediate a Deo infusa, sicut et cetera dona Spiritus Sancti, ut patuit super secundum. Denique si sapientia ista esset effectus gratiæ, potius sequeretur quod realiter distinguerentur ab invicem, quum nihil sit causa sui ipsius. Nec valet objectio illa inducta, quoniam nullus in hac vita tam prompte ac libere utitur aliquo habitu, quam prompte, liberrime, jucundissime, indesinentissime sine ulla unquam interruptione Beati utuntur lumine gloriæ, secundum quod illud ad beatificam visionem requiritur. Postremo, si sola præsentia luminis increati, id est ipsummet lumen

A increatum, elicit actum videndi, hoc est actualem visionem beatificam, in intellectu beato; sic intellectus ad illum actum non haberet se (ut apparet) nisi passive et receptive, et esset (ut sequi videtur) intellectiva illa potentia præclarissimis habitibus decorata, expers propriæ operationis. Hinc verius æstimatur, quod divina essentia intellectibus Beatorum loco intelligibilis speciei seu formæ unita, tam supernaturaliter et eminenter actuat, elevat, roborat atque illuminat eos, quod ipsi per *Cf.* p. 416 A et s.

B habitum sapientiæ consummatæ, cooperante superaltissima Deitate, eliciunt et producunt in se et ex se actum illum videndi : quemadmodum et voluntas beata ex habitu suæ perfectissimæ caritatis elicit et producit in se, cooperante omnipotente, superdulcissimo, increato amore, actum illum amandi finaliter fruitive.

QUÆSTIO VIII

C QUærendum nunc est de dotibus animæ, quia de dotibus corporum glorificatorum tractatum est supra. Itaque quæritur, **Utrum assignandæ sint dotes animabus beatis; et quæ et quot sint, atque in quibus, hoc est, an etiam in angelis et in Christo consistant.** dist. XLIV, q. 3 et s.

Videtur quod non sint hujusmodi dotes ponendæ. Non enim est ponenda pluralitas sine necessitate; sed beatitudo sufficiens

D est ad dotandum, contentandum quietandumque animam, quum beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Circa hæc scribit Thomas, primo respondendo ad hoc, an dotes sint assignandæ Beatis : Dum Beati in gloriam transferuntur, aliqua eis dona ad eorum ornatum spectantia divinitus dantur; qui ornatus a magistris dotes vocati sunt. Hinc dos, prout nunc sumitur, taliter definitur : Dos

est ornatus perpetuus animæ et corporis, A vitæ sufficiens, in æterna beatitudine jugiter perseverans. Quæ descriptio sumitur ad corporalis similitudinem dotis, qua sponsa ornatur, ac viro providetur unde sufficienter valeat sponsam liberosque nutrire ; et tamen dos ipsi sponsæ inamissibiliter conservatur, ut ad eam separato matrimonio revertatur. Verum de ratione nominis, diversi diversimode opinantur. Nam aliqui dicunt, quod dos non accipitur ex aliqua similitudine ad matrimonium corporale, sed secundum modum loquen- B di quo omnem ornatum seu perfectionem, dotem vocamus, sicut scientificus dicitur scientia esse dotatus. Sicque dixit Ovidius :

Et quacumque potes dote placere, place.

Sed istud non videtur omnino conveniens : quia dum nomen quodcumque impositum est ad aliquid significandum, non consuevit transferri ad alia nisi secundum aliquam similitudinem. Quumque secundum primam institutionem nomen dotis C ad matrimonium carnale pertineat, oportet ut in qualibet alia acceptione attendatur aliqua similitudo ad primum significatum.

Hinc secundum alios, in hoc similitudo attenditur, quod dos proprie dicitur donum quod in carnali matrimonio datur sponsæ ex parte sponsi, quando traducitur in domum sponsi, ad ornatum pertinens sponsæ. Quod patet ex hoc quod Sichem
Gen. xxxiv, 12. dixit ad Jacob ac filios ejus : Augete dotem, munera postulate. In Exodo quoque D
Exod. xxii, 16. habetur : Si seduxerit quis virginem dormieritque cum ea, dotabit eam et accipiet eam in uxorem. Unde et ornatus qui a Christo exhibetur Sanctis quando introducuntur in domum gloriæ, dos vocatur. — Sed hoc est manifeste contra id quod aiunt juristæ, ad quos pertinet de his tractare, dicentes, quod dos proprie est quædam datio ex parte mulieris facta iis qui sunt ex parte viri, pro onere matrimonii quod sustinet vir, sustentando. Id vero quod sponsus dat sponsæ, vocatur donatio propter nuptias. Sicque sumitur dos tertio
libro Regum, quo legitur quod Pharao ac- III *Reg.* ix, 16.
cepit Gazer, et dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis. Nec contra hoc faciunt auctoritates inductæ. Quamvis enim dotes a parente puellæ consueverunt assignari, interdum tamen contingit quod sponsus aut pater sponsi assignat dotes vice patris puellæ. Quod contingit dupliciter : vel ex nimio affectu ad sponsam, sicut fuit in Sichem ; vel in pœnam sponsi, ut puellæ a se corruptæ dotem de suo assignet.

Ideo secundum alios dicendum, quod dos in matrimonio corporali proprie appellatur quod datur ab his qui ex parte sunt mulieris, eis qui ex parte sunt viri, ad sustinendum matrimonii onera. Verum sic remanet difficultas, quomodo significatio hæc aptetur huic proposito, quum ornatus qui sunt in beatitudine, dentur sponsæ a patre sponsi. — Ad quod dicendum, quod pater sponsi, utpote Christi, est sola persona Patris ; pater vero sponsæ, est Trinitas tota. Hinc hujusmodi dotes in spirituali matrimonio, proprie loquendo, magis dantur a patre sponsæ quam a patre sponsi : effectus namque in creaturis ad totam pertinent Trinitatem. Attamen ista collatio, quamvis a tribus fiat personis, nihilo minus singulis personis secundum aliquem modum appropriatur : personæ quidem Patris ut danti, quia in ipso est auctoritas ; ei quoque paternitas respectu creaturæ appropriatur, ut sic idem sit pater sponsi et pater sponsæ ; Filio autem, in quantum propter ipsum et per ipsum datur ; Spiritui Sancto, in quantum in ipso et secundum ipsum datur. Amor enim, omnis donationis est ratio. — Denique in spirituali matrimonio interior de-
cor requiritur, juxta illud Psalmi, Omnis *Ps.* xliv, 14.
gloria ejus filiæ regis ab intus ; in matrimonio autem corporali, decor exterior. — Dotes etiam non consueverunt dari in desponsatione, sed dum sponsa in domum introducitur sponsi, ut præsentialiter ha-

II Cor. v, 6. beat eum : et quia in hac vita peregrinamur a Domino, ideo dona gratiæ in hac vita desuper data, non dicuntur dotes.

Quæritur quoque, an dos sit idem quod beatitudo. Videtur quod sic, quoniam beatitudo, secundum quosdam, est essentialiter visio; secundum alios, fruitio : et horum utrumque dos nominatur. In oppositum est, quod beatitudo est una, dotes sunt tres. — Dicendum, quod de hoc est duplex opinio. Una, quod sint idem in re, et sola differant ratione : quoniam dos respicit spirituale matrimonium quod est inter Christum et animam. Sed contra hoc est, quod beatitudo consistit in operatione, dos autem non est operatio, sed qualitas aut dispositio quædam. Hinc, secundum alios, respondendum, quod realiter differunt : ut beatitudo dicatur operatio perfecta qua anima beata Deo conjungitur; dotes vero sunt habitus aut dispositiones, vel quæcumque aliæ qualitates quæ ordinantur ad hujusmodi operationem perfectam. Visio autem dupliciter sumitur. Primo actualiter, pro actu videndi : et ita est beatitudo, non dos. Secundo habitualiter, pro habitu a quo operatio illa elicitur, hoc est pro ipsa gloriæ claritate qua anima illustratur ad Deum videndum : et ita est dos atque principium beatitudinis. Conformiter dicendum de fruitione.

Præterea quæritur, an Christo competat dotes habere. Et respondendum, quod de hoc quoque est duplex opinio. Una dicentium, quod in Christo est unio triplex : una, quæ consentanea nuncupatur, qua Deo conjungitur per connexionem amoris; secunda dignativa, qua natura humana unitur divinæ ; tertia, qua Christus unitur Ecclesiæ. Dicuntque, quod secundum duas primas uniones convenit Christo habere dotes sub ratione dotis; et quantum ad tertiam, convenit ei excellentissime id quod est dos, quamvis non sub ratione dotis : quia in tali conjunctione Christus est ut sponsus, et Ecclesia tanquam sponsa. Dos autem datur sponsæ quantum ad proprietatem atque dominium, quamvis

A detur sponso ad usum. Sed hoc non videtur esse conveniens, quia in unione qua Christus unitur Patri per consensum amoris et in quantum est Deus, non dicitur esse matrimonium aliquod, quum non sit ibi subjectio aliqua, quam oportet esse sponsæ ad sponsum. Similiter, nec in conjunctione humanæ naturæ ad divinam, quæ est in unitate personæ, vel etiam per voluntatis conformitatem, potest esse propria ratio dotis. Primo, quia exigitur conformitas naturæ inter sponsum et sponsam B in matrimonio illo in quo dotes præstantur : quæ conformitas deest in conjunctione humanæ naturæ cum divina. Secundo, quia exigitur ibi distinctio personarum ; natura autem humana assumpta, non est personaliter a Verbo distincta. Tertio, quia dos datur dum sponsa de novo introducitur in domum sponsi : sicque pertinere videtur ad sponsam, quæ de non conjuncta fit conjuncta. Natura vero humana in Christo fuit unita Verbo a suæ creationis exordio.

C Hinc cum aliis est dicendum, quod aut omnino non convenit Christo ratio dotis, aut non tam proprie ut aliis. Nihilo minus ea quæ dotes dicuntur, excellentissime competunt Christo. — Porro humana natura in Christo non dicitur esse proprie sponsa ratione conjunctionis cum Verbo, quum non sit ibi personarum distinctio; tamen interdum dicitur desponsata, quoniam habet aliquem actum sponsæ, quia inseparabiliter Verbo conjungitur, et est eo inferior, regiturque per Verbum sicut sponsa D per sponsum. — Item nomen Ecclesiæ dupliciter sumitur. Primo, pro corpore mystico, quod Christo tanquam capiti conjungitur : sicque Ecclesia rationem sponsæ sortitur ; nec Christus hoc modo est membrum Ecclesiæ, sed caput ipsius, influens omnibus membris ejus. Secundo, Ecclesia sumitur prout nominat simul corpus et caput : sicque Christus vocatur membrum Ecclesiæ, in quantum habet distinctum officium ab omnibus aliis, puta influere ceteris vitam, juxta illud Apostoli

I Cor. xii, 27. ad Corinthios, Vos estis corpus Christi, et membra de membro ; Glossa, de Christo. Quamvis non multum proprie dicatur membrum, quum membrum importet partialitatem, et bonum spirituale in Christo non fuit particulatim, sed integre : propter quod ipse est totum bonum Ecclesiæ; nec ipse cum aliis est aliquid majus quam ipse solus. Sic ergo loquendo, Ecclesia non solum nominat sponsam, sed sponsum et sponsam, prout per spiritualem conjunctionem ex eis est quid unum effectum. Hinc quamvis aliquo modo dicatur membrum Ecclesiæ, tamen nullatenus potest dici membrum sponsæ : et sic ei non convenit ratio dotis.

Quæritur item, an angelis competat ratio dotis. Ad quod dicendum, quod ea quæ ad dotes animæ pertinent, certum est angelis convenire sicut hominibus; sed non ita secundum rationem dotis, quoniam angelis non tam proprie convenit ratio sponsæ sicut hominibus : angeli namque non sunt ejusdem naturæ cum Christo. Verumtamen, quum in his quæ metaphorice dicuntur, non requiratur similitudo in omnibus; non potest ex una dissimilitudine concludi, quod unum de alio metaphorice non dicatur. Idcirco concedi potest, quod et angelis aliquo modo competat dotes habere, non tamen ita proprie sicut hominibus.

Insuper quæritur, an tantum sint tres animæ dotes. Et respondendum, quod ab omnibus communiter ponuntur tres animæ dotes, sed a diversis diversimode nominantur. Nam a quibusdam dicuntur visio, dilectio, fruitio; ab aliis visio, fruitio, comprehensio; a nonnullis visio, comprehensio, dilectio. Omnes tamen assignationes reducuntur in idem, et eodem modo earum sufficientia sumitur. Dictum est enim, quod dos est aliquid animæ inhærens, per quod ordinatur ad operationem in qua beatitudo consistit : in qua operatione duo requiruntur, utpote, substantia operationis, quæ est visio; et perfectio ejus, quæ est delectatio. Oportet enim bea-

A titudinem esse operationem perfectam. Visio autem delectabilis exsistit dupliciter. Primo ex parte objecti, in quantum id quod videtur, est delectabile. Secundo ex parte visionis, in quantum ipsum videre est delectabile : sicque delectamur in cognitione malorum, non quod ipsa mala nos delectent, sed eorum cognitio, quæ utilis est. Quumque operatio in qua beatitudo consistit, debeat perfectissima esse, oportet quod visio illa sit utroque modo delectabilis. Ad hoc quoque quod visio sit B delectabilis ex parte videntis vel visionis, requiritur quod facta sit delectabilis seu connaturalis ipsi videnti per habitum aliquem : et sic est una dos, quæ dicitur ab omnibus visio. Ad hoc etiam quod sit delectabilis ex parte visibilis, duo requiruntur. Unum est convenientia quæ est per affectum. Et quantum ad hoc, ponitur a quibusdam dos dilectio, et a quibusdam fruitio, secundum quod fruitio pertinet ad affectum : illud enim quod summe diligimus, convenientissimum æstimamus. C Requiritur quoque ex parte visibilis conjunctio : et sic ponitur a quibusdam comprehensio, quæ nil aliud est quam in præsentia Deum habere, et in se ipso tenere; secundum alios vero fruitio, prout fruitio est non spei sicut in via, sed rei sicut in patria. Sicque tres dotes tribus virtutibus theologicis correspondent, videlicet, visio fidei, comprehensio seu fruitio secundum unam acceptionem spei, dilectio seu fruitio secundum acceptionem aliam caritati. Fruitio quippe perfecta, ut D est in patria, includit in se dilectionem et comprehensionem : ideo a quibusdam accipitur pro uno, a quibusdam pro alio. Porro nonnulli attribuunt has tres dotes tribus viribus animæ, visionem scilicet rationali, dilectionem concupiscibili, fruitionem irascibili, in quantum talis fruitio per victoriam est adepta. Sed hoc non est proprie dictum, quia concupiscibilis et irascibilis non sunt in parte intellectiva, sed sensitiva.

Verum his objici potest, quia secundum

Anselmum, ad beatitudinem animæ pertinent ista, sapientia, amicitia, concordia, potestas, honor, securitas, gaudium : ergo ratio dotis eis convenire videtur, sicque essent plures ac aliæ dotes quam tres istæ. Boetius quoque ponit quinque ad felicitatem spectantia, quæ sunt : sufficientia, quam promittunt divitiæ; jucunditas, quam promittit voluptas; celebritas, quam promittit fama; securitas, quam promittit potestas; reverentia, quam promittit dignitas. — Et dicendum, quod quinque ista a Boetio enumerata, sunt quædam beatitudinis conditiones, non dispositiones ad beatitudinis actum : eo quod beatitudo ratione suæ perfectionis, sola et singulariter habet per se ipsam quidquid ab hominibus in diversis quæritur rebus, ut etiam primo et decimo Ethicorum ait Philosophus. Hinc Boetius ostendit illa quinque in vera beatitudine esse, quoniam hæc sunt quæ ab hominibus in temporali felicitate quæruntur. Quæ vel pertinent ad immunitatem a malo, sicut securitas; vel ad consecutionem boni ac convenientis, sicut jucunditas, et perfecti, sicut sufficientia; vel ad manifestationem boni, sicut celebritas, in quantum bonum unius in notitia est multorum ; et reverentia, in quantum notitiæ illius boni signum aliquod exhibetur : reverentia namque consistit in exhibitione honoris, qui testimonium est virtutis. Sicque patet quod ista non sunt dotes, sed quædam beatitudinis conditiones. Similiter nec illa quæ Anselmus enumerat. Dotes namque sunt immediata principia operationis in qua beatitudo consistit. Quæ vero Anselmus enumerat, sunt beatitudinem qualitercumque concomitantia vel consequentia, non solum in comparatione ad sponsum, ad quem sapientia inter illa pertinet, sed etiam in comparatione ad alios : vel pares, ad quos pertinet amicitia quantum ad unionem affectuum, et concordia quantum ad consensum in agendis; vel inferiores, ad quos pertinet potestas secundum quod a superioribus inferiora disponuntur, et honor

A secundum quod ab inferioribus superioribus exhibetur; et etiam per comparationem ad se ipsum, ad quod spectat securitas quantum ad mali remotionem, et gaudium quantum ad boni adeptionem. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus scripta Petri continentur et omnino concordant.

Richardus demum circa hæc scribit : Dotes insunt omnibus Beatis quantum ad id quod sunt, hoc est materialiter; quia in omnibus illis est clara visio, perfecta fruitio, atque perfectio securitatis perpe-
B tuitatis utriusque. Loquendo autem de dotibus formaliter, non insunt omnibus, nisi ut dictum est. — Et si objiciatur, quod dos datur sponso a patre sponsæ; sed omnia dona beatitudinis dantur Beatis a patre sponsi, qui sponsus est Christus : ergo in nullo beato est aliqua dos. Dicendum, quod quamvis dos assignetur sponso a patre sponsæ, tamen proprietas manet sponsæ, licet usus debeatur sponso. Sic et dotes Beatorum sunt ad gloriam sponsi, et ad perfectionem propriam Beatorum. Potest
C etiam dici, quod dictum illud intelligitur de dote quæ datur ex parte sponsi, ut dictum est. Hæc Richardus.

Cf. p. 434 C', 435 B.
Cf. p. 433 C.

Qui insuper sciscitatur, utrum tentio sit dos specialis. Respondet : Tentio non est proprie dos distincta ab aliis. Tenere enim, secundum Papiam, est habere vel possidere. Intellectus autem videndo Deum, sub ratione summi veri habet eum; voluntas quoque fruendo eo, habet ipsum sub ratione summi boni. Hinc tentio summi veri, idem est quod clara visio ejus ; et ten-
D tio summi boni, est idem quod perfecta ejus fruitio. Nec hoc dicens, volo dicere quod visio et fruitio, proprie loquendo, sunt dotes, sed dotium actus : dotes namque sunt qualitates. Unde dos visionis seu visio ut est dos, est quidam habitus luminosus in intellectu, quo ipse intellectus elevatur ad clare videndum Deum; sed et dos fruitionis est perfectus caritatis habitus quo anima fruitur Deo. Porro dos tertia ab aliis distincta, est habitus perfectus quo voluntas est perfecte secura de perpe-

tuatione tentionis præfatæ. Nam sine ista A assecuratione non potest intelligi mens esse Deo perfecte conjuncta. Unde non est dicendum, illam assecurationem non esse nisi timoris exclusionem : imo est quidam actus in voluntate respectu Dei, sub ratione qua est ens summe arduum, quo excluditur omnis hujusmodi timor. Itaque secundum rationem intelligendi, primo est dos visionis ; secundo, dos fruitionis ; tertio, dos perfectæ securitatis. — At vero memoriæ et intelligentiæ seu intellectui non correspondet nisi habitus unus, seu B una dos habitualis : quia in vita beata, memoria non respicit Deum nisi mediante intelligentia ; quoniam actus memoriæ ibi est claram visionem tenere, sicque objectum ejus immediatum, est visio clara. Dos quoque respondens spei, non est tentio, ut tactum est, sed securitas perpetuationis visionis et fruitionis. Hæc idem.

Quocirca sciendum, quod verba Richardi in aliquibus videntur discordare ab aliis. Nam multi fatentur quod tentio sit dos ; et sicut jam patuit, secundum quosdam, C fruitio est dos, similiter visio. Verum hæc concordantur, distinguendo de diversa acceptione nominum horum, ut tactum est. — Videtur quoque Richardus sentire in his, quod fruitio ut est dos, sit realiter caritas ipsa habitualis perfecta. Conformiter, juxta hoc dici posset, quod habitus luminosus in intellectu ad clare videndum Deum (cujus habitus actus est visio beata inde immediate elicita) sit realiter habitus sapientiæ, id est sapientia habitualis, præsertim quæ donum est, et hoc secundum D gradum suum supremum. Verum tunc oritur quæstio, quomodo dotes dicuntur dari in introductione animarum sanctarum in patriam Beatorum, ad præsentiam Dei, quoniam caritas viæ non excidit, secundum Apostolum, sed manet in patria ; similiter sapientiæ donum, imo et alia dona, ut patuit super tertium. Ad quod juxta istum doctorem videretur dicendum, quod dotes istæ duæ tunc conferuntur non quantum ad essentiam earumdem, sed quantum ad earum complementum, quia tunc plurimum perficiuntur.

I *Cor.* XIII, 8.

tom. XXIII, p. 555 B'.

Amplius quærit Richardus, utrum in voluntate beata sint realiter idem fruitio et gaudium. Respondet quod non. Illa enim fruitio est, summo bono clare viso inhærere amore perfecto, propter se ipsum ; amor autem gaudium non est, sed gaudium inde causatur. Et secundum eos qui dicunt, quod fruitio comprehendit dilectionem et gaudium, oportet fateri, quod fruitio et gaudium differunt sicut totum et pars. Nec est concedendum, quod gaudium non sit nisi dilectio boni præsentis. Idcirco verbum Augustini, quartodecimo de Civitate dicentis, amorem boni habiti esse lætitiam, non est prædicatio per essentiam, sed per causam. Hinc gaudium proprie est spiritualis ac specialis passio in appetitu intellectivo. Hæc idem.

Quod etiam dictum est ex Thoma, tres dotes non posse attribui rationali, concupiscibili et irascibili, eo quod concupiscibilis et irascibilis non sint nisi ex parte sensitiva, non absolute concludit : quia ut dictum est super tertium, concupiscibilis et irascibilis a valde magnis doctoribus ponuntur etiam in parte intellectiva, quamvis non sint ibi proprie et distincte sicut in parte sensitiva. Imo ut in libro de Civitate Dei Augustinus refert et approbat, etiam Plato posuit vim concupiscibilem et irascibilem in parte intellectiva : quem modum loquendi sequitur Ambrosius in Procemio super Lucam.

tom. XXIII, p. 449 A, D', etc.

Præterea Bonaventura scribit hic : Actus gloriosi non sunt tantum in Deum ut in objectum, sed etiam in bona creata per comparationem ad Deum : gaudebit enim homo beatus de proximo et diliget eum. Sed quia substantiale præmium in Deo consistit, ideo principales actus gloriæ sunt per quos anima in Deum convertitur. Atque secundum hos actus dotes assignantur : quia secundum hos actus anima Deo immediate unitur, sicut sponso sponsa ; et in his ditatur, repletur, nec solum vigoratur. Ideo dicuntur dotes quasi divi-

tiæ animæ desponsatæ. Hos vero actus A aliqui dicunt esse tres, quoniam tria requiruntur ad hoc quod anima gaudeat perfecte de Deo, puta : perfecta visio, perfecta dilectio, et perfecta fruitio. Fruitionem quoque dicunt non esse secundum potentiam aliam quam secundum rationalem et concupiscibilem. Nam irascibilis non habet ibi actum in Deum ; habet tamen ibi aliquem actum, videlicet gloriari per virtutes quæ manent in patria, quoniam donum timoris et fortitudo manent ibidem. Verum ista positio dupliciter videtur in- B competens. Primo, quia sic tertia dos non differt a prima et secunda nisi secundum rationem : quod ineptum est dicere. Secundo, quia absurdum est quod irascibilis non habeat in gloria actum tendentem in Deum. — Hinc dicendum, quod omnes vires quæ per gratiam habent actum tendentem in Deum, habebunt etiam per gloriam actus perfectos in eum. Unde rationalis, cujus est credere per fidem, tunc videbit aperte ; concupiscibilis, cujus est amare per caritatem imperfectam in via, C diliget tunc perfecte ; irascibilis, cujus est inniti seu conari per spem, tunc tenebit continue et secure. Et secundum istos tres actus distinguuntur tres dotes, quæ sunt, visio, dilectio, comprehensio seu tentio, seu fruitio per appropriationem : nam fruitio proprie sumpta, hæc tria complectitur. — Hæc Bonaventura, qui in his sentire videtur quod dotes sint actus.

Præterea Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto : Dos, inquit, est donum quod sponsus dat sponsæ, ut inde vivat. Quo- D niam ergo ex tribus, puta, cognitione, dilectione, fruitione, vivit anima immediate, quia per ea movetur immediate in Deum ; ideo tria hæc tantum sunt animæ dotes. In irascibili autem (ut videtur) non erit dos, quia non erit aliqua virtus per quam immediate moveatur in Deum. Tres ergo sunt dotes : duæ secundum naturam*, videlicet, visio et dilectio ; et tertia, quæ erit earum perfectio, puta fruitio seu delectatio, quæ proprie erit in visione, quæ tota est merces, secundum Augustinum. Quod verum non esset, nisi fruitio esset in visione : imo fruitio, proprie loquendo, non est nisi in visione. Si enim proprie esset fruitio in dilectione, æque esset in dilectione merces : et sic Christus æque potuisset dixisse, Hæc est vita æterna, ut diligant te Deum ; sicut dixit, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. (*Joann.* XVII, 3.) Verumtamen tam visionis quam dilectionis est delectatio illa, sed diversimode : quia est visionis, ut in qua est ; et dilectionis, ut a qua est, et a qua tenetur et augmentatur. Ad hoc namque tendit dilectio, ut per visionem delectetur in amato, juxta illud : Ubi amor, ibi oculus. Comprehensio quoque realiter idem est quod fruitio : idcirco comprehensio improprie dicitur succedere spei. Caritas autem conjungit nos Deo ; sed non est ipsa conjunctio, quoniam conjunctio convenientis cum conveniente, in cognitione consistit. Solus etenim intellectus imago est Dei. Unde, proprie loquendo, in sola conjunctione imaginis ad id cujus est imago consistit. Attamen verum est, quod caritas movet ad illam, et facit ac tenet eam in esse : propter quod totum attribuitur ei, videlicet, frui et delectari. — Hæc Antisiodorensis. In cujus dictis multa continentur quæ secundum ejus opiniones procedunt, in quibus frequenter est singularis ; tamen in hoc quod beatitudinem asserit in actu consistere intellectus, consonat approbatis. (*Cf.* p. 402 B et s.) Sed non oportet ideo opinari, quod unio et fruitio magis spectent ad intellectum quam ad voluntatem. (*Cf.* t. XIX, p. 113 C.) Verum de his ejus opinionibus dictum est super secundum et tertium. (tom. XXI, p. 549 D ; XXIII, p. 502 A'.) Jam quoque ostensum est, quod vis irascibilis habebit aliquem actum in patria.

Amplius de beatitudine electorum adhuc multa restant dicenda, sed cogor ordinem dicendorum paulisper mutare, et me de aliquibus quæstionibus expedire : quo facto, intendo supplere quæ de beatitudine Sanctorum hoc loco transilio.

* *alias* materiam

QUÆSTIO IX

Restat ergo nunc de aureolis prosequi, **Quid sint, quibus meritis debeantur; de numero quoque ac ordine earumdem.**

Videtur quod aureolæ non sint ponendæ, quoniam non est pluralitas sine necessitate seu utilitate ponenda; beatitudo autem principalis seu præmium essentiale, est bonum perfectum plene contentativum et quietativum desiderii mentis creatæ : ergo nihil addendum est ei. — Rursus, quod modicum est, pro nihilo reputandum est, secundum Philosophum. Sed aureola ad accidentale pertinet præmium, quod comparatur ad præmium essentiale (quod est beatifica visio Dei) sicut stillicidium unum ad totum Oceanum, et ita modicissimum est, ac modicissime reputandum, nec ponendum in numerum.

In oppositum est quod super illud Exodi,
Exod. xxv, 25. Facies alteram coronam aureolam, asserit Glossa : Ad coronam pertinet canticum novum, quod solæ virgines concinunt coram Agno. Ergo aureola est quædam corona, non omnibus, sed aliquibus specialiter repromissa.

Circa hæc diffusius ceteris scribit Thomas : Præmium (inquiens) essentiale Beatorum metaphorice aurea nuncupatur, tum ex parte meriti, quod cum quadam pugna
Job vii, 1. peragitur, juxta illud Job, Militia est vita hominis super terram; tum ex parte præmii, per quod Beati fiunt deitatis suo modo participes ac regiæ dignitatis, atque heredes regni cœlestis, juxta illud Apoca-
Apoc. v, 10. lypsis, Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes. Corona autem regiæ dignitatis est signum. Eademque ratione præmium accidentale quod essentiali adjungitur, coronæ rationem habet. Corona rursus ratione figuræ suæ circularis, perfectionem designat. Sed quia quod superadditur, minus est eo cui additur, recte hoc præmium ad-
A ditum, aureola nominatur. Denique, essentiali præmio aliquid dupliciter additur. Primo, ex conditione ejus qui præmiatur; quemadmodum beatitudini animæ superadditur gloria corporis : unde et ipsa corporis gloria interdum vocatur aureola. Propter quod super illud verbum Exodi *Exod.* xxv, 25.
jam prætactum loquitur quædam glossa : Aureola superponitur, quum in Scripturis asseritur quod sublimior gloria in receptione corporum Sanctis addetur. Sic autem de aureola modo non agitur. Secundo,
B ratione meritorii operis, quod rationem meriti habet ex duobus ex quibus etiam rationem accipit bonitatis, videlicet : ex radice caritatis, qua refertur in ultimum finem, sicque debetur ei præmium essentiale; secundo, ex genere actus, quod laudabilitatem quamdam sortitur ex circumstantiis debitis, et habitu eliciente, ac proximo fine : et ita debetur ei quoddam præmium accidentale, quod vocatur aureola. Sicque de aureola modo fit sermo, et est quoddam gaudium aureæ additum,
C de operibus propriis habentibus rationem victoriæ excellentis; nec consistit immediate in conjunctione et fruitione increati objecti. — Ad objecta ergo dicendum, quod beatitudo includit omnia bona necessaria ad perfectam hominis vitam, quæ consistit in perfectissima hominis actione; aliqua tamen adduntur non quasi necessaria ad operationem illam perfectam, ita ut illa sine illis esse non valeat, sed quia his additis beatitudo est clarior, ita quod pertinent ad bene esse et condecentiam ejus :
D quemadmodum felicitas politica ornatur nobilitate et pulchritudine corporis, sine quibus tamen esse potest, ut primo dicitur Ethicorum. Quamvis etiam aureola accidentaleque præmium sit modicum respectu præmii essentialis, nihilo minus in se consideratum et per se acceptum, est grande bonum, omnibus hujus sæculi bonis ineffabiliter majus.

Quæritur quoque, an virginitati debeatur aureola. Videtur quod non, quia si sic, hoc esset propter difficultatem continendi.

Sed hoc non, quoniam viduis laboriosius est penitus continere quam virginibus, quum dicat Hieronymus : Quanto major est difficultas expertis illecebras carnis, ab ipsis illecebris abstinere, tanto majus est præmium. Et loquitur in commendationem viduarum. Philosophus quoque in libro de Animalibus : Juvenes (inquit) corruptæ plus appetunt coitum, propter rememorationem delectationis. Ergo aureola viduis potius deberetur. — Insuper quædam personæ ex naturali dispositione aut gratiæ præcipuæ ope faciliter continent, et beatissima Virgo sine omni difficultate continuit : ergo eis non deberetur aureola.

Dicendum, quod ubi est specialis excellens victoria, debetur specialis corona. Quumque per virginitatem homo specialem acquirat victoriam contra propriam carnem et assiduam ejus impugnationem, a cunctis conceditur, quod aureola virginitati debetur ; sed cui virginitati, non similiter omnes dicunt. Nam quidam affirmant actui deberi aureolam, sic quod persona virginitatem actu conservans, aureolam habebit, si sit de numero salvandorum. Sed hoc non videtur : sic enim virgines multæ nubere proponentes, et ante exsecutionem propositi morientes, haberent aureolam. Hinc alii dixerunt, quod aureola ista debeatur non actui, sed statui, utpote promittentibus virginitatem servare perpetuo. Quod etiam non apparet, quoniam aliquis ex pari aut certe majori devotione potest virginitatem servare sine voto, sicut alius ex voto. — Ideo aliter dici potest, quod meritum omne debetur actui virtutis a caritate imperato. Virginitas vero ad virtutis pertinet genus, secundum quod perpetua incorruptio mentis et corporis cadit sub electione. Hinc illis tantum virginibus debetur aureola quæ proposuerunt virginitatem servare perpetuo, sive propositum hoc voto firmaverint aut juramento, sive non (quod dico, proprie sumendo aureolam ut præmium quoddam merito redditum) ; quamvis hoc propositum aliquando fuerit interruptum, integritate tamen carnis ma-

A nente, dummodo in fine vitæ inveniatur. Integritas enim mentis potest recuperari, non integritas corporis. Si autem aureola large sumatur pro quocumque gaudio patriæ ultra præmium essentiale ; sic et incorruptis carne correspondebit aureola, quamvis non habuerint propositum servandi virginitatem perpetuo. Constat enim quod de carnis incorruptione gaudebunt, sicut et Innocentes de hoc quod immunes a peccato fuerunt, quamvis nondum potuerunt peccare, ut patet de pueris baptizatis.

B Sed ista aureolæ acceptio impropria est et valde communis.

Ad objecta ergo dicendum, quod quantum ad aliquid virgines graviorem sustinent pugnam in continendo ; et quantum ad aliquid viduæ, ceteris paribus. Virginibus namque concupiscentiam auget desiderium experiendi, quasi ex quadam curiositate procedens, qua fit ut homo libentius videat quæ nunquam vidit ; æstimatio quoque majoris delectationis quam sit in veritate, atque inconsideratio incommodo-

C rum ac onerum talem delectationem sequentium. Et quantum ad hæc, viduæ minorem sustinent pugnam ; majorem vero, ex memoria delectationis præhabitæ. Et in diversis unum diversimode præjudicat alteri secundum diversas hominum dispositiones, quoniam quidam magis moventur isto, aliqui illo. Quidquid vero sit de quantitate pugnæ, certum est quod major sit victoria virginum quam viduarum : perfectissimum quippe victoriæ genus est atque pulcherrimum, hosti nunquam cessis-

D se. Corona autem non debetur pugnæ, sed victoriæ de pugna. — Porro de sacratissima Virgine est duplex opinio. Una, quod pro virginitatis præmio non habet aureolam proprie sumptam, sed aliquid majus aureola, propter perfectissimum servandæ virginitatis propositum. Alia, quod etiam aureolam proprie sumptam habet excellentissimam. Quamvis enim pugnam non sensit, ex nimia excellentia suæ perfectionis et subjectionis carnis sub spiritu, habuit tamen pugnam aliquam carnis. Sed

istud non videtur, quum incomparabilis A Virgo credatur fuisse a fomitis inclinatione omnino immunis propter ejus sanctificationem eximiam ; nec tentatio quæ est a carne, esse valeat sine peccato, ut ait Glossa super illud Apostoli : Datus est mihi stimulus carnis meæ, etc. (II *Cor.* XII, 7.) Hinc dicendum, quod aureolam habet virginitatis, ut in hoc membris Ecclesiæ aliisque conformetur in quibus virginitas reperitur. Et quamvis non habuit pugnam a carne, habuit tamen ab hoste, qui ipsum Christum præsumpsit tentare. — Porro in statu inno- B centiæ, virginitas non fuisset virtus, neque aureolam meruisset, quemadmodum nec in veteri Testamento, dum cultus Dei carnali propagatione diffundebatur, nisi ex speciali Dei venisset instinctu, ut de Jeremia creditur et Elia, quorum non leguntur conjugia. — Si autem virgo violenter oppressa virginitatem amittat, non perdit aureolam, dummodo servet propositum continentiæ virginalis perpetuæ, nec actui illi consentiat, et hoc sive pro fide sive pro alia quacumque causa sustineat : imo C si pro fide, erit meritorium ei, et ad genus pertinebit martyrii. Unde beata dixit Lucia : Si me invitam feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam : non quod habeat duas virginitatis aureolas, sed quod duplex præmium reportabit, unum pro virginitate totis viribus custodita, aliud pro injuria irrogata. Dato demum quod talis violenter oppressa concipiat, nec ex hoc virginitatis meritum perdit. — At vero si frigidi et eunuchi propositum habeant servandi virginitatem perpetuo, etiam D si facultatem haberent coeundi, virgines sunt dicendi aureolamque merentur, quia de necessitate faciunt sibi virtutem.

Insuper quæritur, an martyribus debetur aureola. Videtur quod non, quoniam omne meritum consistit in operatione, martyrium vero in pati. Item, compassionis affectus et dolor interior frequenter excedunt exteriorem dolorem, non tamen debetur eis aureola : ergo nec exteriori dolori martyrii. — Respondendum, quod sicut inest quædam pugna spiritui contra interiores concupiscentias, sic etiam inest homini pugna contra passiones foris illatas. Hinc sicut perfectissimæ victoriæ qua de carnis concupiscentiis triumphatur, puta virginitati, debetur specialis aureola ; ita et perfectissimæ victoriæ quæ habetur de impugnatione exteriori, aureola datur. Perfectissima autem aureola de exterioribus passionibus, consideratur ex duobus. Primo, ex magnitudine passionis. Inter omnes vero passiones extra illatas, maxima est mors : quemadmodum in passionibus interioribus, concupiscentiæ venereorum exsistunt præcipuæ. Ideo dum quis obtinet victoriam de morte et ordinatis ad mortem, ea inordinate non metuendo, ac æquanimiter tolerando, perfectissime vincit. Secundo, ex causa pugnæ, quando videlicet pro honestissima causa pugnatur, ut pro Christo, pro fide, pro justitia, etc. Et hæc duo in martyrio attenduntur, scilicet mors suscepta pro Christo, quoniam martyrem non facit sola pœna, sed pœna simul et causa.

Debetur quoque martyrio præmium, non secundum quod ab exteriori infligitur, sed secundum quod voluntarie sustinetur, quia non promeremur nisi per ea quæ in nobis sunt. Nec soli voluntati patiendi debetur præmium tantum, sed voluntati et passioni. Sunt etenim aliqui actus qui dum actualiter exercentur, majorem habent delectationem aut difficultatem : et in talibus superaddit ad rationem meriti sive demeriti exterior actus. (*Cf.* t. XXII, p. 536 in fine.) Unde et ceteris paribus, gravius peccat actu luxurians, quam in actu consentiens : quia in actu voluntas augetur. Sic et voluntas martyrii non pertingit ad meritum quod debetur martyrio ratione difficultatis, quamvis possit pervenire ad altius præmium, considerata radice merendi : quoniam unus potest velle pati martyrium ex caritate majori quam alter hoc sustineat, et ita plus aut tantum meretur de præmio essentiali ut alter. Denique, sicut delectationes tactus sunt maximæ, ita et dolores secundum tactum, ut

in vulneribus et mortis inflictione : ideo illis debetur aureola magis quam interioribus doloribus. Si autem quis pro fide letaliter vulneretur, et supervivat ad tempus, nihilo minus meretur aureolam. Si vero vulnus non sit letale, et tamen inde mortem incurrat, videtur idem dicendum; quamvis aliqui dicant contrarium, quia ex negligentia atque incuria sua incidit mortem. Verumtamen, quoniam vulneratio illa est sibi prima mortis occasio, non videtur privari aureola, nisi incuria et negligentia illa esset tam magna quod esset mortale peccatum. — Amplius, de Innocentibus quidam dixerunt, quod in eis acceleratus fuit usus rationis, quemadmodum in glorioso et sancto Joanne Baptista in utero matris, et ita perfecte martyres exstitissent. Alii dicunt, quod fuerunt martyres tantum actu; quod videtur sentire B. Bernardus, assignans tria martyrii genera : unum sola voluntate, aliud solo actu, tertium ex utroque.

Præterea quæritur, an doctoribus et prædicatoribus verbi Dei debeatur aureola. Et respondendum, quod sicut per martyrium et virginitatem, perfectissimam victoriam obtinet homo de mundo et carne; ita perfectissima victoria obtinetur contra diabolum, dum quis illum rejicit resistendo, et expellit prævalendo, non solum ex se, sed item a proximis : quod per prædicationem agitur et doctrinam. Ideo prædicationi et doctrinæ ex caritate exhibitæ, debetur aureola sicut virginitati atque martyrio. Nec solum, ut aliqui dicunt, prælatis quibus ex officio prædicare competit et docere, sed quibuscumque licite exercentibus actum hunc. Nec convenit prælatis nisi hunc actum exerceant ut oportet : non enim coronatur nisi qui legitime certat. *II Tim. II, 5.*

Quæritur item, an Christo et angelis aureola debeatur. Dicendum, quod de Christo est duplex opinio. Una, quod imo, quia pugnavit et prævaluit mundo atque diabolo. Sed diligenter pensando, dicendum quod quamvis Christo competat proprie aurea seu corona, non tamen aureola : A quia aureola ex hoc quod diminutive vocatur, importat aliquid quod participatione quadam, non plenitudine possidetur. Hinc illis competit in quibus est participatio perfectionis victoriæ secundum imitationem ejus in quo consistit plena ratio perfectæ victoriæ. Quumque in Christo fuerit hujusmodi victoriæ plena principalisque ratio, per cujus victoriam et imitationem alii efficiuntur victores, non convenit ei aureola, sed aliquid unde omnes aureolæ originantur. Unde in Apocalypsi B protestatur : Qui vicerit, faciam eum sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedeo cum Patre meo in throno ejus. *Apoc. III, 21.* Quamvis ergo fuit verissime virgo, martyr et doctor, attamen præmium accidentale his correspondens non habuit in ipso quantitatem notabilem in comparatione ad magnitudinem præmii essentialis : idcirco non habet in ipso rationem aureolæ sub ratione aureolæ. — At vero angelis non debetur aureola, quia aureola proprie correspondet cuidam perfectioni excellenti in C merito. Ea autem quæ in hominibus ad excellentiam meriti pertinent, sunt angelis connaturalia, aut etiam spectant ad statum eorum communem, vel ad præmium ipsum essentiale : hinc ratione qua hominibus debetur aureola, angeli non habent aureolas.

Præterea si quæratur, utrum et corpori debeatur aureola; respondendum, quod aureola proprie est in mente, quum sit gaudium de operibus quibus debetur aureola. Sed sicut ex gaudio præmii essentialis D redundat decor in corpore, qui est gloria corporis : ita ex gaudio aureolæ quidam in corpore resultat decor; sicque aureola essentialiter est in mente, per redundantiam vero in carne. Verumtamen decor cicatricum qui erit in corporibus martyrum, non potest aureola appellari : quoniam multi martyres habebunt aureolam, in quibus hujusmodi cicatrices non erunt, ut qui submersione, fame, incarceratione sunt interempti.

Nunc quæritur, an sint tres tantum au-

reolæ, et quæ earum sit potior. Ad quorum A primum dicendum, quod aureola est quoddam præmium privilegiatum, privilegiatæ correspondens victoriæ : ideo secundum privilegiatas victorias in tribus pugnis, tres sumuntur aureolæ; et hoc patet ex introductis. Quidam vero distinguunt eas secundum tres animæ vires, ut dicantur tres aureolæ tribus præcipuis actibus trium virium animæ correspondere. Potissimus quippe actus potentiæ rationalis est, veritatem fidei ac salutis aliis communicare : cui actui confertur doctorum aureola. Po- B tissimus autem actus irascibilis est, mortem pro Deo tolerare ac vincere : cui debetur aureola martyrum. Potissimus demum concupiscibilis potentiæ actus est, a delectationibus maximis totaliter abstinere : cui actui debetur aureola virginum. — Alii distinguunt aureolas secundum ea quibus Christo potissime conformamur. Ipse enim mediator fuit inter Patrem et mundum. Fuit igitur doctor, secundum quod veritatem quam a Patre accepit, hominibus prædicavit. Fuit et martyr, per- C secutiones et mortem a mundo propter justitiam sustinendo. Fuit et virgo excellentissime. Sicque in his sibi præcipue conformantur virgines, martyres et doctores.

Ad secundum quæsitum dicendum, quod præeminentia aureolarum ad invicem, dupliciter sumitur. Primo ex parte pugnæ, ut aureola illa sit dignior, quæ graviori pugnæ debetur : ut est imprimis aureola martyrum, quia ipsorum pugna est fortior secundum se ipsam, et vehementius affli- D gens; deinde aureola virginum, quoniam pugna carnis est periculosior, in quantum est diuturnior, et ab hoste magis domestico ac vicino. Secundo, ex parte eorum de quibus est pugna : sicque aureola doctorum est potior, quia hujusmodi pugna versatur circa intelligibilia bona, aliæ autem pugnæ circa sensibiles passiones. Verum eminentia ex parte pugnæ essentialior exsistit aureolæ, quia aureola ex propria ratione respicit pugnam atque victoriam. Difficultas etiam pugnæ quæ attenditur ex parte ipsius pugnæ, est potior quam illa quæ ex parte nostri attenditur in quantum est nobis vicinior. Itaque simpliciter loquendo, aureola martyrum major est, et in commemoratione Sanctorum, martyres doctoribus atque virginibus præordinantur. Attamen quantum ad aliquid, nil prohibet alias aureolas esse eminentiores. Hoc quoque est evidens, quod unus Sanctorum excellentius alio habet aureolas istas, aut minus, secundum quod magis aut minus meruit eas. Meritum autem aureolæ potest intendi dupliciter : primo, ex parte radicis; secundo, ex parte operis. Et intensioni quæ est ex parte radicis, videlicet caritatis, correspondet intensio seu augmentum aureæ; intensioni autem quæ est ex parte operis, intensio correspondet aureolæ. — Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Richardus, et addit : In Beatis est præmium essentiale, habens pro objecto bonum increatum; et præmium accidentale, habens pro objecto bonum creatum. Et vocatur accidentale : non quia accidens, quia sic etiam præmium essentiale diceretur accidentale; sed quia non pertinet ad essentiam beatitudinis animæ, imo sine illo anima esset beata beatifica fruitione. Itaque beatitudo corporis pertinet ad accidentale præmium animæ, sed est essentiale præmium corporis, quod sine illo non posset esse beatum. — Porro non omne præmium accidentale est aureola, sed illud dumtaxat quod habetur de opere privilegiato ac arduo, sicut expositum est. Cf. p. 439 B'. Sunt autem et alia multa accidentalia præmia de operibus virtutum non privilegiatis. — In Christo autem sunt aureolæ quantum ad id quod sunt, non sub ratione aureolæ, utpote prout aureola est quædam remuneratio militi data a principe, quum ipsemet Christus sit militum Dei princeps. — Nec in angelis aureola habet locum, quum sine difficultate et labore exsequantur cuncta quæ eis incumbunt.

Sed quæri potest, utrum Beati habebunt

aliquod præmium accidentale pro operibus bonis quæ fecerunt in peccato mortali. Et respondendum, quod sicut pœna est duplex, puta, quædam inflicta a judice; et alia acta ab ipso peccante, qui peccando sibimet nocet et se ipsum deordinat : sic duplex est gaudium accidentale in Beatis, unum a Deo receptum, misericorditer præmiante opera facta ex caritate; aliud actum a Beato, qui recogitando quæ gessit, complacentiam habet etiam quod talia bona peregit. Primumque gaudium magis habet rationem præmii quam istud secundum, et primum illud multo præclarius est et magis intensum.

Quæritur rursus, an quilibet Beatus tantum gaudeat de bono proximi sui quantum de suo. Dicendum, quod in patria ordo permanet caritatis. Quumque clarum sit quod Beati plus gaudeant de bono illius quem amplius diligunt, plus gaudent de bono proprio quam de bono alterius, quoniam unusquisque eorum post Deum maxime diligit semetipsum quantum ad actus intensionem, prout caritatis exigit ordo. Hinc Linus plus gaudet de sua felicitate et gloria, quam de felicitate et gloria Petri, quamvis forsitan Petrus propter majorem gaudendi virtutem, magis gaudeat de bono Lini quam ipsemet Linus de proprio bono. — Hæc Richardus.

De præfatis demum aureolis scribit Bonaventura in Breviloquio, capitulo ultimo : Quoniam præmiatio illa finalis, fieri debet secundum quod exigit retributio justa, productio virtuosa, gubernatio ordinata, et etiam reparatio gloriosa; et in diversis Christi membris diversa sunt charismata gratiarum, non solum quantum ad dona interiora, sed etiam quantum ad exercitia exteriora; nec solum quantum ad habitus, verum etiam quoad status; et non solum quantum ad perfectionem caritatis in mente, verum etiam quoad perfectionis decorem et pulchritudinem in opere corporali : hinc aliquibus Christi membris non solum debetur stola animæ cum tribus dotibus ejus, et stola corporis cum qua- A tuor dotibus suis, verum etiam excellentia quædam gaudii ac decoris propter excellentiam perfectionis ac pulchritudinis habitæ in opere virtuoso. Quumque triplex sit opus præcellenter perfectum ac pulchrum, spirituali formositate venustum secundum triplicem vim animæ, puta : rationalem, ad quam pertinet prædicatio veritatis, perducens alios ad salutem; et concupiscibilem, ad quam pertinet declinatio concupiscentiarum per integritatem perpetuam continentiæ virginalis; ac irascibilem, B ad quam spectat perpessio mortis ad Dei honorem : hinc tribus justorum generibus, scilicet, prædicatoribus, martyribus, virginibus, debetur excellentia præmii accidentalis, quæ aureola nominatur. Quod facit non solum ad decorem animæ, verum etiam corporis : quia non redditur tantummodo voluntati, sed et extrinseco operi, substernens sibi meritum ac præmium caritatis, quod in septiformi dote consistit, videlicet, triplici animæ atque quadruplici corporis, in quibus clauditur C consummatio, integritas, plenitudo universorum bonorum ad gloriæ complementum spectantium. Hæc Bonaventura.

Præterea ad hæc pertinet quæstio quam secundo Quodlibeto movet Henricus, videlicet : utrum digni licentiari in theologia q. 12. qui non licentiantur, aureolam adipiscantur. Respondet : Ad promerendum aureolam plus respicitur actus quo homo meretur, quam status. Nempe cujuscumque conditionis aut status sit homo, si pro fide atque justitia mortem sustineat, meretur D aureolam martyrum. Similiter cujuscumque status vel conditionis sit virgo, si pudicitiam virginalem propter Deum custodit ex proposito jugiter sic manendi, meretur aureolam virginum. Similiter ergo docens alios verbo prædicationis aut lectionis, quatenus per viam veritatis eos ad vitam perducat æternam, cujuscumque sit status, sive magister, sive non, meretur doctorum aureolam. In talibus enim consideratur actus magis quam status. Itaque si quis dignus sit ad magisterium promo-

veri, quamvis non promoveatur, tamen si docet, ut dictum est, meretur aureolam; et quamvis non esset dignus gradu magisterii in theologia, attamen prædicando atque docendo posset aureolam promereri. Si autem per hoc quod non promovetur neque admittitur ad magisterii gradum, impeditur ab actu docendi ac prædicandi, quamvis ad hoc bonam habeat voluntatem, quamvis pro bona et caritativa sua voluntate remuneretur præmio essentiali, non tamen meretur neque sortitur aureolam : quia ad promerendum aureolam non sufficit bona voluntas, sed requiritur actus, ut credo; quod tamen in se bonam continet quæstionem. Hæc Henricus.

Ex præhabitis inferunt quidam, quod in Beatis ita se habet aureola, velut si regio diademati superponatur sertum de floribus speciosis.

Postremo his consonant, et ad clariorem horum intelligentiam valent ea quæ scribit Guillelmus libro de Universo, generalius tamen loquens quam dicta de aureolis exigunt : Certum est, inquiens, quod quanto sanctiores sunt mentes creatæ, tanto intensius cupiunt lumen primæ increatæque veritatis, suavitatem quoque et degustationem summæ et incomparabilis bonitatis. Idcirco in vita præsenti affliguntur fame et siti illius, sicut dixit Propheta : Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; et denuo, Anima mea sicut terra sine aqua tibi. In ipso igitur Creatore finis et quies est ultimata, qui hanc virtutem ac largitatem contulit multis substantiis naturalibus, ut sua applicatione et contactu assimilent sibi receptiva virium seu virtutum suarum et actionum, ut patet in igne ferrum sibi assimilante; et omnis species speculum sibi objectum, si mundum ac tersum fuerit, expressissime sibi assimilat, similitudinem suam imprimens illi. Sic in odoribus et saporibus aliisque innumerabilibus rebus se habet. Quanto plus virtus et largitas Creatoris perfecta et penitus infinita, assimilabit sibi animas beatas immediate ultimata ac proxi-

Ps. xli, 3. Ps. cxlii, 6.

A ma approximatione sibi conjunctas, ut non solum sint deificatæ, sed etiam dii ac deæ? Imo si viri sancti in ista peregrinatione ex permodica approximatione ad Deum huic vitæ possibili dii vocati sunt, juxta illud, Ego dixi, dii estis; quanto plus ex illa beatifica approximatione ineffabiliter pleniori deificantur? Nemo enim intelligens, dubitat gloriam incomparabiliter eminentiorem gratia esse : quod manifestum est inde, quod nec stillam gloriæ sustinere potest vitæ hujus infirmitas. Amplius, si B pulchritudines, bonitates et suavitates sensibilium rerum ita in se rapiunt animas hominum, ut præ amore insanire quodammodo videantur; quid factura est pulchritudo Creatoris et bonitas ac dulcedo ipsius, quas nec attingit admiratio, nec ulla æstimatio comprehendit? Differt autem, quoniam amor hujusmodi ad creata, et unio animarum nostrarum ad sensibilia, ebrietas est, imo insania, captivitas et excæcatio earumdem; illa vero illuminatio est earum.

Ps. lxxxi, 6.

C Denique, sicut immensitas munificentiæ Dei altissimi redundantissime se effundit in animas gloriosas; sic et animæ beatæ in corpora sua divitias claritatis ac gloriæ effluent, atque internæ jucunditatis immensitas in corpora glorificata copiosissime redundabit. Et quanto corpora ipsa in hac vita animabus laboriosius ac fidelius, promptius ac perfectius sunt cooperata, imo etiam et compassa; eo gloria animarum felicius atque splendidius relucebit et exuberabit in ipsis corporibus. D Quod facile est pensare ex hoc, quod etiam in hac vita dispositio bona in mente tam cito ac evidenter refulget in facie, et interna serenitas, devotionis dulcedo, conscientiæ puræ serenitas, consolatio et gratiosa præsentia Spiritus Sancti tam celeriter ac delectabiliter resplendent in vultu, et in totum corpus redundant. Hinc enim spiritus tristis exsiccat ossa, et animus gaudens ætatem floridam facit. Et sapientia hominis lucet in facie ejus, atque ab occursu faciei cognoscitur vere sensatus.

Prov. xvii, 22. Eccle. viii, 1. Eccli. xix, 26.

Ps. xxvii, 7. Hinc dixit Propheta : In ipso speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea. Quum itaque amor et bonitas, pulchritudo, amœnitas et dulcedo Creatoris, tam validissime et incomparabiliter attrahat sibi et quasi absorbeat in se mentes civium supernorum, et incomparabiliter dulcius jucundiusque eas afficiat quam quæcumque objecta sæculi hujus; constat quod cuncta ista carnalia vehementissime vilipendant ac respuant. Hinc constat quod paradisum carnalium deliciarum penitus detestentur; nec possibile est hujusmodi paradisum Sanctis dari pro præmio, quum et in vita præsenti ex aliquantula degustatione dulcedinis Dei, carnalia habeantur fastidio. Unde innotescit carnalitas, stultitia, excæcatio Sarracenorum carnalem exspectantium paradisum, infinitaque vilitas, turpitudo, damnatio impiissimi Mahometi. — Hæc Guillelmus in libro præfato, et partim in libro de Fide et legibus, ubi de his plenius pertractatur.

QUÆSTIO X

Jam quæritur, **Quid sit fructus, et quomodo ab aureola differat ; atque de triplici parte seu specie ejus.**

Videtur quod fructus et aureola idem sint. Nam fructus centesimus correspondet virginitati; similiter aureola una. — Item fructus videtur idem quod delectatio. Aureola autem gaudium mentis est. Delectatio vero et gaudium idem sunt. — Item, super illud Apostoli, Alia claritas solis, alia lunæ, habetur in Glossa : Claritati solis illorum dignitas comparatur, qui centesimum fructum habent; claritati vero lunari, qui sexagesimum; claritati autem stellarum, qui tricesimum. (I Cor. xv, 41.)

Circa hæc asserit Thomas, primo respondens ad hoc, utrum aureola differt a fructu : Ea quæ metaphorice dicuntur, A varie accipi possunt secundum varias adaptationes ad rerum proprietates a quibus transumptio sumitur. Quumque in corporalibus fructus dicatur de terræ nascentibus, hinc secundum diversas conditiones quæ in corporalibus fructibus inveniuntur, fructus spiritualiter diversimode capitur. Fructus namque corporalis dulcedinem habet, qua reficit, secundum quod in usum hominum venit; estque ultimum ad quod naturæ operatio se extendit; est etiam id quod exspectatur ex agricultura. B Quandoque itaque fructus spiritualiter sumitur pro eo quod reficit tanquam ultimus finis : et sic Sancti dicuntur Deo frui perfecte in patria, imperfecte in via; et ex hac significatione accipitur fruitio quæ est dos. Et ita de fructibus modo non loquimur. Interdum fructus spiritualiter sumitur pro eo quod reficit tantum, quamvis non sit ultimus finis : sicque virtutes vocantur fructus, in quantum mentem sincera delectatione reficiunt, ut ait Ambrosius. Et sic fructus accipitur ad Galatas : C Fructus autem spiritus, caritas, gaudium, pax, etc. Nec sic de fructibus modo est mentio. (Galat. v, 22.) Potest etiam accipi fructus spiritualis ad corporalis similitudinem fructus, in quantum corporalis fructus est commodum quoddam quod ex labore agriculturæ exspectatur, ut sic fructus dicatur præmium illud quod homo consequitur in hac vita ex labore quo laborat sub sole : sicque omne præmium quod in futuro habebitur ex laboribus nostris virtuosis, fructus vocatur. Et ita accipitur ad Romanos, D quo habetur : Habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem vero, vitam æternam. (Rom. vi, 22.) Nec sic de fructu nunc agimus, sed prout consurgit ex semine. Sic enim Dominus de semine loquitur apud Matthæum, ubi dividit fructum in centesimum, sexagesimum, tricesimum. (Matth. xiii, 8.) Fructus autem secundum hoc potest prodire ex semine, secundum quod vis sementiva est efficax ad convertendum humorem terræ in suam naturam; et quanto hæc vis est efficacior, et terra ad hoc paratior, tanto sequitur

fructus uberior. Porro spirituale semen quod seminatur in nobis, est verbum Dei. Hinc quanto plus quis in spiritualitatem convertitur, recedens a carne, tanto major fructus verbi Dei in ipso est. Secundum hoc ergo fructus differt ab aurea atque aureola, quoniam aurea consistit in gaudio concepto de Deo; aureola in habito gaudio ex operum perfectione; fructus vero in gaudio quod habetur de dispositione operantis, secundum gradum spiritualitatis in quem proficit ex semine verbi Dei.

Quidam autem distinguunt inter fructum et aureolam, dicentes quod aureola
II *Tim.* II, 5. debetur pugnanti, juxta illud Apostoli, Non coronabitur nisi qui legitime certaverit;
Sap. III, 15. fructus laboranti, juxta illud, Bonorum laborum gloriosus est fructus. Alii dicunt, quod aurea respicit conversionem ad Deum, fructus et aureola ea quæ sunt ad finem : ita quod fructus principalius respicit voluntatem, aureola corpus. Sed quum in eodem sit labor et pugna, et secundum idem, et præmium corporis ex præmio dependeat animæ; non esset differentia inter auream et aureolam ac fructum nisi secundum rationem : quod esse non valet, quum quibusdam assignetur fructus quibus non assignatur aureola.

Itaque ad objecta dicendum, non esse inconveniens, eidem merito secundum diversa quæ in ipso sunt, præmia correspondere diversa. Unde virginitati datur aurea, prout ex caritate servatur; aureola, prout est opus perfectionis, habens victoriam excellentem; fructus quoque, secundum quod homo per virginitatem transit in quamdam spiritualitatem. — Glossa autem præallegata, aliter sumit fructum quam sumitur hic, utpote large, secundum quod quælibet remuneratio fructus vocatur. Quamvis etiam fructus et aureola conveniunt genere, quia utrumque est gaudium quoddam secundum modum prætactum; non tamen simpliciter idem sunt, sicut nec homo et leo.

Quæritur item, an fructus debeatur virtuti continentiæ tantum. Dicendum quod
A imo. Dictum est enim, quod fructus est quoddam præmium homini debitum ex hoc, quod a vita carnali transit in spiritualem : quod per continentiam specialiter agitur, quia per eam concupiscentiis dominamur, et a voluptate retrahimur, per quam homo in tantum subjicitur carni, quod in actu carnali spiritus prophetiæ nunquam tetigerit mentes prophetarum, secundum Hieronymum; nec durante illa delectatione possibile est intelligere aliquid, ut ait Philosophus septimo Ethico-
B rum. Hinc potissime adscribitur fructus virtuti continentiæ.

Ad id vero quod quæritur de partibus seu speciebus fructus, respondendum, quod secundum diversum modum et gradum spiritualitatis quem continentia parit in nobis, diversi fructus distinguuntur. Est enim spiritualitas quædam necessaria, quædam superabundans. Necessaria est, ut rectitudo rationis ex delectatione carnis non pervertatur : quod fit, dum homo secundum rectum ordinem rationis utitur dele-
C ctationibus carnis; et hæc est spiritualitas conjugatorum. Spiritualitas superabundans est, per quam a concupiscentiis et delectationibus illis omnino se abstrahit. Et hoc dupliciter contingit : vel secundum omne tempus, et hæc est spiritualitas virginum; vel secundum aliquod tempus, et hæc est spiritualitas viduarum. Servantibus ergo continentiam conjugalem, datur tricesimus; vidualem, sexagesimus; virginalem, centesimus, ratione quam Beda assignat, quamvis possit et alia assignari ex
D ipsa ratione numerorum. Tricesimus enim numerus ex ductu ternarii in denarium surgit. Ternarius vero est numerus omnis rei, ut dicitur primo Cœli, et habet in se perfectionem omni rei communem, videlicet, principium, medium et finem : hinc convenienter conjugatis deputatur, in quibus ultra communem observationem Decalogi, qui per denarium designatur, non additur aliqua perfectio nisi communis, videlicet infima ista spiritualitas continentiæ conjugalis, sine qua eis esse non

valet salus. Porro senarius, ex cujus du- A ctu in denarium surgit sexagenarius, habet perfectionem ex partibus, quum constet ex omnibus partibus suis aggregatis : ideo correspondet viduitati, in qua est perfecta abstractio a delectationibus carnis, quantum ad omnes circumstantias, quæ sunt quasi partes actus virtuosi. Cum nulla enim persona et nullo tempore viduitas utitur delectabilibus carnis, et ita de circumstantiis ceteris. Centenarius autem correspondet virginitati, quia denarius, ex cujus ductu centenarius surgit, limes est B numerorum, sicut virginitas limes est spiritualitatis. Habet namque centenarius, in quantum quadratus est numerus, perfectionem ex figura, quia figura quadrata ex hoc perfecta est, quod ex omni parte habet æqualitatem, utpote habens æqualia omnia latera sua : propter quod competit virginitati, in qua quantum ad omne tempus incorruptio æqualiter invenitur.

Verumtamen non oportet quod in omni salvando sit aliquis fructus, ut patet de incontinentibus in fine pœnitentibus. — At C vero distinctio fructuum accipitur potius secundum numerorum species aut figuras, quam secundum eorum quantitates. Tamen etiam quantum ad quantitatis excessum potest aliqua ratio assignari. Conjugatus namque abstinet tantum a non sua; vidua vero a suo et non suo : sicque invenitur ibi quædam ratio dupli, quemadmodum sexagenarius est duplex ad tricenarium. Centenarius autem ultra sexagenarium addit et quadragenarium, qui consurgit ex ductu quaternarii in dena- D rium. Quaternarius quoque est primus numerus solidus et cubicus. Sicque convenit talis conditio virginitati, quæ supra perfectionem viduitatis, incorruptionem addit perpetuam. — Quemadmodum autem Beda testatur, fructus tricesimus debetur conjugatis : quia in repræsentatione quæ fit in abaco, triginta significatur per contactum pollicis et indicis secundum eorum summitatem, et sic ibi quodammodo se osculantur; unde tricenarius numerus oscula conjugatorum designat. Sexagenarius vero numerus significatur per contactum indicis super medium articulum pollicis : sicque per hoc quod index super pollicem ponitur opprimens eum, significat oppressionem quam viduæ patiuntur in mundo. Quumque ad centenarium numerando pervenimus, transimus a læva in dexteram : unde per centenarium virginitas designatur, quæ habet portionem angelicæ dignitatis, quæ est in dextera, hoc est in gloria; nos vero in sinistra propter imperfectionem vitæ præsentis. Et quamvis repræsentatio hæc numerorum sit ex institutione humana, fundatur tamen aliquo modo super rerum naturam, in quantum secundum ordinem digitorum et articulorum atque contactuum, numeri gradatim designantur. — Hæc Thomas in Scripto.

Præterea Henricus septimo Quodlibeto concordat his, respondendo ad istud, utrum q. 11. numerus tricesimus approprietur conjugatis, sexagesimus viduis, centesimus virginibus : Hi (dicens) numeri non approprientur statibus illis ex natura aliqua rei, sed ex similitudine et proportione quadam in illorum numerorum compositione ac modo vivendi in statibus illis. Duplex quippe est modus vivendi, secundum quod duplex est vita, puta, activa et contemplativa : quarum prima pertinet ad vitam præsentis miseriæ; secunda, ad vitam beatam in gloria. Fuitque inchoata in statu innocentiæ, sed intermissa, homine propter peccatum de paradiso expulso. Vita autem activa est imperfecta in genere suo, et habet duplicem statum, videlicet : infimum, qui est conjugatorum; et superiorem, continentium, qui in duplici statu sunt, utpote, viduali et virginali. Quumque vita conjugalium in observantia consistat Decalogi ex fide Trinitatis, ut opera procedant ex fide et fides vivificetur per opera, ternarius fidei quasi multiplicatur per denarium mandatorum; et multiplicatio denarii per ternarium, et econtrario, consurgit in tricesimum numerum. Et quoniam infimus gradus vitæ activæ consistit

in Decalogi observatione ex fide Trinitatis, sine qua non est salus; ideo tricesimus huic infimo gradui et statui conjugalium appropriatur. Sed gradus vidualis illo superior, non solum in Decalogi observantia simplici ex fide Trinitatis consistit, sed in observantia ejus perfecta : et perfectio operum per senarium designatur, quia secundum legem sex diebus quibus licet operari, vita præsens decurrit. In perfecta autem observantia operum, opera perfectionem generant, atque ex generata perfectione opera perfecta procedunt. Sicque senarius perfectus quasi multiplicatur per denarium operum. Multiplicatio vero denarii per senarium, et econtrario, exsurgit in sexagesimum numerum, qui ob hoc recte statui viduarum appropriatur. Et quoniam status altior illo, videlicet virginalis, ab actione se transfert ad contemplationem, in qua vitæ humanæ perfectio consummatur, quasi denario mandatorum in se ipsum deducto, ex qua deductione consurgit centenarius numerus; ideo dispositioni vitæ perfectæ contemplativæ in virginibus appropriatur. Et ista responsio seu expositio est moralis. Alia vero magis est litteralis, accepta ex modo formandi numeros designantes præmia dicta. Tricesimus enim appropriatur conjugatis propter molle osculum seu contactum digitorum quibus formatur, qualem exercere solent conjugati. Sexagesimus autem appropriatur viduis propter compressionem digitorum quibus formatur : vita enim viduarum in afflictione et compressione habet consistere. Centenarius vero appropriatur virginibus propter circulum quem perficit ubi formatur, quo virginalis corona exprimitur. — Hæc Henricus. Qui Quodlibe-
q. 12. to sciscitatur eodem, de transitu numeri tricesimi in sexagesimum, a dextera in sinistram : ad quod prolixe respondet, magistraliter tamen; quod brevitati studens dimitto, quia nec multum ad propositum pertinet.

Primo quoque Quodlibeto interrogat,
q. 36. quomodo intelligatur illud Hieronymi de

A numero centesimo, quod incipit a dextera, et tendit ad lævam, et rursus redit ad dexteram. Ad quod respondet : In tractatu Computus, distinguitur numerus triplex, videlicet, numerus articulus, numerus digitus, et numerus ex utroque compositus. Numerus articulus, sicut iste, unus, duo, tres, etc., usque decem, qui est primus numerus digitus, a quo incipit primus numerus compositus ex articulo et digito, undecim, duodecim, etc., usque viginti, qui est secundus numerus digitus, a quo cum
B articulis erunt secundi numeri compositi usque triginta, qui est tertius numerus digitus, sicque deinceps usque ad centum, qui est decimus digitus. Et appellatur numerus articulus, et numerus digitus, transumptive a digito atque articulo manus, in quibus antiquitus consuevit computatio fieri. Denarius namque numerus dicitur digitus, quia in quolibet digito manus (qui sunt quinque, pollex, index, medius, medicus, et auricularis), a trunco brachii usque ad digiti extremitatem sunt quatuor
C articuli : unus transiens per palmam manus, in qua digiti non separantur, et alii tres usque ad digiti extremitatem, secundum quos digiti sunt ab invicem separati. Hi quoque quatuor articuli sunt intervalla inter quinque divisiones. Semper enim in uno divisiones excedunt intervalla, ut ait Philosophus in libro Priorum. Denique istarum quinque divisionum duæ sunt in extremitatibus digitorum : una in extremitate, in trunco brachii; altera in extremitate opposita, in fine digiti. Tres autem
D aliæ divisiones sunt infra digitum in juncturis articulorum. Unde antiqui facientes computos suos in digitis manus, numeros articulos appellabant illos qui signabantur super digiti et articulorum divisiones, et faciebant computum in manu super divisiones prædictas, et intra manum et extra, bis tangendo in numerando quamlibet divisionem. Quumque in quolibet digito sint quinque divisiones, tangendo in numerando quamlibet divisionem bis, semel intra manum, et semel extra, numerabant in

quolibet digito bis quinque, et appellabant totum illum numerum digitum, quoniam super omnes divisiones digiti intus et extra acceptus fuit. Quumque in duabus manibus decem sint digiti, numerabantur in duabus manibus centum : et sic numerus excrescens, incipiendo numerare ab extremitate pollicis manus dextræ exterius in trunco brachii, discurrendo per omnes divisiones pollicis usque ad ejus extremitatem interius in brachii trunco, sicque per ceteros digitos quousque deveniatur ad extremitatem auricularii manus sinistræ in parte interiori in trunco brachii, excrescit numerus centenarius, incipiendo computum a principio pollicis manus dextræ exterius usque in principium auricularii manus sinistræ interius, bis signando numerum super quamlibet juncturam cujuslibet digiti : in hoc antiqui assignabant perfectionem numeri centenarii. Quod si ulterius oportet procedere numerando, oportet incipere a primo articulo et ab unitate, quoniam ultra centum computando non procedit compositio numerorum, sicque oportebit ulteriorem computum reverti ad dexteram, et iterato incipere ubi et prius, et ordine eodem procedere. Et hoc est, ut puto, quod Hieronymus et Beda intelligunt circa perfectionem numeri centenarii, quod incipit a dextra et terminatur in lævam, et hinc revertitur rursus in dexteram, si debeat ulterior computatio fieri numerorum. Hæc ille.

DISTINCTIO L

A. *Si mali in inferno peccabunt.*

Cf. dist. XLIX A.

HIC oritur quæstio, ex præmissis ducens originem. Supra enim Augustinus loquens de malis in inferno damnatis, et de bonis in cœlo glorificatis, dixit, quod nec bonis voluntas nec malis facultas esse peccandi poterit. Et de bonis quidem constat; sed de malis, a quibus voluntatem malam non removet, quæritur, quomodo sit verum eos non posse peccare, imo quomodo verum sit eos non peccare, quum malam habeant voluntatem. Quidam autumant, illam voluntatem non esse peccatum, sed supplicium tantum. Alii vero peccatum esse fatentur, sed per illud eos non mereri aliquam pœnam, quia non est ibi locus merendi. Illud ergo peccatum dicunt non esse meritum supplicii, sed supplicium mali meriti quod in hac vita præcessit. De hoc autem Augustinus ita dicit : Tempus acquirendi vitam æternam in hac tantum vita Deus hominibus dedit, ubi voluit etiam pœnitentiam esse fructuosam. Ideo hic pœnitentia fructuosa est, quia potest hic homo, deposita nequitia, bene vivere, et mutata voluntate, merita simulque opera mutare, et ea gerere quæ Deo placeant. Quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Domini non inveniet : quia etsi erit stimulus pœnitudinis, tamen nulla erit ibi correctio voluntatis. A talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit vel diligi vel desiderari justitia. Voluntas enim eorum talis erit, ut habeat semper in se malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen recipere possit bonitatis affe-

Fulgent. de Fide ad Petrum, n. 38.

ctum : quia sicut illi qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt, ita illi qui erunt in supplicio æterni ignis cum diabolo et angelis ejus deputati, sicut nullam habebunt ulterius requiem, sic bonam nullatenus poterunt habere voluntatem; et sicut coheredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam, ita consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiori lumine veritatis. — Ex his apparet, reprobos in inferno pœnitentiam sic gesturos, ut per eam pravam voluntatem non deserant; et illa maligna voluntas erit eis ad cumulum pœnæ, per quam tamen non merebuntur, quia nullus meretur nisi in hac vita.

B. *Quare dicuntur tenebræ exteriores.*

Hic quæri potest, quare illæ tenebræ quibus involventur mali in gehenna, dicuntur tenebræ exteriores. Quia tunc mali penitus extra lucem corporalem et spiritualem, scilicet Deum, erunt. Nunc enim etsi patiantur tenebras in cæcitate mentis, non tamen penitus extra lucem Dei sunt, nec corporali luce privantur. De hoc Augustinus sic ait : Ira Dei in judicio erit, et hic est in cæcitate mentis, quum Aug. in ps.
dantur mali in reprobum sensum. Ibi exteriores tenebræ erunt, quia tunc peccatores 6, n. 8.
penitus erunt extra Deum. Quid est enim penitus esse extra Deum, nisi esse in summa cæcitate? Siquidem habitat Deus lucem inaccessibilem. Hæ autem tenebræ I *Tim.* VI, 16.
hic jam incipiunt in peccante, quum ab interiori Dei luce secluditur; sed non penitus dum in hac vita est. — Ecce quare ibi peccator dicitur pati exteriores tenebras, et non hic : quia ibi secludetur penitus a luce Dei, quod non hic. — Sed quomodo intelligenda est illa seclusio? An quia non videbunt Deum per speciem? Sed nec aliquis videt hic Deum per speciem. An per dissimilitudinem quam facit peccatum inter Deum et hominem? Sed et hic multi per gravia peccata elongantur a Deo. An quia Deum odiunt, ita ut velint eum non esse? Sed et hic multi Deum oderunt, de quibus scriptum est : Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Quæ est *Ps.* LXXIII,
ergo illa elongatio? Sane exteriores tenebræ intelligi possunt quædam malignitas odii 23.
et voluntatis, quæ tunc excrescet in mentibus reproborum, et quædam oblivio Dei, quia tormentorum interiorum et exteriorum doloribus adeo afficientur et turbabuntur, ut ab illis ad cogitandum aliquid de Deo vix vel raro vel nunquam mentem revocent : ut qui nimio premuntur pondere, adeo stupescunt et turbantur, ut interim in aliam cogitationem non se extendant; sed illuc tendit impetus cogitationis ubi sentitur vis doloris. Sed in hac vita nullus adeo malus est, ut penitus secludatur a cogitatione Dei : quia nec perdit appetitum beatitudinis et quemdam boni amorem, quem naturaliter habet rationalis creatura. Illas autem exteriores et profundissimas tenebras reprobos perpessuros post judicium, dicit Augustinus, opponens de illo Aug. op. cit.
divite qui in inferno positus, elevans oculos, vidit Abraham et in sinu ejus Laza- n. 6. *Luc.* XVI,
rum : cujus comparatione coactus est confiteri mala sua usque adeo, ut et fratres 23, 24, 28.

roget ab his præmoneri : quod ante judicium factum legitur. Sed post judicium in profundioribus tenebris erunt impii, ubi nullam Dei lucem videbunt cui confiteantur.

C. *De animabus damnatorum, si quam habent notitiam eorum quæ hic fiunt.*

Præterea quæri solet, si reproborum animæ quæ nunc in inferno cruciantur, notitiam habeant eorum quæ circa suos in hac vita geruntur, et si aliquo modo doleant super infortuniis suorum carorum. Hanc quæstionem Augustinus commemorat, ex parte eam explicans, ex parte vero insolutam relinquens. Ait enim :

Aug. in ps. 108, n. 17. Quærit aliquis, an ullus dolor tangat mortuos de his quæ in suis post mortem contingunt, vel quomodo ea quæ circa nos aguntur noverint spiritus defunctorum. Cui respondeo magnam esse quæstionem, nec in præsenti disserendam. Verumtamen breviter dici potest, quod est cura mortuis de suis caris : ut de divite legitur, qui dum tormenta apud inferos pateretur, levavit oculos ad Abraham, et inter alia dixit:

Luc. XVI, 28. Habeo enim quinque fratres; mitte aliquem ex mortuis ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Habent enim mortui curam de vivis quos sciunt vivere : quia nec in locis pœnarum vident eos, ubi dives sine fratribus erat; nec in requie Beatorum, ubi Lazarum et Abraham, quamvis a longe, agnoscebat. Non tamen ideo consequens est eos scire quæ circa caros suos aguntur hic, vel læta vel tristia.

D. *Quomodo accipienda sunt quæ de Lazaro et divite leguntur.*

Si quis autem quærat, quomodo intelligatur quod de Lazaro et divite legitur,

Aug. de Genesi ad litt. lib. VIII, n. 9. audiat Augustini responsum dicentis : Si quis putat animas corpore exutas, locis corporalibus contineri, quum sint sine corpore, non deerunt qui faveant, et divitem sitientem in loco corporali fuisse contendant, ipsamque animam corpoream præparasse linguam, et stillam de Lazari digito cupiisse. Sed melius est dubitare de occultis quam litigare de incertis. Divitem in supplicio, pauperem in refrigerio esse non dubito. Sed quomodo intelligatur divitis lingua, digitus Lazari, flamma inferni, sinus Abrahæ, et hujusmodi, vix a mansuetis, et a contentiosis nunquam invenitur.

E. *Si se vident boni et mali.*

Hugo, de Sacram. lib. II, p. XVIII, c. 3. Solet etiam quæri, utrum vicissim se videant illi qui sunt in inferno, et illi qui sunt in gloria. Sicut Sancti tradunt, et boni malos et mali bonos vident usque ad judicium; post judicium vero boni videbunt malos, sed non mali bonos. Unde

Gregor. in Evang. hom. 40, n. 2. Gregorius : Infideles in imo positi, ante diem judicii fideles super se in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non possunt.

F. *De chao inter bonos et malos.*

Sed quum Sancti malos in tormentis videant, nonne aliqua compassione erga eos moventur? Nonne eos de tormentis liberari cupiunt? Recole illud evangelicum quod Abraham diviti respondit : Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Quid est illud chaos inter bonos et malos, nisi hinc justitia, inde iniquitas, quæ nullatenus sociari valent? Adeo enim Sancti Dei justitiæ addicti sunt, ut nulla compassione ad reprobos transire valeant, nulla pro eis inter Sanctos fiat intercessio. Quomodo ergo inde volunt aliqui transire ad illos, sed non possunt? Quia si Dei justitia admitteret, non fieret eis molesta liberatio eorum. Vel ita dicuntur velle et non posse, non quia velint et non possint, sed quia etsi vellent, non possent eos juvare. De hoc ita Gregorius ait : Sicut reprobi a pœnis ad gloriam Sanctorum transire volunt et non possunt; ita et justi per misericordiam mente ire volunt ad positos in tormentis ut eos liberent, sed non possunt : quia justorum animæ etsi in naturæ suæ bonitate misericordiam habent, jam tunc auctoris sui justitiæ conjunctæ, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur.

Luc. XVI, 26.

Gregor. in Evang. hom. 40, n. 7.

G. *Quod visa impiorum pœna non minuit Beatorum gloriam.*

Postremo quæritur, an pœna reproborum visa, decoloret gloriam Beatorum, an eorum beatitudini proficiat. De hoc ita Gregorius ait : Apud animum justorum non offuscat beatitudinem adspecta pœna reproborum : quia ubi jam compassio miseriæ non erit, minuere Beatorum lætitiam non valebit. Et licet justis sua gaudia sufficiant, ad majorem tamen gloriam vident pœnas malorum, quas per gratiam evaserunt : quia qui Dei claritatem vident, nil in creatura agitur quod videre non possint. Non est autem mirandum, si Sancti jam immortales, reprobos videant mentis intelligentia, quum Prophetæ mortales adhuc, videre hæc omnia meruerunt. Egredientur ergo electi non loco, sed intelligentia vel visione manifesta, ad videndum impiorum cruciatus : quos videntes non dolore afficientur, sed lætitia satiabuntur, agentes gratias de sua liberatione, visa impiorum ineffabili calamitate. Unde Isaias impiorum tormenta describens, et ex eorum visione lætitiam bonorum exprimens, ait : Egredientur, electi scilicet, et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni, id est electis. Lætabitur enim justus, quum viderit vindictam.

Ibid. n. 8.

Glossa in Is. LXVI, 24.

Is. LXVI, 24.

Ps. LVII, 11.

H. *Epitome finem operi imponens.*

Hæc de pedibus sedentis super solium excelsum, quos Seraphim duabus alis velabant, scriptori, etsi non auditori, commemorasse sufficiat, qui a facie exorsus sedentis, per media ad pedes usque, via duce, pervenit.

Is. VI, 1, 2.

SUMMA

DISTINCTIONIS QUINQUAGESIMÆ

PRÆCEDENTE distinctione tractatum est de gloria Beatorum; hic agit Magister de calamitatibus atque suppliciis reproborum. Et primo inducit quæstionem, quo intellectu asseruntur non peccare, et solvit. Secundo interrogat, qualiter dicantur esse in tenebris, imo et in tenebris exterioribus. Tertio scrutatur, qualem notitiam habeant de rebus et gestis viventium in hoc mundo, et an doleant de adversitatibus propinquorum et olim carorum suorum. Quarto inquirit, utrum damnati in inferno positi, videant Beatos in gloria, et econtra. Quinto, utrum Beati compatiantur damnatis. Ultimo sciscitatur, an tantarum miseriarum inspectio aliquo modo minuat aut offuscet gloriam electorum; an etiam de pœnis et infelicitatibus impiorum Beati aliquo modo lætentur.

QUÆSTIO PRIMA

CIrca hæc quæritur primo, **Utrum damnati ex deliberatione velint se non esse, et omnino malint non esse quam tot pœnis affligi.**

Videtur quod non, quoniam omne ens, potissime rationem habens, naturaliter appetit esse, et refugit ac abhorret non esse; quod autem inest a natura, inseparabiliter adest, nec ad oppositum quis assuescit. — Iterum, Augustinus libro de Libero arbitrio loquitur : Considera quantum bonum est esse, quod et beati ac miseri volunt. Melius enim est esse et miserum esse, quam omnino non esse. Ratio quoque Augustini ibidem est : Præelectio supponit electionem; sed non esse non est eligibile, quum nihil sit et naturaliter horreatur.

Apoc. IX, 6. In oppositum est illud in Apocalypsi : In diebus illis desiderabunt homines mori, et A fugiet mors ab eis. — Aliqui etiam in hoc mundo cupiunt, imo et inferunt sibi mortem, ut hujus vitæ evadant miserias et tormenta; quæ tamen multo minora sunt pœnis calamitatibusque inferni. — Rursus, in Ecclesiastico habetur : O mors, quam bonum est judicium tuum homini indigenti et qui minoratur viribus ! *Eccli.* XLI, 3.

Ad hoc Thomas respondet : Non esse potest dupliciter considerari. Uno modo, per se : et sic nullo modo potest appeti- B bile esse, quum nullam boni habeat rationem, imo sit pura et mera boni privatio. Secundo, in quantum est ablativum pœnæ ac terminativum miseræ vitæ : et ita, non esse rationem quamdam boni sortitur, quoniam malo carere est aliquod bonum, ut quinto Ethicorum fatetur Philosophus. Unde de proditore dixit Salvator : Bonum ei esset, si natus non fuisset homo ille. *Matth.* XXVI, 24. Et super illud Jeremiæ, Maledicta dies in qua natus sum, dicit glossa Hieronymi : *Jer.* XX, 14. Melius est non esse quam male esse. Sicque C damnati possunt eligere et præeligere non esse, etiam deliberativa ratione, quam in tot ac tantis miseriis esse. Hinc auctoritas Augustini intelligenda est, quod nec miseri possunt velle non esse per se, prout non esse est pura essendi privatio; sed per accidens appeti potest, ut est miseriæ finis atque corruptio. Unde et nono Ethicorum testatur Philosophus, quod quamvis esse ac vivere sint omnibus per se appetibilia, in quantum hujusmodi; attamen esse et vivere in miseriis, et impie vivere, D non est appetibile. Potissime autem esse et vivere in tot et tantis miseriis sine fine et sine spe evadendi, est in infinitum fugibile ac horrendum. Hæc Thomas in Scripto.

Concordat Petrus, nec addit nisi quod damnati voluntate absoluta non cupiunt non esse, sed voluntate conditionata. Et per hoc B. Augustini solvuntur auctoritates.

Porro Richardus : Damnatos, inquit, velle non esse, dupliciter intelligi potest, sci-

licet, aut voluntate naturali, aut deliberativa. Primo modo non volunt nec velle possunt non esse : quoniam esse in pœna, melius est quam nihil esse, quum in nihilitate nulla penitus sit bonitas. Et ut dicit Philosophus secundo de Generatione, in omnibus melius est desiderare naturam, loquendo de melioritate naturali. Loquendo autem de voluntate deliberativa, contingit aliquid velle tripliciter, utpote : per se et primo, item per se et non primo, atque per accidens. Primo modo, quidquid voluntas vult, vult sub ratione boni positive. Secundo modo vult carentiam mali, etiam si in illa non apprehendatur aliqua positiva ratio boni : carentia enim mali est appetibilis per se, non tamen primo, quia non appetitur nisi quoniam ordine naturæ prius appetitur bonum. Tertio modo voluntas deliberativa appetere potest non esse, in quantum ad non esse sequitur carentia mali ; sed primo et secundo modis damnati non volunt non esse, ut patet de se. Hæc Richardus.

Qui etiam quærit, utrum damnati debeant velle non esse. Ad quod respondet : In damnatis perpenditur malum culpæ in quo sunt obstinati, et malum pœnæ cui sunt perpetuo deputati. Et per respectum ad malum culpæ, potius deberent secundum rectam rationem velle non esse quam sic esse, quia magis tenentur Deum quam se ipsos diligere. Per respectum vero ad malum pœnæ, quæ justa est et a Deo inflicta, non deberent velle non esse ad hoc ut pœnam evaderent. Nobilior enim participatio Dei est esse quam gaudium : imo secundum Dionysium quinto capitulo de Divinis nominibus, inter omnes participationes divinas esse est nobilior, sumendo alias cum præcisione quantum ad illud quod dicunt ultra esse. Rursus, in non esse nullum est bonum, in pœna autem est aliquod bonum. — Hæc Richardus. Contra quæ objici posset, quod naturale est voluntati creatæ appetere gaudium, velle beatitudinem, refugere pœnam, atque optare bene esse : quibus omnibus contrariatur

A esse in tam inæstimabili calamitate sine fine et spe evasionis. Verum de his dictum est plenius super secundum, tractatu de dæmonibus. *Cf.* t. XXI, p. 390 A.

Præterea Bonaventura : Aliqui (inquit) respondent, quod damnati mallent non esse quam sic esse ; sed appetitus eorum est indiscretus, et inordinatus, atque phantasticus, quoniam appetit quod sibi nocivum est, instar febricitantis qui appetit corruptiva, qui appetitus non venit ex natura, sed ex phantastica imaginatione, quia

B existimat sibi prodesse quod nocet. Ita damnati, quia imaginantur se habituros quietem, si omnino non essent, appetunt potius non esse quam esse in pœnis. Et hoc videtur dicere Augustinus libro de Libero arbitrio. Sed et Salomon : Feliciorem (inquit) utroque judicavi eum qui nondum natus est. Et increata Sapientia protestatur : Melius erat ei, si natus non esset. — Ideo aliter est dicendum, quod non esse nullo modo est appetendum appetitui recto, similiter nec esse damnatum, aut esse *Eccle.* IV, 3. *Matth.* XXVI, 24.

C infelicem. Et si horum aliquid appetatur, phantasia est, non ordinatio naturæ : imo unumquodque eorum est fugiendum. Quumque se habeant sicut excedentia et excessa, utrumque altero magis est fugiendum diversis respectibus. Nempe quum non esse adimit totum bonum, pœna partem, magis fugiendum est quam pœna. Pœna autem quum sit diuturnior, puta æterna, conversio autem in non esse sit momentanea ; ideo quoad hoc, magis appetendum est non esse quam esse in pœ-

D nis, sicut reus potius vult decollari quam secari et uri. Simpliciter tamen loquendo, quia corruptio in non esse in infinitum excedit intensive, in infinitum (inquam) secundum proportionem, pœna vero in infinitum excedit extensive secundum veritatem ; ideo credo quod si poneretur in optione damnati seu non damnati, magis appetendum esset prorsus non esse quam in æternum torqueri, loquendo de appetitu refugiente incommodum. Nam hoc judicat mens tolerabilius esse. Verumta-

men secundum rationem boni honesti, quoniam cruciatus spiritus iniqui est ad gloriam Dei, malle debent subjacere suppliciis ad continuam Dei laudem, quam per omnimodam corruptionem illa effugere. Ipsi tamen simpliciter mallent non esse. Hæc Bonaventura.

q. 20. Insuper Henricus primo Quodlibeto : Ut omnes (inquit) hujus quæstionis sinus excutiamus, sciendum quod duplex est miseria : una pœnæ, alia culpæ. Et de utraque quæstio habet difficultatem. Et quoad miseriam pœnæ, tractat eam Augustinus libro de Libero arbitrio ; quantum ad miseriam culpæ, Philosophus quarto et nono Ethicorum. Itaque (ut recitat Augustinus) quidam dixerunt, quod non esse magis esset eligendum, quantum est ex parte eligibilis, quam esse pœnale ; et etiam ex parte eligentis, ita quod homo magis debet eligere non esse quam esse pœnale. Sed quod modo contrarium accidit, contingit ex duplici causa. Prima est, quod homo magis vult miser esse quam non esse, ne post non esse exsistat miserior : sicque minorem miseriam præfert majori. Alia est, quoniam homo dicere potest : Malo miser esse, quia jam sum, et ideo non possum aliter mihi consulere ; si autem priusquam essem, potuissem mihi aliter consulere, eligere deberem potius non esse quam miser esse. Contra istos ostendit Augustinus, quod non esse, quantum est in se, nullo modo potest esse magis eligibile quam miserum esse, sed econtra : quia non esse privat omnem rationem boni, non autem miserum esse. Secundo ostendit, quod similiter ex parte eligentis homo non debet magis eligere non esse quam miserum esse : quoniam non esse non est melius quam miserum esse ; et iterum, quoniam homo non est melior quum pertingit ad non esse, quam dum pertingit ad miserum esse. Simpliciter ergo dicendum et absolute, quod magis eligendum est esse in pœnis, et melius tam ex parte eligibilis quam ex parte eligentis, quam non esse.

Verumtamen, ne credatur quod omnino non esse, nullo modo possit magis eligi quam in pœnis esse, consequenter ostendit quomodo hoc sit possibile, et quomodo non, distinguendo quod voluntas eligere potest ut est natura, et ut est deliberativa. Et dicit, quod primo modo nequaquam potest appetere non esse, sed solum esse, qualecumque sit illud. Si vero eligat voluntas in quantum deliberativa, subdistinguit. Aut enim est deliberata recta ratione, aut falso errore decepta. Et primo modo distingui potest de non esse : quia aut est non simpliciter esse, et sic adhuc non potest plus eligere non esse quam esse pœnale, quia non esse hujusmodi, nihil habet eligibile in se, et recta ratio nihil eligit nisi eligibile secundum se ; aut est non esse in uno statu propter melius esse in alio statu, secundum quod Apostolus dixit, Cupio dissolvi et esse cum Christo : et ita potest appeti non esse hic, ut alibi melius sit. Si autem sit falsa ratione decepta, et hoc circa non esse tanquam eligibile conceptum, hoc contingit dupliciter. Aut enim ista deceptio contingit circa non esse in uno statu, propter melius esse circa ipsum in alio statu, ut putant, sicut qui se occidunt ut veniant ubi melius se habere credunt. Aut contingit circa ipsum non esse simpliciter, putando ipsum non esse, esse magis eligibile quam esse pœnale, et hoc propter rationis obnubilationem ex perturbatione pœnæ. Nempe ut asserit Augustinus, qui urgente pœnali miseria sese interimit, etiamsi nullum se futurum crediderit, falsa est electio eligentis. Nam si eligit non esse, convincitur se fateri se nihil eligere : quemadmodum Cato nolens subjici Cæsari, se peremit. Unde Augustinus super hoc suam intentionem concludens, adjecit : Ut de tota hac re dicam quid sentio, nemo quum se necat, aut quovis modo mori desiderat, intendit ibi naturalem sensum et appetitum. Quum ergo quis credens se post mortem amplius non victurum, tamen molestiis victus occidit se, tanquam melius sit omnino non esse quam pœnali-

Philipp. I, 23.

ter esse, in sensu tamen habet desiderium naturale quietis : et quod quietum est, non potest penitus nihil esse. Omnis itaque ille appetitus est in voluntate mortis, non ut qui moritur non sit, sed ut requiescat. — Hæc Henricus.

Qui consequenter videtur mentem Augustini exponere, si tamen eam rite exponit : quia ut Bonaventura insinuat, intentio Augustini esse videtur, quod nemo quantumlibet miser et angustiatus possit velle non esse simpliciter ; aut si hoc vult, hoc est ex deceptione, quia in veritate, miserum et pœnale esse eligibilius est, quam omnino non esse. Sed quid super hoc sentiendum sit, jam ex Thoma et Richardo
p. 454 A', D'. compendiose expressum est. — Consequenter Henricus prosequitur, an propter miseriam culpæ vitandam magis debeat homo eligere non esse quam esse : Super hoc, inquiens, est expressa sententia Philosophi quod sic, imo quod homo virtuosus magis debet eligere mori quam in vitio vivere, et mori in majori actu virtutis quam vivere in minori. Et circa hæc scribit hic doctor diffuse, multa hinc inde inserendo, in quibus sunt quædam incerta.

Præterea Scotus hic recitat opiniones aliorum prætactas cum earum rationibus, quas impugnat, et suam responsionem subjungens, affirmat : Nullus potest secundum rectam rationem appetere non esse. Non enim est appetendum propter miseriam pœnæ, nec propter miseriam culpæ. Primum probo. Nullus secundum rectam rationem potest appetere non esse, nisi propter fugam alterius quod simpliciter est magis vitandum quam non esse. Sed malum pœnæ non est hujusmodi malum respectu non esse, quia nullus secundum rectam rationem appetit plus non justum quam justum. Pœna autem est aliquid justum, non esse vero nihil habet de ratione justitiæ. Item nullus recta ratione potest eligere contra naturalem inclinationem consonam voluntati divinæ, seu quando voluntati divinæ conformis est ; sed ad esse est appetitus naturalis, quia melius est
A esse quam non esse, atque ad esse omnia agunt ; estque divinæ consonum voluntati, quia sicut vult rem esse, ita conservat eam in esse, et dat esse : ergo nullus potest recte eligere non esse, ad vitandum aliquid quod sit consonum voluntati divinæ ; sed pœna et esse in miseria est secundum voluntatem divinam. Hæc Scotus.

Circa quæ dico, quod non esse est potius appetendum ipsi damnato, quam in tantis esse suppliciis. Nec obstat quod supplicia justa sunt, id est juste inflicta : quia
B ut talia non appetuntur non esse et non inferri, sed in quantum sunt afflictiva et nociva naturæ, appetitui quoque naturali contraria, rationem pro magna parte absorbentia, atque ingenitæ libertatis naturaliter desideratæ vehementer impeditiva. Denique, secundum Augustinum in Enchiridio, non tenemur voluntatem nostram conformare voluntati divinæ semper in volito, imo licite possum desiderare patrem meum ab infirmitate sibi juste inflicta et ab instante agone sanari, finali-
C terque salvari, quem Deus justo judicio non vult sanari, sed mori et condemnari. — Ad aliud dico, quod quamvis naturalis appetitus sit ad esse, non tamen est ad esse miserum, afflictionibus plenum, æternæ calamitati subjectum : imo naturalis appetitus refugit et abhorret hujusmodi esse. Et quamvis melius sit esse in pœnis quam prorsus non esse, per comparationem ad ordinem universi, et in quantum in hoc relucet divina justitia, non tamen est melius ipsi misero condemnato, nec
D Deus requirit ab ipso ut malit esse tam miser quam non esse. Imo ipsemet Judex supremus asseruit : Melius illi esset natum non esse. Denique fortissimus Machabæus deprompsit : Melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. Quanto magis melius esset non esse, quam in æternum damnari ?

Cf. t. XX, p. 648, in littera.

Matth. XXVI, 24.

I *Mach.* III, 59.

Consequenter Scotus probat, quod non esse non est appetendum propter malum culpæ vitandum, quia sicut maximum peccatum est Deum odire, ita post hoc gra-

vissimum est peccatum, velle se non esse. A Et rursus, velle non esse, est velle se annihilare. — Ad quod dico, quod sicut valde virtuosum et sanctum est se dare in mortem temporalem tempore opportuno pro Deo, fide et æquitate, sic licitum est velle non esse propter evadenda æternæ damnationis tormenta. Nec hoc Deus reprobat, imo naturæ impressit naturaliter abhorrere tam intolerabile malum. Præterea sanctorum Patrum doctrinæ concorditer clamant, quod ordo caritatis id exigit ut unusquisque Deum super omnia toto cor- B de incomparabiliter diligat : propter quod de ipsius offensa, amissione, injuria, incomparabiliter debet dolere, ut vera requirit contritio, et omnia dona naturæ perdere malle quam ipsum offendere. Et nonne erubescibile est, ut christianus doctor de enormitate, fugibilitate et odibilitate peccati remissius sentiat quam gentilis *Cf.* p. 456 C, 457 B. ille philosophus Aristoteles, qui (ut patuit) apertissime docet quod magis eligendum sit homini non esse, quam esse seu vivere *Sap.* XIV, 9. in peccatis? Imo ut ait Scriptura, odio C sunt Deo impius et impietas ejus. — Verum in hujus quæstionis solutione alia multa tangit Scotus, contra quæ multa objicere non esset difficile : de quibus pertranseo.

QUÆSTIO II

Quæritur item hic, Utrum Beati et damnati invicem se cognoscant D ac intueantur, ita quod damnati videant gloriam electorum, et electi miserias damnatorum.

Videtur quod non, quoniam reprobi et damnati æternæ oblivioni sunt traditi. — Rursus, damnati intus sunt excæcati, nec possent videre Beatos in gloria ante futurum judicium nisi interioribus oculis, qui in eis sunt obtenebrati. — Salomon quo- *Eccle.* IX, 10. que dixit : Quia nec sapientia, nec scientia, nec ratio erunt apud inferos. Ergo nec consideratio mentis circa gloriam electorum.

In oppositum est, quod in Evangelio legitur dives in tormentis levasse oculos, et *Luc.* XVI, 23. vidisse Abraham a longe Lazarumque in sinu ipsius.

Circa hæc scribit Bonaventura : Consideratio seu cognitio gloriæ Beatorum est damnatis ac reprobis pœna, consideratio quoque damnationis ac pœnæ impiorum gaudium est electis : quia damnati attendunt gloriam Beatorum tanquam amissam et eis juste ablatam, electi vero miserias reproborum, ut justam ultionem atque perpetuam calamitatem quam misericorditer evaserunt. Ideo scriptum est : Læ- *Ps.* LVII, 11. tabitur justus quum viderit vindictam. Quoniam ergo gloria electorum perpetuo manet, et post judicium copiosior erit; ideo et nunc intuentur, et ex tunc sine fine conspicient supplicia reproborum. Unde vicesimo secundo de Civitate Dei disseruit Augustinus : Qui tunc erunt in gaudio illo, quid foris agatur in tenebris, in suo lumine scient; ideo dictum est, Egredien- *Is.* LXVI, 24. tur, quoniam eos non latebunt hi qui foris tunc erunt. Si enim hæc nondum peracta Prophetæ olim videre potuerunt, per hoc quod Deus per aliquantam prophetiæ lucem in eorum mentibus fulsit, quomodo immortales effecti et tunc glorificati præsentes incircumscriptibili lumini Dei, et illud clare in se ipso conspicientes, jam facta non cernerent? Videbunt igitur tunc in Deo æternoque speculo, ut conferat ad eorum gloriam cumulandam. Post judicium quoque in tantum augebitur calamitas injustorum, ut eis considerare non liceat honorem gloriamque Sanctorum, neque ab eis auxilium petere, sicut dives ab Abraham postulavit : quoniam magnitudinem tormentorum suorum non poterunt sustinere, imo in tantum absorbebuntur suarum acerbitate pœnarum, quod aliis intendere non valebunt. Verumtamen nec sic interim cernunt gloriam electorum, quod ipsam essentiam gloriæ intueantur,

aut spiritualia illa bona cœlestia distincte A et clare intelligant; sed in generali considerant quod sunt in maxima felicitate atque lætitia, et ipsi econtra in summa infelicitate et miseria, quatenus opposita juxta se posita, clarius perpendantur et vehementius miserrimos illos contristent : sicut infirmus et desolatus attendit sanitatem et prosperitatem ejus quem odit, et inde magis affligitur. Hinc quoque post diem judicii non penitus erunt immemores cœlestium gaudiorum. Quamvis enim majoribus tormentis absorpti, non poterunt se ut B ante extendere ad cogitandum de Beatorum jucunditate; attamen amissionem carentiamque ipsius habebunt in mente, ut gravius contristentur. Hæc Bonaventura.

Concordat Thomas : Damnati, inquiens, ante diem judicii videbunt Beatos in gloria ; non quod cognoscent quæ et qualis sit illa, sed solummodo cognoscent eos esse in gloria quadam inæstimabili. Atque ex hoc ineffabiliter turbabuntur, tam ex invidia de felicitate justorum, juxta illud
Sap. v, 2. libri Sapientiæ, Videntes turbabuntur ti- C more horribili, quam ex mœrore quod tantam gloriam neglexerunt et amiserunt. Post diem vero judicii, omnino Beatorum visione ac lumine privabuntur. Nec tamen ex hoc eorum miseria minuetur, sed intendetur: quia memoriam habebunt gloriæ Beatorum quam in judicio conspexerunt aut ante ; et hoc erit eis supplicium. Ulterius etiam affligentur ex hoc, quod videbunt se reputari indignos videre utramque gloriam Beatorum. Hæc Thomas in Scripto. D

Consonat Petrus : Gloriam (dicens) Beatorum videre, intelligi potest dupliciter. Primo in universali, ita quod videant illos esse in gloria magna : et taliter vident damnati gloriam electorum. Secundo in particulari, ut scilicet noscant qualis sit gloria tanta : et ita non videbunt, præsertim post diem judicii, quia tunc eorum cogitatio potissime deflectetur ad proprias pœnas. Vident autem gloriam Beatorum non per speciem innatam aut acquisitam, sed infusam, Deo revelante. Nec est inconveniens ut fiat eis infusio alicujus scientiæ sine infusione gratiæ, quoniam primum illud confert ad eorum afflictionem, et istud secundum spectat ad recipientis utilitatem. Hæc Petrus.

Porro de his plenius scribens Richardus : Damnati, ait, proprie loquendo de visione, non vident gloriam electorum, quum visio proprie sit cognitio intuitiva et clara. Sic namque non posset videri gloria Beatorum, nisi viderentur et ipsi Beati, imo et Deus, quum eorum gloria in perfecta conjunctione cum Deo consistat : non enim potest immediate et clare videri aliquorum conjunctio, quin videantur ipsa conjuncta. In generali tamen, et partim in speciali, cognoscunt gloriam Beatorum, quasi intra se arguendo, quoniam nullum justorum secum conspiciunt : unde cogitur eorum intellectus sentire veram esse Scripturam. Et quia felicitas promittitur justis in Scripturis non solum in generali, sed et aliqualiter in speciali ac particulari, quamvis non in ratione pure specialissima, quia sic lingua hominis non posset eam narrare : hinc damnati cognoscunt gloriam illam aliqualiter in particulari. Nec ad hoc requiritur speciei infusio, quoniam ex certissimis effectibus et propriis experimentis, atque ex memoria eorum quæ hic noverunt, id scient. Aliqui tamen dicunt, quod per speciem infusam, etc. Beati vero multo perfectius vident damnatorum supplicia, quia videbunt ea in Verbo, et etiam clare per species inditas, in proprio genere speculando, eo quod visio illa sit aliqualiter ad augmentum accidentalis præmii electorum : quia videndo Dei justitiam in suis effectibus, gloriantur. Nec miseris compatiuntur : quia divinæ voluntati et æquitati sunt plenarie ac immobiliter conformati, propter quod volunt quidquid vident Deum simpliciter velle. Hæc Richardus.

Insuper Scotus hic aliqua scribit, difficultando materiam, qualiter Beati vident supplicia damnatorum : an scilicet ratio

cognoscendi hujusmodi sit divina essentia A vel proprietas personalis, et utrum pœna habet ideam in Deo, et utrum Beati vident pœnas illas ut quid volitum. Verum ista sunt huic loco prorsus impertinentia, et magis expedire videtur, de his plane loqui ad compungendum ac metuendum, quam curiosæ subtilitati insistere ad disceptandum et contendendum. Ad ea quoque quæ tacta sunt, qualiter scilicet creata et negativa ac privativa cognoscuntur in Deo et a Deo, et qualiter habeant in Deo ideam,
tom. XX, p. 393, etc. patet responsio ex dictis super primum, et B alibi.

Addit etiam Scotus : An Beati videant visione sensibili pœnas damnatorum, ita quod tanta distantia non impediat hujusmodi cognitionem, non me intromitto. Amplius, quomodo Deus aut voluntas Beatorum se habeat ad supplicia damnatorum, nescio ; nec video quomodo, quum nec Deus nec voluntas beata consoletur aut gaudeat de pœnis illorum. Imo apud Isaiam
Is. I, 24. Dominus protestatur : Heu, ego consolabor super hostibus meis. Qui quum dicat, Heu, C loquitur quasi condolendo : quoniam pro-
Sap. I, 13. prium ei est misereri et parcere, nec lætatur in perditione viventium. Unde non ordinat aliquos ad pœnam, nisi quadam ratione necessitatis in natura, eo quod non potest aliter ordinare salvo jure, quo ordinari debet culpa sub pœna. Non tamen pœna illa est volita simpliciter nec a Deo neque a Beatis, sed solum secundum quid : gaudent enim in observatione justitiæ. Verumtamen judex (cujus est pœnam infligere) aliter debet gaudere de pœna juste in- D flicta, quam alii quorum non interest. Deus namque acceptat pœnam damnatorum, quoniam justa est, et fit in vindictam suæ offensæ : ideo ejus interest majorem habere complacentiam in pœnarum illarum inflictione, quam habeant inde Beati. Imo minorem debent complacentiam in hoc habere, quia ad eos non pertinet vindicta : quoniam si Deo placeret, vellent liberationem damnatorum, vel saltem eis non displiceret. Unde Deus acceptat illud quod justum est in se; Beati vero acceptant illud pro tanto quia est ordinatum et inflictum a Deo, qui est primum objectum eorum volitum, in quo omnia vident et volunt : et quod vident Deum velle et acceptare, hoc volunt. Hæc Scotus.

In quibus videtur obscurum quod ait, Deum non ordinare aliquos, scilicet reprobos, ad pœnam, nisi quadam ratione necessitatis in natura, eo quod non potest aliter ordinare : debet enim culpa esse sub pœna. Omnipotens namque superliberrimus Deus nec electos prædestinavit, nec alios præscivit ac reprobavit necessitate naturæ; et absolute loquendo, potuit aliter ordinare, et taliter potuit ac posset cum ipsis disponere, præsertim de absoluta potentia, qua et posset eos salvare, et ad tempus punire, et ab omni tormento eripere : quæ omnia patent ex dictis super primum de t. XX, p. 497 et s.
providentia, prædestinatione, præscientia atque potentia Dei, quum et Apostolus protestetur, quod Deus omnia agit consilio et *Ephes.* I, 11.
secundum propositum voluntatis suæ, nec aliquid agit ad extra ex necessitate naturæ.

Postremo, quod Scotus fatetur, se non scire neque videre quomodo Deus et Beati se habeant ad pœnas damnatorum, non videtur tam specialem aut grandem difficultatem habere. Gaudet quippe in illorum punitione nequaquam ex crudelitate, quum sit bonitas pura, et naturaliter pius et clemens, ac essentialiter dulcis, rectus et gratiosus ; sed ex amore suæ infinitæ justitiæ, in quantum illa pœna est effectus suæ justitiæ, moderatus moderamine infinitæ suæ sapientiæ, et complacet sibi in justa ac debita refrenatione ac castigatione pravissimarum rebellium voluntatum, quemadmodum per Osee testatus est : Jux- *Osee* X, 10.
ta desiderium meum corripiam eos. Item, Exosos habui eos propter malitiam adin- *Ibid.* IX, 15.
ventionum ipsorum; de domo mea ejiciam eos, non addam ut diligam eos. Et rursus per Ezechielem : Ecce complosi manus *Ezech.* XXII, 13, 20-22.
meas super malitias eorum, et succendam eos in igne furoris mei, sicut conflatur

argentum in medio fornacis, et requie- A
Ps. x, 8. scam. Etenim justus Dominus, et justitias dilexit.

QUÆSTIO III

AMplius quæritur, **An damnati valeant uti scientia atque notitia acquisita in vita præsenti.**

Videtur quod non, quoniam Salomon
Eccle. ix, 10. ait, Quodcumque potest manus tua, instan- B ter operare : quia nec sapientia, nec scientia, nec opus, nec ratio erunt apud in-
p.458D',etc. feros. — Iterum, dictum est quod post diem judicii reprobi ita erunt pœnarum suarum acerbitate absorpti, quod de cetero considerare nequibunt gloriam Beatorum : ergo ex tunc ratione carebunt. — Insuper pœna inferni, imo et purgatorii, acutior intolerabiliorque consistit omni pœna vitæ præsentis, quanquam immanissima tormenta sancti martyres sint perpessi, ut in libro de Pœnitentia loquitur C Augustinus. — Qui etiam nudo corpore in calidissimo jaceret fornace, scientia uti non posset.

In oppositum est, quod apud Lucam de damnato divite recitat Veritas, quemadmodum positus in inferno, deprecatus sit
Luc. xvi, 27. Abraham : Mitte Lazarum in domum patris mei, etc.

Ad hoc Thomas respondet : Sicut propter perfectam Sanctorum beatitudinem nil erit in eis quod non sit gaudii ac gau- D dendi materia, ita nil erit in damnatis quod non sit materia pœnæ et causa tristitiæ; nec aliquid ad tristitiam pertinens deerit eis, ut sic sit eorum miseria consummata. Porro consideratio agnitorum, quantum ad aliquid inducit lætitiam : et hoc, vel ex parte objectorum, in quantum amantur, aut ex parte cognitionis, in quantum conveniens est et perfecta. Conformiter, cognitio potest esse tristitiæ ratio, et ex parte cognitorum, in quantum sunt contristativa; et ex parte cognitionis, ut dum ejus imperfectio consideratur : ut quum quis perpendit se deficere in cognitione rei cujus perfectionem appeteret. Itaque in damnatis erit consideratio actualis eorum quæ ante sciverunt, ut materia et objectum tristitiæ ac tormenti, non ut causa consolationis aut gaudii. Considerabunt etenim mala quæ gesserunt, bona quæ omiserunt, amata quæ perdiderunt, et omnem calamitatem, vilitatem ac desperationem quam incurrerunt, atque ex his omnibus affligentur. Considerabunt quoque imperfectam esse notitiam quam de rebus speculabilibus habent, seque amisisse summam ejus perfectionem quam poterant adipisci, et inde cruciabuntur. — In præsenti demum, anima conjuncta corruptibili corpori, retrahitur et impeditur a considerando; in futuro autem, anima non ita trahetur a corpore, imo quantumcumque corpus affligatur, tamen anima semper considerabit lucidissime illa quæ possunt ei esse causa mœroris. Ab his vero quæ possent consolationem aut relevamen inducere impedietur, ne ea attendat : et sic verificatur quod Salomon loquitur. Sed nec diuturnitas potest in eis oblivionem inducere.

Quæritur quoque, an damnati cogitent interdum de Deo. Videtur quod sic, quia assidue odiunt, maledicunt et blasphemant majestatem ipsius : quod fieri nequit sine prævia apprehensione et cogitatione illius. — Dicendum, quod Deus potest dupliciter considerari. Primo secundum se, et secundum id quod proprium est ei ex se, utpote ut bonitas summa et causa totius boni : sicque nullo modo cogitari potest sine delectatione, nec sic cogitabitur a damnatis. Secundo, prout est causa quorumdam effectuum displicentium voluntati perversæ, hoc est, secundum id quod est ei quodammodo accidentale in suis operibus, ut punire, etc. : et ita a damnatis cogitatur. Quæ cogitatio inducit eis afflictionem. Nec odiunt Deum nisi ratione punitionis et prohibitionis eorum quæ appetunt. Hinc non

considerant Deum nisi ut punitorem et prohibitorem. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus videtur intricatum quod ait, Deum secundum se ut est rerum principium, non posse cogitari sine delectatione, quum et multi devoti fateantur se non delectari neque dulcedinem experiri orando, psallendo, meditando, etiam quando conantur ad hoc. Unde et sanctus pater Bernardus loquitur in sermone : Quid est quod Scriptura tam simpliciter exhorta-
Ps. XXXVI, 4. tur, Delectare in Domino, quasi ad manum sit nobis delectari in Domino? Alias etiam quæstiones movet hic sanctus Doctor, de cognitione animæ separatæ a corpore : de quibus pertranseo, quoniam
Cf. t. XXI, p. 411 D', 522 C, 525 C; XXII, p. 469 D'; XXIII, p. 509 A'. determinatæ sunt super secundum.

Concordat Richardus, qui etiam quærit, utrum damnati cognoscunt ea quæ fiunt circa nos. Respondet : Damnatos cognoscere ea quæ fiunt circa nos, tripliciter potest intelligi. Primo, an ea cognoscant per scientiam; secundo, an per conjecturam; tertio, an per revelationem. Primo modo ea non noscunt, quia sic ea cognoscere nequeunt nisi accipiendo similitudines a rebus, ad quas accipiendas requiritur proportionata propinquitas intellectus ad rem ipsam. Et quamvis distantia non impediat cognitionem intellectus respectu rei cujus jam speciem habet, tamen improportionata distantia inter animas quæ sunt in inferno, et ea quæ fiunt in hoc mundo, impedit cognitionem intellectus respectu rei cujus non habet speciem, quoniam prohibet speciei acquisitionem. Secundo modo, videlicet per conjecturam, multa queunt cognoscere de his quæ circa vivos aguntur, rememorando præterita quæ hic viderunt. Tertio etiam modo quædam horum cognoscunt, sive per revelationem dæmonum sive animarum ad eas descendentium. Hæc Richardus.

Cf. t. XX, p. 469 C. Qui rursus sciscitatur, an anima separata possit se movere de loco ad locum naturali virtute. Ad quod respondet quod imo, nisi superiori virtute prohibeatur. Est enim in loco definitive, nec determi-

A nata ad illum ex sua natura, sed potest esse in alio.

Quærit quoque, an naturali virtute possit movere aliquod corpus. Ad quod eodem modo respondet quod imo : Et credunt (inquit) aliqui, quod interdum sic movet. Refert namque Gregorius quarto Dialogorum, Germanum episcopum Capuanum invenisse Paschasium diaconum defunctum, stantem et obsequentem in balneis. Quumque anima illa non fuerit illius corporis forma, constat quod fuit motor ipsius B secundum locum. Nec dicendum, ut aliqui dicunt, quod fuit angelus bonus aut malus in specie Paschasii : nam Paschasius faciebat illa pro pœnitentia sua. Nec fuit verum corpus Paschasii, quoniam anima separata divina prohibetur virtute movere corpus quod antea informavit, imo et quodcumque corpus quod aliquando fuit informatum anima rationali aut etiam bestiali, ne hoc fiat hominibus occasio incidendi vilem et horrendum errorem opinantium intellectum humanum transire de corpore C uno ad aliud, ita quod successive sit proprius motor corporum diversorum, et quamlibet animam quodlibet posse ingredi corpus, ut Pythagorici fabulantur.

Denuo sciscitatur, an anima separata posset naturali virtute fieri proprius alicujus corporis motor. Respondet quod non. Nam spiritus dicitur proprius motor corporis, quoniam specialiter deputatus est ad movendum corpus illud aliquo speciali modo quo nullum aliud corpus movet, et quo corpus illud ab alio nullo mo- D vetur : sicque anima quamdiu manet in corpore, est proprius motor corporis sui, et separata non potest fieri alterius corporis forma, imo nec proprii, quousque illud divina virtute debite disponatur ad unionem cum anima. — Hæc Richardus.

Præterea ad quæsitum hoc, utrum anima separata cognoscat quæ circa nos fiunt, respondent Bonaventura et Petrus : Dupliciter cognoscitur aliquid, utpote, propria consideratione et alterius instructione. Cognitio ex propria consideratione est du-

plex : una est certitudinalis ac rei præsentis, alia conjecturalis ac rei absentis. Cognitio quoque per instructionem est duplex : una per alterius relationem, alia per Dei revelationem. Quum ergo sit quadruplex modus cognoscendi, primo modo non cognoscunt actus nostros quamdiu sunt in locis sibi deputatis, quoniam nimis distant a nobis, nisi divina permissione veniant ad nos; sed secundo modo, videlicet conjecturaliter, possunt eos cognoscere, loquendo de animabus malis. Tertio quoque modo, videlicet relatione, tam bonæ quam malæ animæ possunt actus nostros cognoscere. Sed quarto modo, puta per revelationem, bonæ animæ præsertim eos cognoscere queunt. Hæc illi.

Quocirca allegat Albertus illud Job de
Job xiv, 21. mortuo vitioso : Sive nobiles sive ignobiles fuerint filii ejus, non intelliget. Ubi ait Gregorius : Sicut viventes ignorant quo loco habeantur animæ mortuorum, sic mortui nesciunt qualiter disponatur vita eorum quos post se reliquerunt in corpore.

QUÆSTIO IV

Restat jam sciscitandum, **An omnis voluntas damnatorum sit prava, ita ut nunquam pœniteant, nec valeant pœnitere; et an vellent omnes secum esse damnatos; et utrum demereantur ac odiant Deum.**

Tamen ad ista satis patet responsio ex
dist. vii, q. 1. dictis super secundum, de casu, damnatione obstinationeque dæmonum : ideo sufficit nunc breviter illa tangere.

Itaque Thomas ad ista respondens : In damnatis, inquit, est duplex voluntas, videlicet, naturalis et deliberativa. Naturalem habent immediate a Deo, qui naturæ intellectuali ac rationali impressit hujuscemodi inclinationem quæ appellatur na-

A turalis voluntas. Quumque remaneat in damnatis natura in se bona, nec naturalis bonitas possit corrumpi totaliter per peccata, potest etiam esse in eis aliqua bonitas voluntatis naturalis, quum dictum sit, *Cf.* p. 397 C,
quod et beatitudinem saltem in generali 455 A' et s.
naturaliter appetant, quamvis affectione exili ac rara. Voluntas vero deliberativa semper in eis est mala, quia perfecte aversi sunt ab ultimo fine; nec aliqua voluntas potest consistere bona, nisi aliquo modo ordinata ad finem illum. Imo si damnati
B interdum velint aliquod bonum, non tamen hoc volunt bene nec recta intentione.

Porro dum quæritur, an pœniteant; dicendum, quod pœnitere de peccato contingit dupliciter: primo modo per se, secundo per accidens. Per se de peccato pœnitere, est peccatum abominari et de eo dolere, in quantum peccatum est, et contra Dei præceptum, ejusque offensivum : et ita damnati non pœnitent, imo voluntas malitiæ peccati jugiter manet in eis. Pœnitere vero de peccato per accidens, est dolere
C de eo propter adjuncta, id est ratione pœnæ pro ipso inflictæ : et taliter pœnitent juxta illud Sapientiæ, Dicentes intra se, *Sap.* v, 3.
pœnitentiam agentes. In hoc etiam mundo quantumcumque obstinati, per accidens pœnitent de suis excessibus, si pro eis acriter puniantur, ut loquitur Augustinus libro LXXXIII Quæstionum: Videmus etiam ferocissimas bestias dolore pœnarum a maximis voluptatibus abstinere.

Denique ad hoc, an vellent omnes secum esse damnatos, dicendum, quod sicut
D in Beatis est perfectissima caritas, ita in damnatis est maximum odium. Hinc sicut Beati de omnibus bonis gaudebunt, sic condemnati de omnibus bonis dolebunt. Sicque ex consideratione beatitudinis Sanctorum affligentur, juxta illud Isaiæ : Videant et confundantur zelantes *Is.* xxvi, 11.
populi. Unde omnes bonos vellent esse damnatos. Imo tanta erit eorum invidia, quod etiam propinquorum gloriæ invidebunt, quum ipsi sint in summa miseria. Attamen minus invident propinquis quam

aliis, et major esset eorum pœna, si omnes propinqui eorum damnarentur, quam si aliqui de suis propinquis salventur. Hinc dives petiit fratres suos a damnatione præservari : sciebat namque quod aliqui homines salvarentur. Maluisset tamen fratres suos cum ceteris omnibus condemnari. Hinc constat quod damnati non conservabunt amicitiam ad eos quos in vita hac dilexerunt. Dilectio quippe quæ non fundatur super bonum honestum, cito dissolvitur, præsertim in malis hominibus, ut nono dicitur Ethicorum. Verum in hoc voluntas eorum manebit perversa, quod causam vitiosæ dilectionis perpetuo retinebunt. Quamvis etiam eorum supplicium augeatur ex multitudine condemnatorum, tamen in tantum in eis excrescit invidia, quod malunt cum pluribus magis affligi, quam cum paucioribus minus.

Insuper ad hoc, an demereantur, dicendum, quod de damnatis ante judicium et post judicium est distinguendum. Omnes enim communiter confitentur, quod post diem judicii non erit aliquod meritum vel demeritum, quoniam meritum atque demeritum ordinantur ad aliquod bonum vel malum ulterius consequendum. Post diem autem judicii erit ultima consummatio bonorum et malorum, ita quod nihil erit addendum de bono aut malo : propter quod bona voluntas in Beatis non erit meritum, sed præmium ; et prava voluntas in damnatis non erit demeritum, sed tantum supplicium. Sed ante judicium aliqui dicunt Beatos mereri, et damnatos demereri. Quod tamen esse non potest respectu præmii essentialis aut pœnæ principalis, quoniam quoad hoc utrique pervenerunt ad terminos suos ; sed respectu præmii alicujus accidentalis aut secundariæ pœnæ, quæ possunt augeri usque ad diem judicii, etc.,
dist. VII, q. 1. prout totum istud plenius dictum est super secundum. Ubi etiam elucidatum est,
tom. XXI, p. 389 D'. an damnati odio habeant Deum. Nempe Deum secundum se ipsum consideratum non odiunt, sed ratione suorum effectuum, in quantum videlicet tantam eis pœnam

A infligit ac perire permisit. — Hæc Thomas in Scripto. Quibus concordant Albertus, Bonaventura, Petrus, Richardus, aliique communiter.

Verumtamen Bonaventura in parte aliter sentiens, respondendo ad istud, utrum damnati velint se peccasse : Mala (inquit) voluntas dupliciter dicitur, scilicet, actus et habitus. Dico ergo, quod timor servilis in viatoribus non aufert habitum malæ voluntatis, sed actum : iste enim non vult luxuriari, quia timet puniri ; de ipsa vo-
B luntate tamen habitum non aufert, quia si speraretur impunitas, vellet luxuriari. Sic intelligendum est in damnatis, quoniam dolor pœnæ aufert ab eorum voluntate actum volendi peccare : quia revera damnatus non optat luxuriari nec inebriari, propter pœnas quas sentit se ex actibus illis incurrisse. Itaque vult non peccasse : non quia peccatum displiceat sibi, sed pœna. Hæc Bonaventura.

Quibus objici posset, quod eadem ratione timerent neque auderent blasphemare
C ac maledicere Deo. Denique, sicut jam tactum est, de cetero non poterunt demereri, sicut nec mereri, saltem post diem judicii. Verum de hoc Bonaventura in alia loquitur quæstione : Quamvis in damnatis aliquo modo remittantur affectiones libidinosæ quæ delectationem habent annexam, propter pœnarum acerbitatem ; aliæ tamen affectiones in quibus consistit pœnalitas, quæ scilicet in se ipsis pœnales sunt et amaræ, ut ira, invidia, odium, augentur in ipsis : unde universos Beatos
D vellent esse damnatos.

Præterea Henricus Quodlibeto octavo respondens ad istud, utrum damnati possent q. 11.
reverti ad bonum : Quadruplex (ait) est bonum, puta, naturæ, moris, gratiæ, et gloriæ. De bono naturæ non potest quæstio ista intelligi, quia naturalia non sunt damnatis ablata. Si autem quæstio intelligatur de bono moris, advertendum quod hoc bonum consistit in actu deliberativo, in quo duo considerantur, videlicet : substantia actus, et forma quam imponit intentio

operantis. Et quantum ad substantiam actus, bene conceditur quod damnati possunt redire ad bonum : nam possunt aliquem informare, et vera respondere, recta consulere. — Quantum vero ad formam actus intentionemque finis, dicunt aliqui quod possunt exire in actum bonum ex naturali pietate, sicut est dare eleemosynam ad subveniendum naturæ. Quod sentire videtur Augustinus super illud in Psalmo, In inferno autem quis confitebitur tibi? (*Ps.* VI, 6.) dicens : Sic confessus est in inferno dives ille, adeo quod moneri petiit suos, ut se a suis cohiberent peccatis ; quod non nisi ex deliberatione rogavit. Sed contrarium sentire videtur Gregorius, octavodecimo Moralium dicens : Omnis voluntas damnati injusta est. Voluntas vero non est justa neque injusta nisi ex fine. Hinc mediam viam tenendo, est distinguendum, quod aliquis potest velle bonum ex deliberatione dupliciter. Primo per se, propter ipsum bonum et ejus amorem, ac odium mali. Secundo per accidens, propter fugam pœnæ, vel propriæ vel alienæ : et sic possunt in actum bonum moris flecti, ut velle nunquam peccasse, ne punirentur. Quæ tamen voluntas in hoc non est bona bonitate moris, quoniam actus ille non displicet eis quoniam malus, sed ratione pœnæ pro eo ipsis inflictæ, quemadmodum etiam vellent non esse, propter acerbitatem pœnarum quas sustinent. Propter fugam vero pœnæ aliorum, posset quis dicere, quod nequaquam per se volunt bonum : imo absolute universi damnati homines ac dæmones vellent alios omnes secum esse damnatos. Et ad nullum, neque ad se invicem, nec ad Deum possunt habere actum amoris deliberativi, sed solum ad se ipsos, statuendo sibi finem perverse in se ipsis : imo ad omnes et ad invicem odium habent summum. Per accidens autem possunt aliis velle bonum, sicut dives in inferno, quoniam æstimavit se posse corpori suo restitui, et sic mitti ad illos, ac pœnas evadere. — Hæc Henricus, quæ præscindo, quia super secundum me recolo ea scripsisse.

A Insuper quinto interrogat Quodlibeto, an Deus sit causa damnationis malorum. (tom. XXI, p. 381 C' et s. q. 5.) Ad quod prolixe respondet, et responsio stat in hoc, quod quum damnatio impiorum includat culpam et pœnam, Deus nequaquam est causa damnationis illorum quantum ad culpam : nec per se, quia non est causa aversionis ab ultimo fine, qui est ipsemet ; neque per accidens, sicut nauta per suam absentiam est causa naufragii. Deus autem nullum relinquit quantum in se est, nec permittit quemquam perire, nisi aliqua prævia culpa id promerente.

B Malum vero pœnæ est duplex, videlicet, pœna sensus et pœna damni. Et pœnæ sensus Deus est causa, quum sit creator ignis qui est instrumentum divinæ justitiæ ulciscentis. Est tamen et alia causa interior hujusmodi mali pœnalis. Principale autem malum pœnæ in damnatis, est amissio seu carentia visionis divinæ : quia ad ipsam obtinendam ordinati erant et conditi. Hujus autem mali causa non est Deus,

C quia quantum in se fuit, paratus fuit gloriam dare ; sed ipsi ex culpa sua fuerunt indispositi et indigni. Deus vero intendit malum culpæ ordinare primo per malum pœnæ damni, deinde per malum pœnæ sensus : quod est triplex, videlicet, duplex ab intra, tanquam necessario concomitans, quorum unum est dolor incidens ex apprehensione amissionis illius boni ; aliud autem est vermis conscientiæ, qui est dolor incidens ex remorsu conscientiæ pro peccato, quod est causa amissionis gloriæ.

D Tertium est malum pœnæ sensus ab extra contingens. — Hæc Henricus, qui scribit de his per tot distinctiones, ut prolixum sit recitare.

Quibus et multa objici possent, quum in Scripturis Dominus sæpe testetur : Ego indurabo cor Pharaonis. (*Exod.* IV, 21 ; VII, 3 ; XIV, 4.) In Deuteronomio quoque habetur : Noluit Sehon rex Hesebon filiis Israel dare transitum, quoniam induravit Dominus Deus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas. (*Deut.* II, 30.) Sic et apud Isaiam inducitur :

Is. LXIII, 16, 17. Tu, Domine pater noster, quare nos errare A
fecisti de viis tuis; indurasti corda nostra
Ps. XLIII, 19. ne timeremus te? Atque in Psalmo : Declinasti semitas nostras a via tua. In quibus omnibus insinuatur Deus omnipotens aliquo modo causa horum effectuum. Quocirca, juxta expositionem Augustini et aliorum Sanctorum, Deus asseritur causa horum, non influendo malitiam, sed non infundendo gratiam. Quod quamvis juste acciderit propter impiorum demerita, nihilo minus Deo talia adscribuntur, eo quod gratia haberi non valet nisi ab eo : quam B
licet omnibus quantum in ipso est largiri paratus sit, multi tamen ex sua perversitate, negligentia, aut alia causa et culpa non recipiunt; et hoc attribuitur Deo non ut causæ directæ, aut ut causæ efficienti et causæ per se, sed ut causæ permittenti et indirectæ sive per accidens.

QUÆSTIO V

Ulterius quæritur De pœnis damnatorum : an solo igne torqueantur, et utrum vermis quo affliguntur sit corporalis, an etiam fletus eorum sit talis, et in qualibus tenebris collocentur.

Videtur quod solo igne puniantur, juxta
Matth. XXV, 41. illud : Ite, maledicti, in ignem æternum. — Item, si frigore, hoc esset refrigerium eis : nam immoderate æstuantibus igne solatium est frigus accipere. — Insuper
Eccli. VII, 19. in Ecclesiastico legitur : Vindicta carnis D
Judith XVI, 21. impii, ignis et vermis. Et in Judith : Dabit ignem et vermes in carnes eorum. Sed ignis ille erit corporeus : ergo et ver-
Is. LXVI, 24. mis. — Rursus in Isaia : Vermis eorum non morietur. Ergo vermis ille est vivens et immortalis. Quod etiam Haymo tenet ibidem.

In oppositum primi, est illud Psalmi :
Ps. X, 7. Ignis, sulfur et spiritus procellarum, pars
Job XXIV, 19. calicis eorum; et illud Job, Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.

Ad hæc Thomas respondet per ordinem : In ultima (dicens) mundi purgatione *Cf.* p. 374 A' et s.
fiet, ut ait Basilius, separatio quædam in elementis, ita quod quidquid purum ac nobile est, manebit superius ad gloriam Beatorum, quidquid fæculentum atque ignobile, in infernum projicietur ad supplicium reproborum : quatenus sicut omnis creatura Dei Beatis est materia gaudiorum, ita damnatis ex omnibus creaturis accrescat tormentum, juxta illud Sapientiæ : Pugnabit pro illo orbis terrarum con- *Sap.* V, 21.
tra insensatos. Hoc quoque convenit divinæ justitiæ, ut sicut ab uno summo recedentes per culpam, in rebus materialibus (quæ multa sunt et diversa) finem sibi ultimum constituerunt; ita et multipliciter affligantur ex multis. Sed quoniam ignis ob suam activitatem est maxime afflictivus, per ignem quæcumque afflictio vehemens designatur. Denique damnati transibunt a vehementissimo calore ad intensissimum frigus sine reductione ad medium sive temperiem. Sed quoniam pœna purgatorii C
rii non est principaliter ad affligendum, sed purgandum; idcirco per ignem dumtaxat fiet, quoniam ignis vim habet maxime purgativam. Unde ad Corinthios ait Apostolus : Uniuscujusque opus quale sit, *I Cor.* III, 13.
ignis probabit. Hæc demum responsio roboratur per hoc quod super illud Psalmi, Vox Domini intercidentis flammam ignis, *Ps.* XXVIII, 7.
ait Basilius : Virtute Dei separabitur claritas ignis ab ejus virtute adustiva, et claritas cedet in gaudium electorum; ustivum vero in supplicium damnatorum. Quod qualiter intelligendum sit, supra ex- *Cf.* p. 374 C'.
positum est.

Ad secundum quæsitum, qualis sit vermis, dicendum quod in mundo innovato non manebit aliquod animal irrationale, neque mixtum, ut dictum est quadragesima *Cf.* p. 386 C'.
octava distinctione. Hinc vermis ille non corporalis est, sed spiritualis, videlicet conscientiæ remorsus : qui dicitur vermis, quoniam ex turpitudine causatur peccati animamque affligit, quemadmodum corporalis vermis ex putredine ortus, af-

fligit corpus pungendo. — Ad objecta vero A dicendum, quod animæ damnatorum vocantur carnes eorum, quia carnales fuerunt et carnalitati subjectæ.

Ad tertium, quod in fletu corporali sunt duo, quæ sunt : resolutio lacrimarum, et commotio atque turbatio capitis et oculorum. Quantum ad primum, non erit ibi *Cf.* p. 306 A. fletus : quoniam motu primi mobilis quiescente, generatio, corruptio et alteratio in mundo cessabunt. Quantum vero ad secundum, poterit esse fletus in illis. Nam corpora damnatorum non solum extrinsecus B affligentur, sed etiam a causa interiori, secundum quod ad animæ passionem corpus immutatur, sive in bonum, sive in malum: et quantum ad hoc, fletus resurrectionem carnis attestatur, delectationique culpæ quæ fuit in corpore et anima correspondet.

Ad ultimum respondendum, quod dispositio inferni erit talis, ut maxime competat miseriæ damnatorum : ideo taliter sunt ibi lux et tenebræ, prout spectant ad damnatorum miseriam maxime. Quamvis autem videre sit secundum se delectabile C et optandum ; tamen per accidens est afflictivum, in quantum videmus aliqua nobis contraria et nociva. Ideo infernus quantum ad lucem et tenebras ita dispositus exsistit et erit, quod nil ibi perspicue conspicietur, sed sub quadam umbrositate, quoad illa quæ afflictionem, horrorem et abominationem possunt cordi ingerere. Unde, simpliciter loquendo, locus est tenebrosus ; attamen ex divina dispositione est ibi aliquid luminis, quantum sufficit ad videndum illa quæ damnatos possunt tor- D quere : ad quod confert naturalis situs loci, quoniam in medio terræ, ubi ponitur esse infernus, non potest esse ignis nisi fæculentus, turbidus, ac quasi fumosus. Quidam vero harum causam tenebrarum assignant ex commassatione et compressione corporum damnatorum ad invicem, quæ multitudine sua ita replebunt infernum, quod nihil de aere ibi manebit, sicque nihil erit ibidem de natura diaphani quod possit esse lucis subjectum. — Hæc Thomas in Scripto. In quibus videtur incertum quod ait, in purgatorio non esse nisi ignis tormentum, loquendo de pœna sensus. Nempe si vera sunt quæ in Legenda sancti leguntur Patritii, aliisque diversis tractatibus de variis revelationibus et apparitionibus factis nonnullis, et in aurea Legenda Sanctorum, imo et in Dialogo S. Gregorii, oporteret fateri purgatorias pœnas non solum per ignem, sed et per umbras et glacies, per dæmonum ictus, ac aliis fieri modis.

Insuper, circa hæc quærit Thomas, utrum Beati videbunt pœnas damnatorum, an compatientur damnatis, et utrum lætabuntur de ipsorum suppliciis : ad quæ ex quæst. 2. introductis patet solutio.

Consonat his Albertus, qui et dicit corpora damnatorum, ita ut tactum est, compunienda et quasi commassanda. Quod si verum est, quomodo videbunt se invicem ? Sed de hoc dictum est supra. ibidem.

Insuper Petrus dictis concordat, et quærit, utrum damnati peccent. Ad quod respondet, quod non proprie peccant, quia non demerentur, atque in termino sunt constituti, nec eis præfigitur lex vivendi in actione virtutum ; attamen male agunt et Deum odiunt, blasphemant ac maledicunt : quod totum in eis potius est pœna quam culpa, quia ut asserit Augustinus, Beatis voluntas, damnatis facultas non erit peccandi. Dæmones qui adhuc exercendi alios habent officium, adhuc peccant, quia nec plene in termino sunt. Hinc non omnis mala voluntas peccatum est, imo quædam est culpa tantum et non pœna, videlicet primum peccatum ; quædam est pœna et culpa, ut peccata media ; quædam pœna tantum, ut illa quam concomitatur supplicium ultimum. — Porro de fletu damnatorum dicendum, quod duplex est fletus. Unus spiritualis, videlicet dolor interior, qui est et erit æternaliter in damnatis. Alter corporalis, videlicet dolor exterior : in quo duo considerantur, videlicet, lacrimarum effusio, et turbatio atque obnubilatio oculorum, etc., ut supra. — Nec p. 467 A.

erunt in inferno vermes corporei. Quod si objiciatur, quod in Isaiam Haymo protestatur, Ignis gehennalis nunquam exstinguetur, in quo vermes immortales esse credendi sunt, qui carnes comedant impiorum; et addit, Sicut ergo ignis ille corporeus est, ita et vermes corporei sunt : dicendum, quod istud fuit opinio Haymonis, non veritas. Hæc Petrus. — Quocirca sciendum, quod ipsemet Petrus in commentario suo super Isaiam, videtur in loco præallegato sequi in isto Haymonem, vel saltem non contradicit.

Cf. p. 467 B. Dicit quoque Isidorus : Habebunt impii lucem ad damnationem, ut videant unde doleant; sed non habebunt ad consolationem, ne videant unde gaudeant : sicut ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, arsit vero ad dissolvenda ligamina vinculorum. Hæc Petrus.

Præterea quærit, quæ pœna sit major in inferno, pœna damni vel pœna sensus. Respondet : In pœna duo considerantur. Primum est divisio perfectionis a suo perfectibili; secundum est sensus divisionis. Sicque pœna una potest dici altera major, aut secundum damnum divisionis illius, et ita carentia visionis Dei major est omni pœna; aut secundum sensum divisionis, et sic non omnis carentia visionis illius est pœna major, sed quædam. Est enim quædam carentia cum sensu doloris de ipsa carentia, ut in adultis, et hæc est gravior pœna quam gehenna; quædam vero sine sensu doloris, ut in parvulis, et ista est minor. Et de prima illa carentia quæ est cum sensu doloris, intelliguntur verba Chrysostomi asserentis : Ponamus ante oculos quanti doloris sit excludi et projici a regno cœlorum, quia ut mihi videtur, gravior est ipsa gehenna. Multi horrent gehennam, ego casum a gloria illa multo majorem pœnam aio esse. Quid intolerabilius est gehenna? Verum si mille gehennas quis ponat, nihil tale dicet quale est excidi a gloria ista, et odio haberi a Christo. Hæc Petrus.

Circa hæc plenius scribit Richardus : In

A damnatis, inquiens, est pœna damni et pœna sensus. Pœna damni est carentia visionis divinæ, ad quam rei erant apti, ex peccato causata. Pœna vero sensus est quælibet pœna causata ex apprehensione læsionis sensuali aut intellectuali. Pœna damni non est essentialiter dolor neque tristitia; sed ipsa pœna apprehensa ut ex commissione et omissione propriæ voluntatis causata, est tristitiæ causa. Porro pœna sensus est essentialiter dolor seu tristitia. Dico ergo, quod inter pœnas damni, carentia

B visionis divinæ est maxima; tristitia quoque causata ex illa carentia apprehensa ut proveniens ex actuali malitia propriæ voluntatis, est maxima inter pœnas sensus. Nam quamvis damnati non appetant Deum videre ex amore suæ propriæ bonitatis, tamen vehementissime appetunt hoc ex desiderio propriæ delectationis : eo quod firmiter credere compelluntur, ex illa visione maximam delectationem in vidente causari. Carentia etiam visionis illius apprehensa ut ex actuali malitia propriæ voluntatis

C proveniens, major est pœna quam aliqua pœna sensus. Etenim pœna damni et pœna sensus conveniunt in eadem ratione pœnæ, analogice dictæ de illis. Communis namque ratio pœnæ est malum exsistens in creatura rationali propter peccatum. Illa ergo pœna est major, in qua plus est de ratione mali. Sed in præfata carentia plus est de ratione mali quam in aliqua pœna sensus. Quod dupliciter patet. Primo, quia maxima pœna sensus est causata ex prædicta carentia; plus autem de ra-

D tione mali invenitur in causa mali quam in effectu. Secundo, quia illa carentia, quum sit privatio, non dicit formaliter essentiam aliquam; pœna autem sensus non est privatio pura. Quumque bonum et ens convertantur, in præfata carentia major est bonitatis defectus quam in aliqua pœna sensus.

Insuper quæritur, utrum in inferno major sit pœna vermis quam pœna ignis. Et respondendum, quod vermis dupliciter accipi potest, videlicet, proprie pro verme

corporali, et metaphorice pro verme spirituali, id est remorsu conscientiæ : et utroque modo aliqui dicunt vermem inesse damnatis. Et quamvis Augustinus vicesimo primo de Civitate Dei, relinquat sub dubio, an in inferno erunt vermes corporales, communiter tamen tenetur quod non : quia facto judicio, non manebunt bruta nec mixta inanimata. Itaque quærere, an in inferno major erit pœna vermis quam ignis, est quærere, utrum remorsus conscientiæ sit in eis major pœna quam afflictio et incendium ignis. — Ad B quod simpliciter dicendum quod sic. Quemadmodum enim magnitudo delectationis causatur ex tribus, puta, ex magnitudine boni conjuncti, et ex bona dispositione potentiæ ad suscipiendum passionem delectationis, atque ex perfectione conjunctionis; sic magnitudo doloris pensatur ex magnitudine mali conjuncti, et ex hoc quod potentia est multum disposita ad patiendum ab illo malo, ex forti quoque conjunctione mali affligentis cum illa potentia. Malum quippe interius animam af- C fligens damnatam, est perpetua suæ perfectionis carentia ad quam fuerat apta, in quantum illa apprehenditur tanquam certa et certitudinaliter sibi inesse pro peccato propriæ voluntatis. Hæc etiam carentia ut sic apprehensa, est maximum malum quod affligit damnatum : quod bonæ dispositioni animæ longe magis contrarium est quam actio seu afflictio ignis. Anima quoque magis disposita est ad patiendum a malo illo quam ab igne, quoniam ignis ille non est aptus natus affligere animam D ex propria virtute immediate : non enim eam affligit nisi ut instrumentum divinæ justitiæ, et post judicium affliget animam in corpore; anima vero patitur a prædicto malo spirituali immediate et per se. Conjunctio etiam fortior est, quoniam fortior est apprehensio per intellectum quam per sensum. Et quamvis post corporis resumptionem, malum quod voco vermem, et ipsum ignem anima apprehendet per intellectum, principalius tamen apprehendet

A ignem per sensum, et vermem per intellectum : quia vermis est quid magis intelligibile (utpote spirituale) quam ignis. Vermis item præsentior est animæ quam ignis, quoniam corporalia nequeunt esse intra animam sicut spiritualia. Idem probatur auctoritate Gregorii super illud Job, Devorabit eum ignis qui non succenditur : *Job* xx, 26. Clibanus, inquit, intrinsecus ardet; is autem qui ab igne devoratur, ab exteriori parte incipit concremari. Ut ergo sacra Scriptura ardere interius atque exterius reprobos demonstraret, eos et ab igne devorari, et sicut clibanum poni testatur, ut per ignem crucientur in corpore, et per dolorem ardeant in mente. Quum ergo calidior sit ignis clibani, quia inclusus est (cui comparat interiorem dolorem, id est conscientiæ remorsum), quam ignis exterior non inclusus; expresse nobis insinuat majorem esse pœnam vermis quam ignis. Nec obstat quod asserit Augustinus duodecimo de Civitate Dei : Nihil molestius igne urente. Hoc enim intelligitur de molestia illata per instrumentum corporeum. Quamvis etiam modo in hominibus plus vigeat apprehensio sensibilis quam intellectualis, attamen in damnatis magis vigebit intellectualis, in ostendendo unde doleant condemnati. Hæc Richardus.

QUÆSTIO VI

Adhuc quærendum est hic, **Qualiter ignis infernalis et frigus tartareum, ac cetera corporalia afflictiva in inferno exsistentia, agere queunt et agent in spirituales substantias, scilicet dæmones et animas vitiosas, usque ad corporum suscitationem et generale judicium, atque deinde in corpora resuscitata et animas.**

De qua re, quamvis superius dicta sint dist. xx, q. 2; multa, hic tamen pro clariori intellectu, XLIV, q. 8 et 10. imo potius pro vehementiori compunctio-

ne ac formidine excitandis, aliqua sunt addenda.

Itaque Henricus Quodlibeto undecimo q. 8. super his loquitur : Dolor, sicut et alia quælibet animi passio ad tertiam pertinens speciem qualitatis, ex duplici procedit radice, videlicet, prima et proxima. Radix prima passionum ad fugam pertinentium, ut sunt dolor, timor, tristitia, est immutatio corruptiva seu offensiva dispositionis convenientis naturæ : quemadmodum econtrario prima radix passionum pertinentium ad insecutionem, ut sunt desiderium, concupiscentia, delectatio, spes, est immutatio inductiva et conservativa dispositionis convenientis. Radix vero proxima omnium hujusmodi passionum, est ipsius immutationis apprehensio : apprehendens namque immutationem convenientem, delectatur; et apprehendens disconvenientem, tristatur. Quumque apprehensio sit virtutis cognitivæ, quæ non percipit nisi quod fit in se ipsa aut in organo suo; ideo passio non est nisi ex immutatione in virtute cognitiva, aut organo ejus. Propter quod, ex immutatione quæ fit in ossibus et partibus seu materiis non sentientibus, nullus consequitur dolor in animali, quia nequaquam apprehenditur immutatio illa. Porro dispositio conveniens, aliter est in viribus sensitivis et intellectivis : quia in viribus sensitivis attenditur ex parte organi; non autem in viribus intellectivis, quoniam inorganicæ sunt, nisi forte per accidens in nobis, in quibus intellectiva cognitio ex sensitiva procedit.

Et quamvis doloris sunt duæ præfatæ Cf. p. 310 A'. radices, tamen secundum quosdam, apprehensio sola sufficeret, si esse posset sine prævia immutatione corruptiva talis qualis est cum illa : sic etiam quod multo major esset dolor ex sola apprehensione. Et verum est, quod pro quanto immutatio illa corrumpit organi proportionem, pro tanto dirimit sensitivam apprehensionem, et per consequens dolorem : ita quod si fieri posset immutatio illa ex qua fit ap- A prehensio quam sequitur dolor, absque temperamenti læsione aut corruptione, fieret apprehensio integra; unde etiam sequeretur perfectissimus dolor. Dicuntque aliqui, quod possibile sit sic esse, et quod damnati taliter cruciabuntur in corpore, quia habebunt corpora incorruptibilia. Dicunt enim, quod ardentissimus sit ignis inferni, qui attingens carnes illorum, non eas comburet, imo nec immutabit reali et naturali immutatione per abjectionem contrarii; sed caro, ossa ac nervi manebunt B in sua naturali dispositione ac temperamento absque calefactione; immutabit autem ea per speciem intentionalem caloris, ac si summe calefierent ac arderent. Organo demum sic immutato per speciem caloris intentionalem, immutabitur excessive vis tactiva sensatione tactiva, ad quam summus dolor sequetur. Verum in nobis pro statu vitæ præsentis ita non est, quoniam ignis non potest naturaliter sensum sic excessive immutare, nisi calefaciat medium et organum realiter, et non solum C intentionaliter; et ita corrumpit proportionem, quo impeditur apprehensio tam excessiva : idcirco in nobis sequi non potest dolor tam excessivus.

Sed qualiter hoc naturaliter fieri queat, non video. Si namque in tali immutatione, nulla fit abjectio juxta modum immutationis realis, nihil in tali immutatione percipitur naturaliter nisi sensibile sub ratione sensibilis, sub qua ratione perceptio non est nisi salubris conveniensque naturæ : et ita ex ea sequeretur delectatio et non do- D lor, et ita ignis non nisi supernaturaliter et miraculose corpora damnatorum torqueret. Si ergo secundum fidem oporteat ponere, quod corpora damnatorum ab illo igne naturaliter affligentur quantum est ex parte corporum, quoniam vere et naturaliter passibilia erunt (imo aliter frustra passibilia naturaliter essent, quia nunquam naturaliter paterentur, nec omnino paterentur calefactionem neque infrigidationem, sed supernaturaliter solum dolorem qui hujusmodi immutationes naturaliter

concomitatur; et ita non propter intem- A peramentum sensuum neque ex actu sentiendi sequeretur ille dolor, sed a Deo immediate imprimeretur; nec ad hoc necessarius esset ignis, nec immutatio intentionalis secundum rem, et apprehensione non decepta, quamvis apprehensione cum perceptione decepta, posset verus dolor causari ab igne, sicut in dormientibus somniantibus se comburi ab igne) : dicendum est igitur, quod dolor nullatenus causari naturaliter potest, nisi duæ illæ adsint radices, videlicet, immutatio et apprehen- B sio. Inanimata namque immutantur immutatione corruptiva, nec dolent, quia non sentiunt. Animata vero sensitiva, si non sint immutata, quamvis sentiant objecta sensibilia, non dolent, quia non apprehendunt immutationem sensitivam læsivam. Est ergo sciendum, quod circa apprehensionem sensitivam duo considerantur, videlicet : actus apprehensionis, et perceptio ipsius actus. Ex actu apprehensionis secundum se seorsum considerato, nunquam sequitur dolor, sed delectatio potius; C ex actu vero perceptionis seorsum acceptæ sequitur dolor, non tamen potest esse sine apprehensione. Sicque dolor sequitur apprehensionem ut causam sine qua non, perceptionem vero directe : et ita ad actum apprehensionis in quantum includit perceptionem, sequitur dolor, non ratione apprehensionis, sed perceptionis. Et quanquam secundum communem modum loquendi, sumamus apprehensionem prout perceptionem includit, differunt tamen (ut patet) ex differentia objectorum : quia ob- D jectum apprehensionis sensitivæ est ipsum sensibile, ut color visionis, sonus auditionis; proprium vero objectum perceptionis sunt intentiones circa sensibilia vel intelligibilia : quæ intentiones sunt per se causæ passionum doloris, delectationis et consimilium. Illæ namque intentiones important rationem convenientis et disconvenientis, et habent in se vim rerum circa quas sunt, ad excitandum passiones. — Hæc Henricus.

Qui insuper sciscitatur, utrum formalis ratio doloris sit solum in cognitiva, vel potius in appetitiva. Respondet : Omnis passio animalis, dispositio est ad operationem seu motionem causandam, continuandam vel subtrahendam. Oportet ergo quod maxime sit in eo quod est causa motus vel operationis seu continuationis subtractionisve ejus : et hoc est appetitus, non apprehensio, quia ad impetum appetitus movetur homo ad motum aut operationem, continuationem aut subtractionem, vel aliquam operationem. Hinc dico, quod omnis passio in solo est appetitu : aliter enim appetitus in animali non est movens motum, nisi quia per apprehensionem movetur alteratione, quæ est passio, et tunc appetendo movet alia. — Hæc idem. De quibus alibi plenius dictum est. Ex quibus ostenditur, quod et supra probatum est, p. 317 B'. corpora damnatorum ab igne infernali realiter immutari, affligi, calefieri, non consumi. Et simili modo affliguntur frigore illo tartareo ac aliis afflictivis.

Insuper, ultra ea quæ de his ex Guillel- p. 304 D. mo sunt allegata, aliqua addi possunt. Ait enim in libro de Universo : Quoniam quidam ex sapientibus Christianorum dixit, *Cf.* p. 310 B'. quod ignis ille sola imaginatione sui sufficit torquere animas, bonum est scire quæ ratio illum induxit ad hoc vel inducere potuit. Non enim prætereunda aut negligenda sunt verba tanti sapientis. Dico ergo in primis, quod tormentum quod anima humana patitur ab igne per corpus suum, non est nisi vel in vi apprehensiva, vel in vi motiva, aut in ambabus. Quocumque autem modo se habeat tormentum illud, in anima est, quum omnis passio necessario sit in patiente. Quumque anima sit spiritualis substantia, impossibile est in ea esse formam aliquam corporalem : idcirco necesse est tormentum illud in anima ante futurum generale judicium esse formam spiritualem. Et in omnibus apprehensionibus corporalium et sensibilium rerum similiter se habere oportet, ut scilicet impressiones hujus-

modi spirituales sint : quare nec calor nec ardor est hujusmodi impressio, tamen calere et ardere se perhibet anima quæ sic patitur. Nec ignoras, animam humanam nec calidam nec frigidam esse, quia hujusmodi qualitates sunt corporales, et in solis habent corporibus esse. Ardet igitur anima humana teste se ipsa, quum nihil caloris in ipsa sit. Vides ergo quod forma spiritualis, eidem per corpus ab igne impressa, quum nec ignis nec calor sit, eamdem tamen urit et ardere facit, ut ipsamet confitetur. Quid igitur mirum si sola imaginatione ignis ardere sibi videatur, et ardere se judicet, quum ipsa imaginatio sit vicinior substantiæ animæ quam sensus, et solum spirituale sit quod per impressionem sensualem ad ejus substantiam venit, et intrat eamdem ?

Quod si dixeris, quia revera humana anima non uritur neque ardet, sed hoc ei videtur propter fortissimam conjunctionem et unionem cum corpore, propter quod judicat se pati quod patitur corpus : quia non solum in corpore est, imo et ipsa continet corpus; tunc redit quod dixi, quod scilicet anima non patitur hujusmodi passionibus tanquam propriis, sed magis condolet tanquam alienis. Auferes ergo veritatem et proprietatem doloris ab animabus humanis, quod fas non est. Et quoniam species, phantasma, seu similitudo, seu quocumque alio modo nomines, quum fuerit in apprehensiva, movet affectivam atque motivam, necesse est ut ipsa species in vi motiva seu affectiva imprimat hujusmodi passiones quæ dolores et gaudia appellantur. Et si species æque fortis esset in imaginativa, ut est in vi sensitiva dum sentitur sensibile, non minor esset impressio in imaginativa quam in sensitiva. Quod patet in hominibus intensæ imaginationis : quia non minus delectantur in imaginando quædam visu delectabilia, quam delectarentur videndo. Propter quod quidam mihi notus, videre hastiludia non curabat, dicens se longe amplius delectari in imaginando ea, quam delectaretur in videndo.

A Novi etiam hominem qui solo adspectu medicinæ movebatur ad purgationem quoties opus fuit. Quid ergo movebat eum nisi similitudo impressa? Quod et in apprehensione et forti imaginatione venereorum facile est videre, imo et experiri. Hinc merito videri potuit illi tanto viro (puta B. Gregorio) quod species fortem faciens apprehensionem tristabilis aut molestabilis, similiter et delectabilis, per se sufficiat facere delectationes et tristitias, gaudia et cruciatus in animabus, tanquam res ipsæ.
B Et harum passionum quantitates erunt juxta quantitatem fortitudinis hujusmodi specierum, et rerum quarum sunt species : hoc est, quanto fortior fuerit apprehensio ipsa, et quo fortius ipsum apprehensum, id est magis delectativum aut contristativum, tanto erunt delectationes et contristationes vehementiores ex eis. Amplius, manifestum est de somniantibus, quia interdum *Cf.* p. 316 B'. somniant se ardere et esse in igne, et intolerabiliter cruciantur : quod sola similitudine ignis et imaginatione peragi-
C tur. Quod si dixeris non esse possibile quod tam grande tormentum sit a sola ignis imaginatione quantum a vera ejus præsentia, jam tibi respondi : quia si vera præsentia ignis non addit imaginationi, non addet tormento, hoc est, si illam non auget, nec istud augebit. Denique ex his patet, quod non solum possibile ac facile sit omnipotentissimo Creatori cruciare animas quas voluerit hujusmodi ardoribus atque incendiis per solam imaginationem vel intellectum, sed etiam omni genere
D tormentorum, quoniam potest depingere atque describere in vi imaginativa et apprehensiva quascumque horrificas species omnium generum suppliciorum.

Quod si quis inferat, Ergo supervacue *Cf.* p. 317 A. creatus est ignis hujusmodi; respondeo, quod multæ sunt utilitates ipsius, quarum una est, ut vere ac corporaliter torqueat corpora damnatorum, et etiam animas ipsas. Rursus, quum Deus sit auctor et dominus veritatis, non decet magnificentiam ejus uti mendaciis somniorum. Ite-

rum, modus somniandi tantum ardores non A satis deterreret ac retraheret homines a peccatis, quia paucissimi capiunt hoc quomodo animæ valeant somniis et suppliciorum imaginationibus cruciari. Nec dubites omnipotenti Creatori multos modos vindicandi peccata in impios esse possibiles, nec omnes mihi nec alteri homini in vita hac esse notos. — Hæc Guillelmus. Quæ omnia sapienter dicta videntur : propter
Cf. p. 311 B, 313 C, 315 D', 317 A'. quod videtur incautum, quod quidam præsumunt tam præcise determinare qualiter ignis infernalis agat in dæmones et ani- B mas, utpote per alligationem dumtaxat. Et totum fundamentum eorum videtur incertum, videlicet quod animæ et dæmones sint prorsus immateriales, et incorporales in sua natura consistant : quod quamvis probabiliter dictum sit, et dictis Aristotelis ac Peripateticorum plus consonet, non tamen demonstrativam certitudinem habet. Nec solum Plato atque Platonici, sed etiam Origenes, sanctique patres Augustinus, Bernardus ac alii plures, dixerunt contrarium, ut dictum est plenius super C
In lib. I, dist. VIII, q. 7; II, dist. III, q. 1, VIII, q. 1. secundum et primum.

Præterea præinductis consonant dicta Henrici, Quodlibeto undecimo protestantis :
q. 8. Objecta perceptionis sunt intentiones, id est rationes convenientiæ et disconvenientiæ sensibilium et intelligibilium rerum, dicente Philosopho, de Motibus animalium : Alterant phantasiæ et sensus et meditationes. Phantasia autem et intelligentia habent rerum imaginatarum et intellectarum virtutem; et quo fortius imprimuntur ipsæ species et intentiones, imaginationes D apprehensionesque rerum, eo intensius movent, agunt, terrent, lætificant, tanquam res ipsæ : ita ut imaginans sive intelligens vix queat discernere inter similitudinem et rem, et utrum præsens sit res taliter apprehensa ac imaginata, vel sola similitudo ipsius. Quantum enim operetur et variet in effectu imaginatio fortis, Augustinus declarat in ovibus Jacob, atque in multis qui nimia cogitatione rerum sensibilium illecti aut territi, etiam ejusmodi voces repente ediderunt, quasi revera in mediis talibus actionibus aut passionibus versarentur. Cujus exemplum dat Augustinus de imaginante intensissime intus mulierem placentem, qui mulierem imaginatam putat quasi vere præsentem, et se quasi commisceri existimans, genitalibus fluit. Unde constat eamdem vim immutandi quam habet res ad extra, habere eam ut est taliter imaginata et apprehensa. — Hæc Henricus, qui ista ex dictis Aristotelis et Augustini diffuse prosequitur.

Amplius circa finem hujus ultimæ distinctionis addenda sunt aliqua de gloria Beatorum, ut vehementius inardescamus efficaciusque properemus ad illam.

De hac scribit Guillelmus libro de Universo : Habet (inquiens) quæstionem de De choreis
choris seu choreis et gesticulationibus, an beatorum.
in statu gloriæ erunt. Quæstionem hanc reddunt difficiliorem sermones sapientium qui præcesserunt in gente Christianorum, qui hoc evidenter scripserunt. Natura quoque et naturalium experientia hæc attestari videntur. Nempe in hoc statu, modica gaudia homines ferre nequeunt sine suorum corporum motu. Vides quomodo ex gaudio cordis os movetur ad risum, totaque facies indiciis hilaritatis perfunditur. Vides viros ac mulieres, adolescentes ac adolescentulas præ gaudiis dissilientes, strepentes, choreas ducentes, carmina decantantes, sonis quoque cantilenarum ac melodiis musicorum instrumentorum se ipsos concordare conantes effigiatione variorum motuum corporis sui. Multos vidisti, qui cantando aut cantus audiendo, ab hujusmodi effigiatione gesticulationis corpora sua nequeunt continere. Quumque gesticulationes istæ exuberantiæ quædam sint et redundantiæ præsentium gaudiorum, quæ tam parva et quasi nulla sunt comparatione gaudiorum felicitatis æternæ; ideo possibile est, incomparabiliter majores exuberantias, redundantias convenientium saltationum et exsultationum convenientissime correspondentium, ines-

se Beatis ex gaudiis illis. Quocirca respondendum mihi videtur, vera et spiritualissima gaudia illa non inundare in corpora glorificata per hujusmodi gesticulationes et effigiationes, quia (ut ait quidam ex sapientibus) verum gaudium res severa est, non frangens, non emolliens neque dissolvens gaudentem, quin potius confortans et erigens ipsum. Corporalia vero et non vera gaudia, merito tales exuberantias influunt in corpora ita gaudentium; et constat quod hujusmodi gesticulationes atque saltationes magis esse videantur exagitationes et quædam insaniæ, quam verorum exuberantiæ gaudiorum. Hæc Guillelmus.

Cujus verba sane sunt accipienda, alias calumniam paterentur, quum et secundo Regum libro devotissimus David rex ante arcam Dei, ex plenitudine spiritualis lætitiæ quam ex contemplatione infinitæ excellentiæ Dei beneficiorumque ejus concepit,
II *Reg.* VI, 14. totis viribus saltasse legatur. Denique quidam viri contemplativi valde interni, qui et hoc ipsum creduntur experti, testati sunt et reliquerunt in scriptis, quod nonnulli fervidi ac devoti, præ admirabili abundantia jucunditatis internæ, præ ineffabili dulcedine amoris divini, præ consolationis exuberantia cœliformi, præ supernaturali repletione contemplationis, visitationis unctionisque Spiritus Sancti, se ipsos continere ac reprimere nequeunt a corporali discursu, manuumque applausu, a cantu et pedum motu ac consimilibus gestibus. Variis namque et ineffabilibus modis operatur Christus in suis electis, tam viatoribus quam comprehensoribus. Ad quod etiam pertinet quod apud Mala-
Malach. IV, 2. chiam Dominus repromittit : Egrediemini, et salietis quasi vituli de armento. Verum-
I *Cor.* II, 9. tamen, quoniam scriptum est, Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se; super hominem est, in speciali ac universaliter determinare, quæ et quales erunt dispositiones, motiones, stationes, situationes atque interioris jucunditatis signa, exuberantiæ et effectus in

A beatissimis illis. Præterea, quum in patria, Beatorum sit ineffabiliter speciosissima consonantia, correspondentia, proportio præmiorum ad merita, quemadmodum et in inferno, tormentorum ad demerita et peccata; probabile reor ac pie credendum, quod electi qui in hoc mundo amore Dei ac vitæ beatæ se ipsos perpetuo recluserunt, aut incarcerationes et vincula sunt perpessi, specialiter exsultabunt in actibus et motibus dotis agilitatis, in liberrima ac celerrima perambulatione, vel po-
B tius pervolatione cœli empyrei aliorumve spatiorum.

Nec enim dos agilitatis expers erit proprii actus, quanquam de his Guillelmus paulo aliter videatur sensisse, scribens in libro de Universo : Revertar ad investigandum, an motus erit ibi in statu futuro. Et dicam, quia si motus erit ibi, ergo et tempus, de quo prædictum est, Quoniam *Apoc.* x, 6.
tempus ultra non erit : ergo nec motus, nec ulla mutatio, quæ non habet fieri nisi in tempore. Verumtamen motum ibi non
C prohibebit infirmitas aut debilitas corporis, lassitudo aut labor, sed potius dispositio status illius, qui erit æternitati simillimus : quæ non permittit ibi esse prius aut posterius, nec continuitatem successivam ullo modo. Idem probatur ex perfectione status illius, quæ omnem indigentiam a Beatis excludet : motus autem in naturalibus ex indigentia oritur. Si vero objiciatur, quod quidam sunt motus ex delectatione, ut deambulationes jucundæ; dico, quod sermo iste, sermo est hominis
D inexercitati in naturalibus rebus. Si enim deambulatio esset ibi, hoc non esset nisi propter obtinenda alia loca, aut propter videndos amicos, aut alia delectabilia. Et rursus, alia loca quæ quærerentur, aut essent æqualia in dignitate prioribus locis, aut non : si æqualia, ergo frustra quærerentur; si inæqualia, ergo in eorum acquisitione esset vel augmentum vel minoratio felicitatis prioris. Insuper felicitas illa est tota simul, et inamissibilis est in toto et in parte. Sermo autem deambulationis ju-

cundæ, et visionis amicorum ac delectabilium, sermo est hominis modici intellectus, utpote appropinquans errori Sarracenorum ac Judæorum, paradisum carnalium deliciarum exspectantium. Hæc idem.

p.295 D et s. Verum jam supra clare ostensum est horum oppositum, et quod Beati resumptis corporibus motum localem habebunt in eis, nec verum esse quod omnis motus ex indigentia oriatur, sed aliquis ex plenitudine gaudii et ad communicandum aliis bona. Ex dictis quoque ipsius sequeretur, quod nec in inferno esset motus post diem judicii nec vicissitudo pœnarum, *Job* XXIV, 19. transeundo a calore nimio ad nivium aquas. Et quod de loci arguit dignitate, nihil est : quia nec angeli sancti descendendo a dignissimis sedibus cœli empyrei ad loca ista opaca et infima, ullam incurrunt felicitatis, perfectionis aut dignitatis minorationem. — Denique, secundum Augustinum aliosque doctores communiter, quamvis in mentibus Beatorum nulla erit successio aut variatio seu innovatio quantum ad actus in quibus præmium essentiale consistit ; tamen in cogitationibus et apprehensionibus circa creata erit in eis vicissitudo perpetua, præsertim secundum quod ea conspicient in proprio genere, et per species inditas ac creatas. Superius *Cf.* p.298 C'. quoque ipse Guillelmus asseruit, quod corpora glorificata movebuntur in instanti : quod quamvis ita non sit, ex hoc tamen consequitur quod non erunt perpetuo immobiliterque in loco eodem. Item de ac- *Cf.* p.411 C'. cidentali præmio fassus est, quod variationem et incrementum suscipiat.

Postremo, quod addit, sermonem istum motus seu deambulationis approximare errori Sarracenorum ac Judæorum, nil obtinet : quia eadem ratione dicere oporteret, quod exteriores sensus non essent habituri suas delicias in suis objectis : p.281 B, 282 B. cujus oppositum clarissime est ostensum. In hoc autem increduli illi delirant, quod post resurrectionem arbitrantur Beatos in venereis ac cibis potibusque gloriaturos, et hoc in paradiso terrestri. — Hæc brevi-

A ter contra dicta illa tetigisse sufficiat. Nam et quod arguit de tempore, supra solutum p.389 A et s. est. Etenim sicut corpora resuscitata et glorificata non dependebunt a motu cœlesti in esse et duratione ac operatione ; sic nec quantum ad motionem et ambulationem, a tempore, quod est mensura motus cœlestium et inferiorum naturalium corporum : imo (ut ait Scriptura) tanquam scintillæ in arundineto discurrent; *Sap.* III, 7. et ubi voluerit spiritus, ibi et corpus protinus erit, ut Augustinus, Anselmus, ac B alii Sancti fatentur.

Præterea, quia Guillelmus etiam videtur De laude vocali beatorum. velle probare, quod in patria non erit laus vocalis, restat de hoc ipso inquirere, utrum in patria post diem judicii erit perpetuo *Cf.* p.282 C, et t. XXI, p. 152 B. laus vocalis. Videtur quod non, quia ad hoc requireretur aer et fractio ejus, ac motus localis ; et laudatio illa aut aliquando interrumperetur, aut non. Si sic, videretur cessatio sequi jucunditatis ex eo provenientis ; si non, videretur nunquam quies C esse neque silentium, quæ tamen contemplationis secretum potissime decent.

De hac re scribit hinc inde, libro de Universo, Parisiensis : Non parum admirationis quæstionisque habet, an vita gloriæ habeat harmonias delectabilesque concentus. Et quanquam Plato posuerit harmonias in cœlis mobilibus, in cœlo tamen immobili ponendæ non sunt, secundum ejus doctrinam : propter motum enim ipsorum ponit harmoniam in ipsis. Habet etiam quæstionem, si ibi sint harmoniæ et ho- D minum voces, an univocæ sint vocibus quas hic habemus. Certumque est quod animæ nostræ non stabunt neque finaliter inhærebunt harmoniis seu vocibus illis, aut delectationibus sensibilibus quibuscumque ; sed erunt eis viæ ad bonitatem, suavitatem et pulchritudinem Creatoris, universæ bonitates, pulchritudines ac dulcedines creaturæ. Tunc enim juxta sermones sapientium ac Sanctorum, creaturæ omnes glorificatis hominibus intuentibus eas, manifeste apparebunt vestigia, viæ, nu-

tus et signa Creatoris, ducentes ad ipsum, eumque ostendentes. Et hic est error quo gens Sarracenorum involuta est miserabiliter et seducta, quoniam sic credunt se esse delectandos in rebus sensibilibus atque per sensum delectabilibus, sicut delectari se sentiunt in hoc mundo. Sed ita non erit, imo hoc quod maxime delectabit homines glorificatos in creaturis, erit ipse Creator, et forsitan ipsemet proprie et per se: quemadmodum in vestigiis et aliis signis dum sunt delectabilia solum propter ea quorum vestigia sunt et signa, illa proprie et per se delectant quorum signa et vestigia sunt.

De modulationibus autem et harmoniis quales ibi futuræ sint, manifestum est indubitanter quod spirituales erunt. De corporalibus vero melodiis determinandum est ex aliis. Nempe non leviter moveri quis potest, si quis dixerit, quod in patria tantæ felicitatis tacebuntur ore laudes Creatoris, quum decentissimum ac debitum modis omnibus videatur, corde et ore ibi laudari Altissimum ab eis in quos incogitabiliter profusa erit beneficentia munificentiæ ejus. Virtus quoque gratitudinis hoc videtur exigere. Imo non parva nec contemnenda pars beatitudinis et gloriæ videretur statui illi deesse, si delectatio harmoniarum suavitasque concentuum harmonici generis ibi defuerit. Sed jam ante te docui, hunc sermonem divertere in errorem ponentium paradisum sensibilium voluptatum. Jamque prohibitus tibi est error ille per me, et reprobatus destructionibus demonstrativis.

Non immerito autem scrutandum est, quid sit quod delectet animas nostras in vocibus musicatis et melodiacis, et forsitan videbitur alicui non irrationabiliter, quod non voces ipsæ delectent, sed potius numeri proportionesque musicæ, quæ non audiuntur, sed intus percipiuntur ac cogitantur. Cujus non leve est signum, quod quosdam videmus dissone, imo absurdissime canentes, et injucunda percussione aures audientium offendentes, suis cantibus non mediocriter delectari. Intus igitur A apud ipsorum animas est quod eos delectat, quum tam insuaviter tamque moleste foris sonent cantus eorum. Quid ergo necessaria est Beatis melodia exterior, quibus interius sonat et constat omnis proportio? Non enim dubitandum est tibi, quin omnis pulchritudo, omnis apta conjunctio, omnis conveniens applicatio tunc futura, resonet spiritualiter illo in statu bonitatem, pulchritudinem, sapientiam Creatoris: imo totum universum universaliter, hoc est in omnibus partibus suis spiritualibus B et corporalibus, erit quædam omnipotentis resonantia Conditoris, et velut carmen pulcherrimum arte ac sapientia Creatoris, ineffabili artificio modulatum, glorificatis hominibus auditu jucundissimum, non forinseco strepitu tumultuosum. Postremo, quid vocali expressione egebunt, ubi omnium corda cunctis patebunt? — Hæc Guillelmus.

Qui de his hinc inde prolixe inquirendo, argumentando, difficultates movendo, disseruit. Nam et de hoc plurimum perscru- C tatur, dato quod in patria laus erit vocalis, quomodo posset hoc esse, et quomodo erit: an scilicet ex unius ore universæ voces, et omnium vocum atque sonorum melodiæ et consonantiæ, simul et semel promentur, quum ibi non possit esse successio, neque tempus neque aliquid præterire, nec novum gaudium nasci. Et nihil videtur manere potentialitatis et imperfectionis ibidem; magnitudoque gaudiorum et claritas apprehensionum et cogitationum cogit omnia ibi delectantia simul D sentiri. Vis ergo vocalis, ex qua procedunt modulationes, emittet simul omnes voces ac sonos quos naturaliter potest emittere. Erit ergo os uniuscujusque hominis glorificati sicut cithara suavissimarum innumerabiliumque chordarum, et sicut organum incomputabilium fistularum, et erit sonoritas ex ore uniuscujusque Beati sicut concentus innumerabilium sonorum ac vocum, mira et inexcogitabili suavitate sibi invicem consonantium, et auribus perfectionis illius simul audibilium.

Hæc ex isto doctore sufficiat tetigisse, A in quibus vult omnia gaudia, etiam accidentalia, in Beatis actualiter simul esse, et nihil ibi de novo sciri, nec aliquid dele- p. 411 C', 412 D. ctationis accrescere : quod juxta præhabita, stare non valet, quum et juxta divini De Cœlest. hier. c. VII. Dionysii documenta, imo secundum Scripturas canonicas, angeli inferiores a superioribus multa addiscant ac didicerint de Christi mysteriis, de divinis effectibus, et de operum rationibus secretorum, atque in accidentali præmio etiam angeli sancti usque ad diem crescant judicii. Verum in B essentiali præmio et beatitudine principali, imo et in accidentali præmio præcipuo, uniformiter stant fixi, hoc est, in cognitione, dilectione, delectatione, quas habent in Christi humanitate et gloriosissima Virgine; quanquam Sancti resumptis corporibus, glorificati plenarie in anima et corpore, magis quam ante specialive modo gaudebunt in corporali adspectu, auditu, fragrantia, assumptæ humanitatis et incomparabilis Virginis. Verumtamen omne gaudium illud accidentale in patria, compa- C ratione gaudii ac gloriæ essentialis, erit sicut gutta ad universum Oceanum, et sicut punctus ad lineam : ideo ejus additio sive detractio nullius est momenti, nec ob hoc beatitudo illa interpolatur, aut interruptionem incurrit.

Insuper quod doctor iste jam dixit, quod creata et omnis eorum pulchritudo, suavitas, perfectio, erunt Beatis via ad Deum et elevatio quædam ad ipsum, de viatori- p. 418 A', 422 C', 426 in fine. bus bonis verius diceretur. Nam juxta inducta, Beati Deum in se ipso clare ac D immediate videndo, omnia vident in ipso : sicque ejus essentia ut ratio idealis, potius eis est ratio ac medium cognoscendi creata quam econtrario. Nihilo minus, ex consequenti vident qualiter excellentia Creatoris in suis refulget effectibus, nec dubium quin omnia ad ipsum purissime referant : quod etiam boni fideles suo modo agunt in terra.

Nunc aliorum responsa doctorum super hac quæstione sunt inducenda.

Et ait Antisiodorensis in Summa, libro quarto, quod Beati glorificati in corpore, laudabunt in patria Deum vocaliter, ut nihil in ipsis vacet ab honorificentia Creatoris.

Insuper Thomas supra, distinctione qua- p. 281 B. dragesima quarta, disseruit, quod in Beatis glorificatis, visus, auditus, tactus, odoratus, erunt in actu; et secundum quosdam, etiam gustus aliquo modo, non cibum et potum sumendo, sed modo prætacta di- ibid. A'. stinctione inducto. Ubi et sanctus Doctor allegat quod Ecclesia cantat : Odoris sua- ibid. D. vissimi erunt corpora Sanctorum. Et addit : Laus etiam vocalis erit in patria. Unde Augustinus super illud in Psalmo, Exsul- *Ps.* CXLIX, 6. tationes Dei in gutture eorum, affirmat : Corda et linguæ Sanctorum non cessabunt laudare Deum. Idem habetur in Glossa super illud Esdræ, In cantico et cymbalis. Et II *Esdr.* XII, 27. rursus asserit ibi B. Thomas : Erit in pa- p. 281 D'. tria laus vocalis, quamvis quidam aliter dicant, quod sola immutatione spirituali organum auditus immutabitur in Beatis; et erit ibi propter perfectionem sensus et delectationem. Quomodo autem vox ibi possit formari, dictum est libro se- tom. XXI, p. 152 B. cundo, distinctione secunda. — Consonat Petrus.

Richardus quoque superius, distinctione p. 282 C. quadragesima nona : In patria, inquit, erit sonus, quoniam ibi erit laus vocalis, ut asserit Glossa super illud, Exsultationes *Ps.* CXLIX, 6. Dei in gutture eorum. Et immutabit auditum, non facta aliqua immutatione naturali et materiali in auditu, neque in medio; generabitur quoque in medio absque materiali passibilitate, vel in aere reservato in loco formationis ipsius vocis. Vel dici potest, quod partes cœli empyrei dividi possunt ab invicem et reuniri, ut aer. Potest etiam moveri motu tremoris, et pati passione necessaria ad vocis formationem et ad inspirationem ac respirationem. Quum enim hic motus sit vitalis, dicunt aliqui, quod erit in Beatis. Unde ita se habebit cœlum empyreum ad corpora glorificata, quemadmodum aer ad corru-

ptibilia corpora. Cœlumque aqueum ita aliquo modo se habebit ad ea sicut terra ad corpora nostra, quantum ad hoc quod Beati corpore glorificati, habebunt pedes suos super convexitatem aquei cœli seu crystallini, quamvis quandocumque voluerint, poterunt se inde levare sine difficultate. Hæc Richardus.

Insuper his concordat Henricus in conclusione, quamvis de modo formandi laudem vocalem in cœlo empyreo aliter sentiat :
Quodl. VII, q. 7. Major (inquiens) dubitatio est, quomodo ibi erit laus vocalis, quam an erit; quia si esset manifestum quomodo posset ibi formari, non dubitaretur, sed plane supponeretur quod ibi esset, quia in vita gloriosa nihil erit imperfectum. Quælibet autem vis activa est imperfecta, secundum quod in habitu seu in potentia est respectu ejus quod est actus illius habitus seu potentiæ. Hinc oportet quod in vita gloriosa omnes vires, tam corporales quam spirituales, sint perfectæ, exsistentes in actibus suis secundis, potissime quando actus secundi sunt perfectionis simpliciter : quod dico, propter potentias partis vegetativæ, quæ non erunt in actu ibidem. Quumque propria operatio oris et linguæ ac dentium sit locutio et modulatio vocum, sicut operatio oculorum est visio; ideo sicut ponimus quod visus erit ibi in nobilissimo ac jucundissimo actu videndi, sic os, lingua, etc., erunt in præclarissimo atque lætissimo actu loquendi ac modulandi, quo Beati se invicem alloquentur, et laudes concinent Creatoris.

Verum quomodo fiet hoc, quum ibi non sit aer inspiratus et exspiratus ? Et volunt aliqui dicere, quod sicut intestina corporum gloriosorum plena erunt aliquo humore, sic guttur, arteria et os aere, quo Beati poterunt voces formare. Si ergo ponamus, cœlum empyreum in quo erunt, esse ut cameram magnam concavitatem habentem intra superficiem undique circumdantem corpora Beatorum, aere plenam; cessaret hæc quæstio. Sed quoniam

A nullum corpus pure elementare ponitur ibi futurum, remanet difficultas quomodo poterit ibi vox formari, et per quod medium deferri, præsertim supponendo quod cœlum empyreum sit solidum, non fluxibile sicut aer : quia si fluidum esset, posset dici quod fieret in eo sicut in aere. Ponendo autem cœlum empyreum esse solidum, non intercisum; continuum, non cameratum : dicendum videtur, quod corpora gloriosa et cœlum illud erunt penetrativa simul. Sicque corpore glorificatus, Cf. p. 372 B'.

B in soliditate cœli illius sine divisione ipsius exsistens, potest movere linguam, labia, dentes, harmonicis motibus, ac si moveret ea in aere, interceptis sine discontinuatione partibus cœli empyrei : sicut hic, interceptis partibus aeris inter linguam, dentes et labia, per ipsorum divisionem. Quare, sicut in partibus aeris interceptis per divisionem, ex contactu harmonico dictorum membrorum vox formatur in aere; sic formabitur in partibus cœli empyrei, ex contactu et transitu di-

C ctorum membrorum per partes empyrei in harmonicis motibus suis, usque ad partes illas non interceptas, quasi usque ad illas repercuteret aeris partes. Et quum partes illæ sonitum vocis receperint, multiplicant eum per partes continuas circumquaque, toto empyreo corpore resonante in summa ac suavissima melodia : quemadmodum et quidam philosophi posuerunt, corpora cœlestia ex mutuo in suis extremitatibus contactu, dulcem efficere sonum. Si autem modus iste non placet, est ad

D miraculum confugiendum, dicendo quod sicut corpora illa sunt miraculose glorificata, atque in cœlo empyreo miraculose locata, et cœli penetrativa; sic miraculose vox ab eis formatur, et formata diffunditur ac defertur, ad aures perveniens singulorum. Totus etenim ille status est super naturam. Hæc Henricus.

Porro Bonaventura relinquit istud sub dubio distinctione præhabita, quanquam p. 284 D. alibi magis declinet ad hoc quod erit ibi laus ista.

De felicitate et gloria electorum, ex Guillelmo Parisiensi.

Circa finem tractatus sui de Vitiis et virtutibus ait Guillelmus Parisiensis : Post hæc loquemur de retributionibus Sanctorum. Retributio Sanctorum secundum suum principale, imo secundum suum totum, dicitur gloria animarum sanctarum, ut Augustinus sentire videtur. Gloriam vero corporis non partem beatitudinis, sed redundantiam ejus appellat, dicendo: Tanti fecit Deus animam rationalem, ut ex beatitudine ejus non beatitudo, quæ fruentis et intelligentis est propria, sed sanitas incorruptionis in inferiorem naturam, id est in corpus sensitivamque partem, redundet. Tota ergo beatitudo quæ Sanctis promittitur, animarum est, quæ proprie frui ac intelligere queunt. Porro secunda stola, quæ est gloria corporis, non beatitudo nec pars beatitudinis exsistit; est tamen pars remunerationis, id est totius boni quod in fine dabitur Sanctis. Nominatur autem gloria hæc beatitudo, quoniam ipsa finis est, plenitudo et contentatio omnium desideriorum nostrorum, juxta definitionem beati qua dicitur : Beatus est, cui omnia optata succedunt. Dicitur quoque vita æterna ab ipsa Vita * in Evangelio : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, etc. Et nuncupatur vita æterna, quoniam vitæ temporali est multum contraria. Quemadmodum enim vita temporalis tota fluit et evanescit, nil stabile habens ; ita illa in soliditate suæ perpetuitatis stat fixa, non defluens. Et sicut vita ista temporalis totum commune habet cum morte, et vitam quasi in puncto solo contingit; ita illa tota seorsum est sejuncta et immunis a morte, et se totam vitæ primæ imprimens, in nullo morti approximat. Dicitur quoque pax, propter omnimodam elongationem et securitatem ab omni periculo, et spirituali corporalique bello; et requies, quum sit finis omnium laborum, commotionum et concussionum nostrarum. Vocatur item libertas, quum sit elongatio consummata ab

* *alias* Veritate

Joann. XVII, 3.

A omni oppressione, exactione et angustiatione, juxta illud Apostoli : Creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Rom.* VIII, 21. Nominatur item lux et claritas, quia ab ignorantiis, erroribus, opinionibus est penitus aliena. Sic et alia nomina multa his consimilia ei conveniunt : quoniam ipsa est torrens voluptatis divinæ, gloria et exsultatio ultima electorum, deliciosissima refectio, magna et interminabilis cœna. *Luc.* XIV, 16.

Dicimus ergo in primis, quia perfectio B in unoquoque perfectibili non est nisi actus suæ potentiæ potentialitatisve ultimus ac supremus, qui in rationali creatura vocatur felicitas : quam nisi assequi posset, videretur Creator omnipotens magis deviasse quam sapienter egisse, hujuscemodi creaturam instituendo. Quumque vis intellectiva animæ humanæ potentialiter speculum sit omnium intelligibilium, ex necessitate sequitur, quod ejus perfectio ultima sit, hoc ipsum esse in effectu completo : ut scilicet sit speculum omnium intelligibi- C lium ; speculum (inquam) evidentissimæ expressionis atque clarissimæ apparitionis, ita ut in ea reluceant expressissima resultatione intelligibilia universa. Erit ergo speculum universi, et exemplum cujus exemplar est tota series sæculorum (sicque mundus efficietur intelligibilis), et imago perfecta speculi increati, quod est speculum universalis speculationis, ac verbum universalis dictionis, quo Deus Pater dixit et expressit se ipsum, et omnia in ipso ac per ipsum : quæ dictio fuit generatio verbi D istius. Etenim nihil aliud est dictio ubicumque sit, nisi generatio verbi. Nam et visio non est nisi assimilatio videntis : ut visio albi est assimilatio albi et oculi per similitudinem albi receptam in oculo. Ergo et visio qua supergloriosissimum et incircumscriptibilem Deum videbimus oculo intellectuali, erit assimilatio deiformis nostri intellectus ad ipsum. Unde dixit evangelista Joannes : Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quumque ipse *I Joann.* III, 2.

in se et per se sit exemplar cujus exem- A plum, quamvis incomparabilis distantiæ, est totum hoc universum; erit etiam intellectus noster tunc exemplum in quo relucebit similitudo exemplaris illius altissimi, prout naturalis capacitas meritorumque dignitas intellectum nostrum adjuverint.

Amplius, non ignoras hanc speculorum esse naturam, dummodo æqualia sint, pura, tersa, polita, ut invicem sibi opposita recipiant ab invicem formas relucentes in ipsis : quanto magis speculum mentis humanæ depuratæ ac sanctæ, speculo Verbi B æterni immediate et convenientissime applicatum, recipiet ab eodem impressionem simillimam et assimilationem completam, ut et ipsa sit speculum in effectu? Hinc

I Cor. XIII, 12. dixit Apostolus : Videbimus tunc facie ad faciem. Facies quippe nostri intellectus ad faciem adorandam speculi æternalis coaptata et applicata, faciem illam repræsentabit similitudine evidenti. Propter quod

Ibidem. dixit Apostolus : Tunc cognoscam sicut et cognitus sum. Quid est hoc, nisi quemadmodum Deus Verbum in se ipso tanquam C in supersplendidissimo speculo intuetur hæc omnia, ita et ego quantum ad vim intellectivam factus speculum perfectæ assimilationis ad ipsum, cognoscam et in ipso, et etiam in me ipso, quæcumque in hujusmodi speculo per irradiationem primi speculi resultabunt? Tunc igitur vis nostra intellectiva æterno ac cœlesti Sponso suo beatissimis amplexibus copulata, non tam concipiet quam pariet filium ac verbum ad imaginem et similitudinem primogeniti Verbi ac Filii, cujus resultatio in D intellectu nostro verum et speciale erit exemplum primi verbi, quo spirituali dictione dicet omnia dicibilia sibi, dictione lucidissima ac perfecta.

Præterea si quæratur, utrum omnia et singula quæ sunt vel esse possunt, tunc visuræ sunt animæ nostræ in gloria illa : respondemus, quod quidquid decebit aut delectabit eas videre, videbunt tunc; quod autem nec deceret nec delectaret eas videre, non videbunt.

Si vero quis quærat, utrum Deus videbitur a Beatis per præsentiam suam et veritatem, quæ indubitanter præsentissimam se exhibebit tunc Sanctis in patria; quæstio ista ad propositum pertinet, quia potissimum felicitatis et gloriæ Beatorum erit visio intellectus. Propter quod libro de Doctrina christiana loquitur Augustinus : Promittitur nobis adspectus pulchritudinis summæ. Et alibi in sermone : Promittitur nobis visio Dei, veri Dei, summi Dei. Et rursus : Visio est tota merces quæ Sanctis promittitur. Ubi autem præsentissima est veritas Deitatis, non requiritur imago aut umbra, aut medium aliud, quanquam non sola essentialis præsentia visionem illam efficiat, quum sic omnibus præsens sit.

Denique beatifica visio Dei, super omnem æstimationem et admirationem est menti creatæ delectabilis et jucunda. Quum enim conjunctio convenientis cum conveniente sit delectatio definitive, id est causa delectationis, ut dixerunt philosophi; nec aliquid ita conveniens sit intellectui nostro ut lux illa purissima et immensa; conjunctio quoque mentis creatæ ad eam conveniens sit in ultimitate, id est in fine et summa excellentia, convenientiæ : constat visionem illam summe et incomparabiliter delectabilem esse. Idem patet per aliam delectationis definitionem, qua dicitur : Delectatio est perceptio potentiæ apprehendentis rem sibi connaturaliter congruentem. Adeo autem conveniens est superaltissimus Deus menti creatæ, ut propter ipsum et ejus intuitivam fruitionem ipsa creata sit et reparata. Amplius, omnes delectationes æquales sunt apprehensionibus suis, id est cognitionibus ex quibus oriuntur, quemadmodum et virtutes suis effectibus : ideo sicut visio illa beata est summæ perspicuitatis et certitudinis; sic gaudium ex ea procedens, est ultimatæ, summæ et incomparabilis suavitatis. Insuper, quum totus status ille patriæ totus sit gloriosus, et gloria nihil habeat imperfectum aut diminutum, nihil perfectioni

incongruum ; manifestum est universas delectationes quæ in regno sunt gloriæ, excellentissimas et perfectissimas esse, unamquamque in genere suo.

Præterea de hoc quod Sancti testantur, fidei succedere visionem : si fides stricte sumatur, videlicet ut est caput et fundamentum religionis, dicimus quod visio beata proprie est rerum fundamentalium, puta ad fundamentum religionis spectantium, et fidei illi succedet hæc visio. Porro hæ sunt res quæ primo prædicandæ sunt introducendis ad christianam religionem, videlicet : Deum esse, et ipsum esse remuneratorem sperantium in se, obedientium et servientium ei, atque hujusmodi aliqua, quæ sunt rudimenta introducendorum ad fidem catholicam. Similiter, dono intellectus succedet visio clara eorum quæ signis et prodigiis hic sunt velata, mysteriorumque omnium. Dono vero consilii succedet clara visio utilitatum et aliorum bonorum quæ per illud electa sunt, periculorum quoque et aliorum malorum quæ per illud sunt declinata. Eodem modo dono scientiæ succedet clara cognitio diversarum specierum et ramorum ipsarum. Prudentiæ etiam succedet clara eorum cognitio circa quæ ipsa versatur. Visio autem quæ est tota merces, est potissime cognitio sapientialis, quæ est nobilior atque intimior quam scientialis cognitio, propter quod in libro Ethicorum dixit Philosophus, quod virtus omni arte certior meliorque consistit. Cujus exemplum est in omni gustabili. Vinum namque ex suo splendore et colore tanquam ex quibusdam radiis suæ naturæ ac veritatis scientialiter noscitur ; sapientialiter vero agnoscitur ex suo sapore et odore : quæ cognitio tanto certior est, A quanto odor et sapor intimiores sunt vino. Quumque Deus altissimus sit ipsa sua veritate luminosissimus, et sua etiam bonitate suavissimus, necesse est ut animæ glorificatæ non tam scientialiter eam cognoscant ex irradiatione suæ luminosissimæ veritatis in eas, quam sapientialiter ex torrente voluptatis et inundatione bonitatis suæ in ipsas sciant atque degustent.

Denique de visione Dei erit triplex gaudium in Beatis. Primum de illustratione et B perfectione virtutis nostræ intellectivæ. Secundum de pulchritudine Sponsi, in qua erit delectatio tanto major quam in adspectu cujuscumque alterius pulchritudinis, quanto ipsa Sponsi pulchritudo omnibus aliis pulchritudinibus incomparabili supereminentia antecellit ; ipsaque rationalis vis beata, vehementiori amore, strictioribus quoque amplexibus eidem increatæ, superessentiali et superinfinitissimæ pulchritudini adhærebit, imo et inhærebit, et inavertibili prorsus adspectu æternali- C ter, affectuosissime ac securissime infigetur. Tunc plane amovebit pallas et peplum desuper faciem suam, quatenus sponsis intuendam illam beatissima fruitione exhibeat. Tertium gaudium erit de visione gloriæ ejus, quoniam ibi limpidissime apparebit ipsum esse regem ac dominum omnium sæculorum. De hac gloria dixit Propheta : Satiabor quum apparuerit gloria tua. *Ps.* xvi, 15. Hujus felicitatis refectio, est cœna magna quam Christus suis præparavit *Luc.* xiv, 16. electis, ad quam nos dignetur perducere, D qui cum Patre æterno et adorando paracleto superdulcissimo Spiritu Sancto vivit et regnat super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN SENTENTIAS.

INDICES

INDEX S. SCRIPTURÆ

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

JEREMIÆ.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

JONÆ.

NAHUM.

HABACUC.

MALACHIÆ.

MATTHÆI.

LUCÆ.

JOANNIS.

ACTUUM.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD COLOSSENSES.

I AD THESSALONICENSES.

I AD TIMOTHEUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I PETRI.

II PETRI.

APOCALYPSIS.

INDEX AUCTORUM

ET ALIORUM QUI SPECIALI TITULO MEMORANTUR

A

B

C

[1] Vide infra Indicem generalem.

D

E

F

G

H

I

J

L

INDEX DIONYSIANUS

SIVE

ECLOGA LOCORUM NOTABILIORUM

DIONYSII CARTUSIANI

INDEX GENERALIS

INDICES

IN TOTUM SENTENTIARUM OPUS

I. INDEX IN TEXTUM MAGISTRI.

II. INDEX IN COMMENTARIA.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM

QUÆ IN TEXTU MAGISTRI CONTINENTUR

N. B. — Prima notula revocatur lector ad peculiarem Sententiarum librum, secunda ad libri distinctionem, tertia ad distinctionis articulum.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

J

L

M

N

O

P

R

S

T

U

V

Z

INDEX

ARTICULORUM MAGISTRI QUI JAM VULGO NON RECIPIUNTUR AB OMNIBUS[1].

IN PRIMO LIBRO.

Primo, quod caritas qua diligimus Deum et proximum, est Spiritus Sanctus; vel quod caritas quæ est amor Dei et proximi, non est aliquid creatum (dist. XVII B).

Secundo, quod nomina numeralia dicta de Deo, dicuntur solum privative; vel hæc nomina numeralia trinus et trinitas, non dicunt positionem, sed privationem tantum (dist. XXIV B).

Tertio, quod simile et æquale similiter dicuntur de Deo privative (dist. XXXI B).

Quarto, quod Deus semper potest quidquid aliquando potuit, et vult quidquid voluit, et scit quidquid scivit (dist. XLIV D).

IN SECUNDO LIBRO.

Primo, quod angeli non meruerunt beatitudinem per gratiam sibi datam, sed quod præmium præcessit meritum, et postea meruerunt per obsequia fidelibus exhibita; vel quod in angelis præmium præcessit, et meritum respectu præmii substantialis habet subsequi (dist. V G).

Secundo, quod angeli in merito respectu essentialis præmii, et in ipso præmio, proficiunt usque ad judicium (dist. XI D).

Tertio, quod caritas est Spiritus Sanctus, scilicet illa quæ animæ qualitates informat atque sanctificat (dist. XXVII F).

Quarto, quod in veritatem humanæ naturæ nihil transit extrinsecum, sed solum quod ab Adam descendit per propagationem auctum et multiplicatum, resurget in judicio; vel quod nihil de cibis transit in veritatem humanæ naturæ, nec per generationem, nec per nutritionem (dist. XXX O).

IN TERTIO LIBRO.

Primo, quod anima a corpore exuta, sit persona (dist. V F).

Secundo, quod Christus convenienter mortuus et non mortuus dicitur, passus et non passus (dist. XXI D).

Tertio, quod Christus in triduo mortis fuit homo (dist. XXII A).

IN QUARTO LIBRO.

Primo, quod sacramenta legalia non justificabant, etiam si cum fide et devotione fierent (dist. I C).

Secundo, quod homo sine medio videbat Deum ante peccatum (dist. I D).

Tertio, quod circumcisio non conferebat gratiam ad bene operandum, nec virtutes ad augmentum, sed solum ad peccata dimittenda valebat (dist. I L).

Quarto, quod parvuli ante octavum diem morientes incircumcisi, peribant, et quod causa necessitatis poterant ante circumcidi (dist. I M).

Quinto, quod quædam sacramenta novæ legis instituta sunt in remedium tantum, ut matrimonium (dist. II A).

[1] Index iste reperitur in editione Coloniensi post epistolam dedicatoriam libri quarti.

Sexto, quod baptizati baptismo Joannis, non ponentes spem in illo, non erant baptizandi Baptismo Christi. Vel aliter : baptismus Joannis cum impositione manuum æquipollebat Baptismo Christi, ita quod baptizatus baptismo Joannis, non erat baptizandus (dist. II F).

Septimo, quod Deus potuit dare potentiam creaturæ creandi, et interius abluendi, id est peccata dimittendi. Vel sic : quod Deus poterat dare potestatem aliis baptizandi interius, et quod creatura potuerit suscipere et similiter quod Deus potest potestatem creandi creaturæ communicare, et creare per creaturam tanquam per ministrum (dist. V C).

Octavo, quod schismatici degradati, præcisi ab Ecclesia, hæretici, excommunicati, non habent potestatem consecrandi corpus Christi (dist. XIII A).

Nono, quod brutum non sumit verum corpus Christi, etsi videatur sumere (dist. XIII A).

Decimo, quod scientia discernendi ut notat habitum scientiæ, sit clavis (dist. XIX A).

Undecimo, quod episcopi simoniaci degradati non possunt conferre Ordines (dist. XXV D).

Præ nimia rerum copia in alium tomum (XXV bis) rejici oportuit Indicem in Commentaria Dionysiana.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.